ARTIS MEDICÆ PRINCIPES.

TOMUS TERTIUS.

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES


HIPPOCRATES, ARETÆUS, ALEXANDER, AURELIANUS, CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER,

PRÆSES SOCIET. REG. SCIENT. GÖTTING. SODALIS ACADD. REG. SCIENT. PARIS. CHIR. REG. GALL. IMP. BEROL. SUEC. BON. ARCAD. BAVAR. SOC. SCIENT. BRIT. EDIMB. UPSAL. BAT. BOT. FLOR. HELVET. IN SENATU SUPREMO BERNENSI DUCENTUMVIR.


TOMUS III.





LAUSANNÆ;
Sumptibus FRANC. GRASSET & SOCIOR.

M. D. CC. LXX.






TABULA TOMI TERTII.



HIPPO-





HIPPOCRATES DE MORBIS LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Auctor incertus est, neque satis evictum, eosdem nos cum simili titulo libros possidere, quos veteres, cum multa veteres ex his libris citent, quæ in nostris desunt. GALENUS *passim ad* THESSALUM, *vel ad* HIPPOCRATEM JUN. THESSALI F *refert, aut ad* POLYBUM.

Cur vero non sit alicujus ex Gnidia schola medici? etiam ex FOESII *conjectura. Ejus enim scholæ Medices veteres carpserunt, quod ex minimis differentiis novas morborum species distinxerint, ut septem aut octo pleuritidis species facerent: id autem in nostris vitium est. Medicamenta etiam vel ex victus ratione repetuntur, aut valida sunt purgantia medicamenta, satis alieno sæpe loco præscripta.*

Liber primus eam theoriam continet, quæ ad pituitam aut bilem morborum causas fere refert: pathologias etiam morborum pectoris tradit, febris, phrenitidis.

De isto libro magna est suspicio, veteribus ignotum fuisse; mihi videtur dignior HIPPOCRATE, *nisi theoriam traderet.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Quæ medico animadvertenda sint quæsita, ac responsa; morborum causæ internæ & externæ; medendi occasiones, ac intempestivitates: recte ac non recte dicta, & acta; bona ac mala sponte, aut sorte, aut errore oborientia: quæ præcisæ partes non coalescant; medendi tempora, manuum dexteritas: pulmonis, thoracis, ac ventriculi suppurata; pulmonis erysipelas, ac pulmonis & lateris tuberculum: febris, horror, rigor, sudor; pleuritis, peripneumonia, febris ardens, phrenitis, melancholia, subcruentum ac lividum sputum.

SECTIO I.

CAPUT I.

Quæ medenti medico animadvertenda sunt, ut ægrotum ac adstantes recte interroget, eorumque quæstionibus recte respondeat, & contradicat.

QUi de (morborum) curatione tum scite interrogare, tum sciscitanti respondere ve-

ſit, ac recte contra dicere; hæc eum animadvertere oportet. Primum quidem, a quibus (cauſis) morbi omnes hominibus oriantur: deinde vero, qui morbi habeant neceſſario, poſtquam geniti ſunt, aut longi ſint, aut breves, aut lethales, aut partem aliquam corporis mutilam, aut non mutilam reddant; & qui, quum exſtiterunt, ancipites ſint, an ab ipſis mala, aut bona proveniant: & a quibus morbis in quoſnam tranſitus fiat: & quæ Medici ægrotos curantes proſpero ſucceſſu moliuntur: & quæ ægrotantes in morbis bona aut mala perpetiuntur; & quæ intempeſtive aut dicuntur, aut fiunt a Medico erga ægrotum, aut ab ægro erga Medicum: & quæ in arte accurate fiunt & dicuntur; & quæ in ipſa recta; & quæ non recta: & quod ejus principium, aut finis, aut medium, aut aliud quid ex his, quod in ea recte eſſe, vel non eſſe demonſtratum eſt: & parva & magna; & multa & pauca: & quod totum in ea unum eſt, & omnia quod unum: & quæ effici poſſunt, cum intelligere, tum dicere, & ſi opus ſit, neque noſſe, neque dicere, neque facere: & quodcunque in ea facile, & quod arduum; quod opportunitas, & intempeſtivitas; & quibus aliis artibus ſimilis ſit, & quibus nihil ſimilis: & corporis quid calidum, aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum; & quidnam robuſtum, aut debile; aut denſum, aut rarum: & quæ ex multis pauca fiunt, aut in pejus, aut in melius: quidque honeſte, vel turpiter; vel tarde, vel cito; vel recte, vel non recte: & quod malum malo ſuccedere neceſſe ſit. Hæc animo verſantem in ſermonibus obſervare oportet, in quo quis aut dicendo, aut interrogando, aut reſpondendo, ab

his aberret: & an quæ multa ſunt, pauca eſſe dicat, & quæ magna ſunt, parva: & quæ fieri non poſſunt, ea fieri poſſe aſſerat; & quicquid aliud dicendo peccarit, hoc modo obſervando, contraria oratione inſectari.

CAPUT II.

Morborum cauſæ, internæ, externæ; morbi lethales, ancipites, mutilantes, longi, cito judicantes, qui in alios tranſeunt, & qui aliis neceſſario ſuperveniunt.

MOrbi igitur omnes oriuntur: ex his quidem, quæ in corpore inſunt, tum a bile, tum a pituita; ex his vero quæ extra obveniunt, tum a laboribus, tum vulneribus; & quin a calido ſupra modum calefaciente; ac frigido ſupra modum refrigerante; ac ſicco plus æquo reſiccante; ac humido plus æquo humectante. Ac bilis quidem & pituita una cum naſcentibus naſcuntur, & corpori aut plus, aut minus inſunt: morbos autem exhibent, partim quidem a cibis & potibus; partim vero a calido ſupra modum calefaciente, e frigido ſupra modum refrigerante. Hæc autem, quum fiunt, ipſa oboriri neceſſitas obtinet. In vulneribus quidem, quibus craſſi nervi ſauciati ſunt, eos claudos fieri neceſſe eſt; & quibus muſculorum capita ſauciata ſunt, in femoribus præſertim: mori autem, ſiquis vulneratus fuerit in cerebro, aut ſpinali medulla, aut jecore, aut ſepto tranſverſo, aut veſica, aut vena ſanguinem effundente, aut corde; non autem mori vulneratum his in partibus,

in quibus illæ partes non insunt; sed ab his quam longissime absunt. At hi morbi ex necessitate, quum procreantur, mortem afferunt; tabes, (&) aqua subter cutem; mulierem fetum utero gerentem si pulmonis inflammatio, aut febris ardens, aut pleuritis, aut phrenitis prehenderit, aut si erysipelas in utero oriatur. Ancipites vero (morbi), ut enecent, aut secus, ejusmodi sunt; pulmonis inflammatio, febris ardens, phrenitis, pleuritis, angina, uva, hepatitis, splenitis, nephritis, dysenteria, in muliere cruentum profluvium. Isti vero minime lethales, nisi quid ipsis accedat; diuturnæ in articulos fluxiones, melancholia, podagra, ischias, crebra & inanis egerendi voluntas, quartana, tertiana, stranguria, lippitudo, lepra, impetigo, arthritis. Multi autem plerumque ab his mutili redduntur; siderantur manibus & pedibus, vocis impotentia tenentur, & leviter resolvuntur ab atra bile; claudi ab ischiade fiunt; oculis & auditione orbantur, a pituita illuc incumbente. Longos autem hos esse necesse est; tabem, dysenteriam, podagram, diuturnas in articulos fluxiones, pituitam albam, ischiadem, stranguriam; senibus vero, nephritidem: mulieribus autem cruentum profluvium, hæmorrhoidas, fistulas. Febris vero ardens, phrenitis, pulmonum inflammatio, angina, uva, pleuritis, cito decernunt. Hi autem transeunt; ex pleuritide in febrem ardentem; & ex pleuritide in pulmonum inflammationem; ex pulmonis autem inflammatione febris ardens non fit; dysenteriæ succedit crebra & inanis egerendi voluntas; a dysenteria vero lienteria emergit; ex lienteria in hydropem, & ex pituita alba, in hydropem; & ex peripneumonia & pleuritide in (thoracis) suppurationem. Hæc

vero mala malis ſupervenire neceſſe eſt; ſi rigor corripuerit, calor igneus ſuccedit; ac ſi nervus præciſus fuerit, convulſionem facit; & ut præciſus non coaleſcat, ac vehementer inflammetur; & ſi cerebrum concuſſum fuerit, & doluerit, percuſſi (cerebrum) illico vocem intercipi neceſſe eſt, & neque videre, neque audire. Si vero vulneratum fuerit, febrem & bilis vomitum ſuccedere, corporiſque partem aliquam ſideratam fieri, ac perire; omentum ſi exciderit, ipſum putrefieri neceſſe eſt; quod ſi ſanguis ex vulnere, aut vena in ſuperiorem ventrem fluxerit, id in pus verti neceſſe eſt.

CAPUT III.

Medendi occaſiones multæ, variæ, celerrimæ; medendi quoque intempeſtivitates; quæ recte, & quæ non recte in medicina ac chirurgia aguntur, ac dicuntur.

OCcaſiones autem (ut ſemel dicam) multæ ſunt, & variæ in arte; quemadmodum & morbi, & affectiones, eorumque curationes. Ac celerrimæ quidem ſunt, quibus aut animo deficientibus opitulari oportet, aut qui neque urinam, neque ſtercus reddere poſſunt, aut qui ſuffocantur, aut mulierem parientem, aut vulneratam liberare, aut quæcunque ſunt ejuſmodi. Et hæ quidem occaſiones celeres, neque confert paulo poſt; nam plerique paulo poſtea moriuntur. Occaſio ſane eſt, quum horum quidpiam homo patitur; ſiquis, antequam animam efflet, juvetur, id, ubi tempore opportuno ſumpſerit,

opitulatur. Eſt igitur hæc fere opportunitas etiam in aliis morbis: ſemper enim quocunque tempore quis opituletur, opportune opitulatur. Quicunque vero morbi, aut vulnera non ad mortem ferunt, ſed periculoſa ſunt, & dolores in ipſis oboriuntur, poſſunt tamen, ſiquis recte curaverit, ſedari; his ſane non conferunt adhibita a Medico remedia, ubi admoventur: etenim etiam non præſente Medico, ceſſare poſſunt. Sunt autem alii morbi, quibus occaſio eſt, ut matutina diei hora curentur, nihilque refert, an ſummo mane, an paulo poſterius: alii vero morbi ſunt, quibus ſemel in die curandi datur occaſio, neque refert quo tempore: alii tertio quoque, aut quarto die; alii etiam ſemel in menſe; & alii quidem tertio quoque menſe, neque refert an tertio ineunte, aut deſinente. Atque ejuſmodi ſunt occaſiones, in quibus non aliam, quam hanc exquiſitam diligentiam ſortiuntur. Hæc autem præter occaſionem ſunt; quæ quidem mane curari oportebat, ſi meridie curentur, intempeſtive curantur: intempeſtive autem hac ratione, quod ad pejus propenſionem habent ob factam haud opportune curationem. Quæcunque vero celerius, ſive meridie, ſive veſperi, ſive noctu curantur, intempeſtive curantur; & ſi vere curari oporteat, hieme curentur; aut ſi hieme oporteat, æſtate curentur; aut ſi quod jam curari oporteat, idipſum differatur; aut quod differri oportuit, jam curetur; hæc (omnia) intempeſtive curantur. In (arte) autem ipſa recte, & non recte hæc (fiunt). Non recte quidem, ſi, quum alius morbus ſit, alium eſſe dicas; ſi quum magnus ſit, parvum pronuncies; & ſi quum parvus ſit, magnum; & eum qui ſuperſtes futurus eſt, ſuperſtitem futurum negare; &

eum qui periturus eſt, periturum negare: & eum qui ſuppuratus eſt, non cognoſcere; neque noſſe ſi magnus in corpore morbus increſcat; & ſiquis medicamento, aut potione indigeat, utro opus ſit neſcire; quæ ſanari poſſunt, non ſanare; &, quæ non poſſunt, ſanaturum ſe affirmare. Atque hæc non recte ex judicio ſe habent: iſta vero ad chirurgiam; ulceris, aut tuberculi pus non cognoſcere, fracturas & luxationes non noſſe; capitis os, ſpecillo admoto, fractumne ſit, non cognoſcere; & fiſtulam in veſicam cum immittit, demittere non poſſe, neque lapidem in veſica cognoſcere; & pus in thorace collectum ex concuſſione non noſſe; & ſecando aut urendo, fundum aut longitudinem non adtingere; & urere aut ſecare, quæ non oportet; & hæc quidem non recte. Iſta autem recte, morbos cognoſcere, qui ſint, & unde; & qui ipſorum longi, qui breves; & qui lethales, qui minime lethales, qui in alios tranſeunt; qui increſcunt, qui minuuntur; qui magni, qui parvi; & inter curandum, qui curari poſſunt, curare; qui non poſſunt, noſſe quamobrem non poſſint, & dum curantur, qui ita ſe habent, curatione, quoad ejus fieri poteſt, iis prodeſſe. At quæ ægrotantibus offeruntur, ea ſic obſervare oportet, rectene an non recte fiant; ſiquis quæ ſiccari oportet, humectet; aut quæ humectare oportet, exſiccet; aut quæ incraſſare oportet, ea non exhibeat, quibus incraſſare oportet; aut quæ attenuanda, non attenuet; aut refrigeranda, non refrigeret; aut calefacienda, non calefaciat; aut putrefacienda, non putrefaciat; & reliqua ſecundum eandem his rationem.

CAPUT IV.

Quæ in morbis, tum ſponte, bona & mala, juvantia ac lædentia; tum Medici opera, per proſperam aut adverſam ſortem oboriantur; & oborta mala, medico, non neceſſitati imputentur.

TAlia autem in morbis, tum bona, tum mala ſponte hominibus contingunt. Febricitanti quidem ac bilioſo, bilis (ſuo tempore) extra diſperſa, bonum: ſub cutem vero effuſa ac diſperſa, ægroto toleratu facilior, & medenti curatu promptior; effuſa autem ac diſperſa, in unam aliquam corporis partem incumbens, malum. Pleuritide aut peripneumonia laboranti, aut ſuppurato, alvus perturbata, malum: febricitanti vero, aut vulnere ſauciato alvus reſiccata, malum. Subaquoſo & lienoſo, albaque pituita detento, alvus vehementer perturbata, bonum. Si eryſipelas foras diffuſum intro vertatur, malum; ſi vero intus effuſum foras vertatur, bonum. Vehementi alvi profluvio detento ſuccedens vomitus, bonum. Mulieri ſanguinem vomenti menſtrua erumpere, bonum. A fluxione vero vexatæ ad nares aut os fluxionem tranſire, bonum. Mulieri ex partu convulſione infeſtatæ febrem ſuccedere, bonum. Et ſi diſtentio, ac convulſio detineat, febrem ſupervenire, bonum. Hæc enim ejuſmodi ex nulla Medicorum inſcitia, neque ſcientia contingunt, & non contingunt; ſed ſua ſponte, ac fortuito caſu oborientia, eadem ratione tum juvant, tum lædunt. Hæc autem Medici inter curandum bo-

na felici ſucceſſu moliuntur: ſi medicamento ſurſum purgante dato, per ſuperiora & inferiora probe purgent. Et ſi mulieri dato medicamento, quod bilem aut pituitam deorſum purget, menſes ſuppreſſi erumpant. Et ſi cui lienem ſuppuratum habenti medicamento exhibito, quod bilem & pituitam deorſum purget, pus ſub liene per inferiora expurgarunt, & morbo liberarunt. Et ſi calculum habenti, exhibito medicamento purgante, calculum in meatum urinarium medicamenti vi protruſerunt, ita ut cum urina exeat. Et ſi pus in ſuperiore ventre ex tuberculo (collectum) habenti, quod habeat ignorantes, medicamentum quod pituitam ſurſum purget, exhibuerint, iſque pus vomitione rejecerit, ſanuſque evaſerit. Et quum curando eum, qui ex medicamento per ſuperiora purgante ſupra modum purgatur, alvo ſponte erumpente, a vomitu ſanum reddiderint. At mala hæc adverſa fortuna operantur. Si exhibito, quod bilem, aut pituitam ſurſum educat, medicamento, venam in pectore præ vomitione ruperint, quum nullus antea manifeſtus in pectore dolor eſſet, & morbus oriatur. Si quoque mulieri utero gerenti dato medicamento ſurſum purgante, alvus affatim deorſum erumpat, fetumque abortione ejiciat. Et ſuppuratum curanti, ſi alvus profluat, ipſumque perdat. Sique dum oculos curat ac ſublinit, dolores incidunt acutiores, ac ſi ita contingat, oculi rumpantur & obſcurentur, Medicum accuſant, quod oculos ſubleverit. Et ſi puerperæ in ventris dolore aliquid Medicus exhibuerit, & male habeat, aut etiam pereat, Medicus auctor eſt. Ac fere in morbis & vulneribus, quæcunque mala malis ex cauſis neceſſariis ſuccedunt, cum iſta contin-

gunt, in Medicum caufam conferunt, & neceffitatem talia fieri cogentem non agnofcunt. Et fi ad febricitantem aut vulneratum ingreffus, & oblatis quamprimum remediis non juvet; fed poftridie æger pejus habeat, Medicum criminantur: quod fi opituletur, id tamen non æqualiter laudant, id enim ipfi contingere oportere exiftimant. Ulcera vero inflammantur in morbis, & in quibusdam dolores fieri oportet, neque tales effe, ut minime fiant.

CAPUT V.

Quæ partes præcifæ non coalefcant; curationis neque principium, neque fecundum, neque medium, neque finem, verbo aut opere conftitui; in quibus fit manuum dexteritas.

NErvus præcifus non coalefcit, neque vefica, neque aliquod ex tenuibus inteftinis, neque vena fundens fanguinem, neque tenuis genæ pars, neque pudendi cutis. Principium autem curationis demonftratum quidem non eft, quod univerfæ artis recte principium fit, neque ullum fecundum, neque medium, neque finis; fed quandoque in ea a verbis, quandoque ab opere initium fumimus, eodemque modo finem imponimus. Et neque dicendo ab iisdem fermonibus exordimur, neque fi de iisdem loquamur, in eadem definimus: ad eandem rationem in opere, neque ab iisdem operibus initium fumimus, neque in eadem definimus. Manuum vero dexteritas in his eft; quum quis fecando, aut urendo, neque nervum, neque venam fecat,

aut urit; & si purulentum urat, pus consequatur; & si secet, eadem ratione. Et si fracturas recte componat; si quae corporis pars & naturali situ exciderit, ipsam recte ad naturam compellat. Et quae vehementer apprehendere oportet, ea apprehendendo premere; & quae paulatim apprehendenda sunt, apprehendendo non premere; & deligando, ex rectis minime distorta reddere; neque premere, quae non oportet; & in contactu ubicunque contigerit, superflue dolorem non exhibere. Atque haec quidem manuum dexteritatis sunt. At digitis decenter, aut probe, aut non probe, aut longis, aut brevibus apprehendere, aut probe deligare, & universas deligaturas facere, non in arte ad manuum dexteritatem pertinere judicatur, sed separatim.

CAPUT VI.

De pulmone suppurato ex peripneumonia; pituitae e capite defluxu; venulae ruptura; venae varicosae contractione, ac de suppurati curatione, ac interitu.

QUi pulmone, aut superiore, aut inferiore ventre suppurati fiunt, aut tubercula sive in superiore, sive inferiore ventre, aut pulmone habent, aut intus ulcera, aut sanguinem vomunt, aut spuunt, aut dolorem aliquem habent vel in pectore, vel in dorso: haec omnia illis contingunt, ex his quidem quae in corpore insunt, a bile & pituita; ex his vero quae extrinsecus occurrunt, ab aëre insito calori commixto, quin etiam a laboribus ac vulneribus. Et

quicunque pulmone ſuppurati fiunt, ab his fiunt. Si peripneumonia correptus, diebus judicatoriis non purgetur, ſed ſputum & pituita in pulmone remaneat, ſuppuratus fit; qui ſi confeſtim curatus fuerit, plerumque effugit; ſi vero neglecta fuerint illa in pulmone, corrumpitur; illiſque inhærentibus ac putreſcentibus; tum ulceratur pulmo, & pus colligit; neque amplius intro ad ſe effatu memorabile alimentum trahit, neque ab eo quidquam per ſuperiora repurgatur; ſed & ſuffocatur, & ſemper difficilius ſpirat, & reſpirando ſtertit, indeque a ſuperiore pectore reſpirat, tandem vero ſputis obturatur, ac moritur. Fit autem & ſuppuratus, ſi ipſi pituita ex capite in pulmonem defluxerit; ac primum quidem ut plurimum latenter defluit, tenuemque tuſſim creat, & ſputum ſolito paulo amarius, calorque tenuis interdum (adeſt); progreſſu vero temporis tum pulmo exaſperatur, tum intus a pituita inhæreſcente & putreſcente exulceratur; ponduſque in pectore, & dolorem acutum ante & retro exhibet; caloreſque acutiores in corpus incidunt, & pulmo præ calore ad ſe pituitam ex corpore, præcipueque ex capite, trahit; caput vero calefactum e corpore; eamque putreſcentem ſubcraſſam exſpuit: quanto vero longius tempus proceſſerit, ſincerius pus exſpuit, & febres acutiores fiunt, tuſſiſque crebra, & vehemens, inedia vexat, ac tandem inferior alvus turbatur; turbatur autem a pituita; pituita vero e capite deſcendit. Hic quum eo pervenerit, perit, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, ubi pulmo purulentus & putridus exſtiterit, aut venter deorſum eruperit. Ab his præterea purulentus fit pulmo. Quum venularum aliqua in eo rupta fuerit; rumpitur autem

a laboribus; & quum rupta fuerit, si crassior quidem fuerit venula, plus fundit sanguinis, si vero tenuior, minus; partimque confestim quidem sanguinem exspuit; partim vero, nisi constricta vena fuerit, in pulmonem funditur, in eoque putrescit, quumque putrefactus fuerit, pus facit: procedente vero tempore, interdum pus sincerum, interdum subcruentum, quandoque etiam sanguinem; & si uberius repleta fuerit venula, ipsa sanguinis copiam confertim a se evomit, pusque crassum præaccedente, ac intus putrescente pituita exspuitur. Hic si per morbi initia, antequam vena sanguinem fundat, & vehementer laxetur, (curatione) præoccupetur; & priusquam extenuetur, ac lecto decumbat, & caput corrumpi, reliquumque corpus tabescere incipiat, incolumis ab ejusmodi morbo evadit: at si neglectus fuerit, istaque prehenderint, ita ut his omnibus aut plerisque affectus sit, perit. Perit autem hic aut ex iis quæ ante dixi, aut ex vomitu, copioso sanguine & pluries per vomitum rejecto. At si vena quidem non omnino rupta fuerit, sed convulsio in ipsa fiat; fit autem præcipue velut varix, quod etiam confestim quidem ubi factum fuerit, dolorem quemdam tenuem, & tussim siccam exhibet: si vero diutius morata & neglecta fuerit; primum quidem paucum & subatrum sanguinem transmittit, mox etiam copiosiorem & sinceriorem, & patitur quæcunque in superioribus dicta sunt. His confert, si circa exordia curandos susceperis, ut & manuum venæ (sanguinem) emittant, & victus ratione utatur, ex qua & siccissimus & maxime exanguis evadat. Ad hunc vero eundem modum etiam venulis in latere, intus in superficie natantibus accidit. Quum igitur affectæ fuerint,

& varicosæ fiunt, & intus elevatæ; si quidem neglectæ fuerint, hæc perpetiuntur, & erumpunt, ac exspuunt a se sanguinem, eumque interdum vomunt & suppurati fiunt, ac plerumque pereunt: quod si incipiente morbo curentur, rursus venulæ in loco ad latus subsidunt, & humiles fiunt. Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso talia perpetiuntur, sicque moriuntur.

CAPUT VII.

De thoracis empyemate a pituitæ e capite defluxione, a pleuritide, a pituita lateri impacta, a labore, & vena rupta; de ventris inferioris suppuratione, ejusque caussis, pituitæ & bilis collectione inter cutem & carnem, & convulsionibus.

AT vero multis modis superiore ventre suppurati fiunt: etenim quum pituita multa e capite confertim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit & pus procreatur: putrescit autem maxime diebus uno & viginti: hoc igitur pus ad latera procedens concutitur, & intus fluctuat. Hic, si priusquam pus diutius immoretur, uratur, aut secetur, plerumque sanus evadit. Fiunt autem & superiore ventre purulenti ex pleuritide, quum vehemens fuerit, neque diebus judicatoriis computruerit, neque per sputum rejecta fuerit, sed adhærescente pituita & bile latus ulceratum fuerit; quumque ulcus factum fuerit, ex se pus effundit, & de vicinis locis præ calore pituitam ad se adducit, & hæc ubi compu-

truit, pus exſpuitur. Interdum vero etiam ex venis ſanguis ſe ad ulcus transfundit, & putrefactus, pus procreatur. Hic, ſi quamprimum (curandus) ſuſcipiatur, plerumque ſanus evadit; ſi vero negligatur, perit. Purulenti quoque etiam fiunt, ſi pituita e capite in latus defluens, adhæſerit ac putruerit; tum enim plerumque latus incenditur, eademque perpetitur, quæ ex pleuritide, quum purulentus fit. Fiunt etiam quum præ labore, aut exercitatione, aut quavis alia cauſa, pars anterior aut poſterior rupta fuerit; & ſic rupta, ut non confeſtim ſanguis exſpuatur, ſed convulſio in carne contingat: caro autem divulſa paucam humiditatem attrahat, & ſublivida evadat; quod quidem ſtatim ita affectus præ robore & bono (corporis) habitu non ſentit, aut ſi etiam ſentiat, nihil moleſti eſſe putat. Hic quum perceperit ſe, ſic febribus detineri, ut extenuetur, aut ex potionibus, aut venere, aut quavis alia re; caro vulnerata aliquantulum reſiccatur, & incaleſcit, & ex vicinis tum venis, tum carnibus humiditatem ad ſe trahit; quumque attraxerit, & tumet & inflammatur, & dolorem tenuem inducit, & tuſſim raram & ſiccam primum; deinde magis ad ſe adhuc attrahit, vehementioremque dolorem, & tuſſim frequentiorem infert; & primum quidem aliquantum purulentum exſpuit: interdum vero ſublividum & ſubcruentum: & quo magis tempus procedit, eo uberius ad ſe trahit & putrefacit, & ipſius carnis quantum per initia lividum erat, id omne ulcus fit, doloremque excitat acutum, & febrem, & tuſſim tum multam, tum crebram, & pus ſincerum per ſputum exſpuit.

SECT

SECTIO II.

QUod si pus in ventre moram traxerit, ab eo totum corpus, præcipueque partes maxime vicinæ incalescunt; incalescente autem corpore, humidum maxime colliquescit; & partim quidem a superioribus partibus in superiorem ventrem præcipue confluit, pusque creatur, creato jam intus addito; partim vero ad inferiorem ventrem defluit, ab eoque interdum alvus turbatur, & hominem perimit. Cibi enim ingesti, crudi per alvum secedunt, neque corpori ab his alimentum accedit; neque sputi per superiora æquabilis fit expurgatio, quum nimirum incalescens alvus deorsum omnia ad se deducat. Et a sputo quidem suffocatur, & non repurgatus stertit; ab alvo autem fluente debilis evadit, & plerumque perimitur. In hujusmodi autem morbis hanc fluxionem præcipue caput præbet, nimirum quum cavum sit, & superiore parte locatum; quum enim ab alvo concalefactum fuerit, tenuissimam pituitam e corpore ad se trahit; quam in se coacervatam, rursus confertam & crassam, velut dictum est, reddit; & pars quidem ipsius in superiorem ventrem, pars vero in inferiorem defluit. Quum igitur caput fluere, corpusque reliquum non amplius æquabiliter colliquescere cœperit, ne usti quidem superstites evadunt. Ad pus enim quæ adfluunt mala, quam quæ effluunt, magis exsuperant; carnesque magis a malis colliquescunt, quam ab ingestis cibis nutriantur. Hi sunt, qui morbis hujusmodi obsidentur, atque ab his nonnulli brevi quidem pereunt; quidam vero etiam multum tempus trahunt. Differt enim corpus a corpore, ætas ab ætate, &

affectio ab affectione, & anni tempus a tempore, in quo ægrotaverint: quidam enim morbos facilius tolerant; quidam vero omnino tolerare nequeunt. Non igitur certum tempus in quo pereunt, datur, neque an longum, aut breve (futurum ſit.) Neque enim certum hoc tempus eſt, quod quidam proferunt, quum plerumque neque hoc ipſum ſuppuret: differt enim annus ab anno & anni tempeſtas a tempeſtate: at ſi quis velit recte de his cognoſcere ac dicere, is ſic cognoſcet, quocunque anni tempore & perire, & ſupereſſe, & quæ patiantur, perpeti.

At vero inferiore ventre ſuppurati fiunt, maxime quidem quum pituita aut bilis inter carnem & cutim affatim collecta fuerit; fiunt etiam & a convulſionibus, quumque venula convulſa rupta fuerit, ſanguis effuſus putreſcit, & ſuppuratur. Quod ſi caro convulſa aut contuſa fuerit, ſanguinem ex venis ſibi vicinis trahit, isque putreſcit, ac ſuppuratur. His, ſi quidem ſe foras oſtenderit, & pus exierit, ſani evadunt; ſi vero ſua ſponte intro proruperit, pereunt. Effuſum autem pus in inferiore ventre generari haudquaquam poterit, velut in ſuperiore ventre fieri dictum eſt, ſed in tunicis & tuberculis innaſcitur, velut a me dictum eſt. Et ſi quidem intro notas præbuerit, cognitu difficile eſt; neque enim ex concuſſione cognoſcere licet: cognoſcitur autem maxime ex dolore ubi fuerit, &, ſi argillam, aut aliud quid hujuſcemodi impoſueris, brevi id reſiccat.

CAPUT VIII.

De eryſipelatis in pulmone ortu, cauſis, ſignis, & curatione; de pulmonis, & lateris tuberculo; de ruptionibus, & evulſionibus in carne, & venis.

AT vero eryſipelas in pulmone gignitur, quum ſupra modum is reſiccatus fuerit; quod & ab ardore, & a febribus, & nimio labore, & intemperie contingit; & quum maxime reſiccatus fuerit, plurimum ſanguinis in ſeſe trahit, maxime quidem ac plurimum ex magnis venis (hæ namque ipſi maxime vicinæ ſunt, ipſique ſuperincumbunt) trahit autem etiam ex aliis vicinis; ſed trahit tenuiſſimum ac debiliſſimum. Quum autem traxerit, febris acuta ex ipſo oritur, & tuſſis ſicca, plenitudo in pectore, dolor acutus in anterioribus & poſterioribus partibus, præcipue vero ad ſpinam, nimirum magnis venis percaleſcentibus; & interdum quidem ſubcruentum, interdum vero lividum vomunt; pituitam vero & bilem etiam vomunt; crebroque animo linquuntur; animo vero linquuntur, ob ſanguinis tranſmutationem derepente obortam, idque præcipue dat ſignum generati in pulmone eryſipelatis, ſi aſſidua febris invaſio contigerit. Huic ſi quidem duobus, aut tribus, aut quatuor ad ſummum diebus diffuſum fuerit, quod intus eſt, & foras tranſierit, plerumque ſanus evadit: ſi vero neque diffuſum, neque tranſmutatum fuerit, intus putreſcit, & ſuppuratus evadit, ac perit; perit autem brevi,

quum nimirum totus pulmo purulentus ac putridus ſit. Quod ſi extra diffuſum, intro vertatur, pulmonemque prehendat, huic ſpes ſalutis nulla ſupereſt. Quum enim antea reſiccatus pulmo ad ſeſe traxerit, non amplius tranſmittit; ſed confeſtim præ ardore ac ſiccitate neque quidquam amplius ſuſcipit, neque ſurſum quidquam diſtribuit, ſed corrumpit.

Tuberculum vero in pulmone ſic oritur. Quum pituita, aut bilis collecta fuerit, putreſcit; & quamdiu quidem adhuc crudum fuerit, tum dolorem tenuem, tum tuſſim ſiccam excitat; poſtquam vero maturuerit, anteriore & poſteriore parte acutus dolor oritur, calores invadunt, ac tuſſis vehemens. Et ſi quidem pus quam citiſſime maturuerit, eruperit, ſurſum vergat, ac totum exſpuatur, venterque in quo pus erat, conſidat ac reſiccetur, prorſus ſanus evadit: ſi vero quam citiſſime ruptum fuerit, maturuerit, ac repurgatum fuerit, neque tamen penitus reſiccari poſſit, ſed ipſum tuberculum ex ſe pus effundat, pernicioſum id eſt; & a capite, reliquoque corpore pituita ad tuberculum defluens, putreſcit, ac pus gignitur, ac exſpuitur; quo homo corruptus perit. Perit autem ex ventris profluvio, ab his, quæ antea dicta ſunt; ipſoque confabulante, & res omnes æque ut priori tempore intelligente, reſiccatur, ac refrigeratur, omneſque corporis venæ contrahuntur, quum nimirum ipſarum ſanguis a febre exuſtus ſit; interdum vero tum ex temporis longitudine, & morbi magnitudine, tum etiam ex inſtantibus ac ſupervenientibus multis. Quod ſi neque ſponte, neque a medicamentis multo tempore rumpi poſſit, dolorum vehementia, inedia, tuſſi, ac febribus ægrotus conſumitur, ac plerumque perit. Si vero jam extenuato, & in le-

cto decumbenti pus eruperit, neque ſic admodum recreantur, ſed eo modo perimuntur. Quod ſi quam citiſſime ruptum quidem & maturatum fuerit; magnaque ſui parte ad ſeptum tranſverſum maturatum effundatur, ſtatim quidem levius habere videtur; progreſſu autem temporis, ſi quidem totum per ſputum rejecerit, & venter, in quo pus inerat, conſidat, ac reſiccetur, ſanus evadit: verum ſi tum tempus longius, tum ipſe debilior fuerit, neque exſpuere poſſit, ſed per uſtionem, aut ſectionem pus exeat, confeſtim quidem hoc ſane etiam modo levius habere videtur; progreſſu tamen temporis, ab his, quæ in priore dicta ſunt, perimitur. In latere autem tubercula quidem oriuntur, tum a pituita, tum a bile, eadem ratione, qua in pulmone: a laboribus etiam fiunt, quum vena aliqua divulſa rupta fuerit, neque tamen prorſus rupta fuerit, ſed in ipſa vulſura facta ſit.

Si quidem igitur rupta fuerit, confeſtim ſanguis ex vena effuſus putreſcit & ſuppuratur: quod ſi vulſura in vena facta ſit, hæc quidem per exordia dolorem excitat & pulſat; progreſſu vero temporis ſanguinem ad carnem vena tranſmittit, & hic in carne putreſcens, in pus vertitur. Eadem vero ratione & caro, ſi ſane plus laboraverit, plus etiam ad ſe ſanguinis ex maxime vicinis venis trahit, & confeſtim pus colligit: ſi vero minus laboraverit, & tardius trahit, & ſuppuratur. Quibuſdam autem cum imbecilles in carnibus, aut venis vulſuræ factæ fuerint, non ſuppurantur, ſed diuturni fiunt dolores, & ruptiones vocantur. Et quæ quidem in carne fiunt, hoc modo fiunt. Quum caro afflicta fuerit, aut divulſa, aut percuſſa, aut aliquid aliud perpeſſa, livida, velut antea dixi, evadit, non ſincero ſanguine, ſed tenui &

aquoſo, eoque pauco: quum vero plus ſolito reſiccata fuerit, tum incaleſcit, tum dolorem exhibet, & ad ſe ex venis & carnibus propinquis humiditatem trahit; ac ubi ſupra modum humectata fuerit, eaque humiditas ab ipſa carne admodum incaluerit, per totum corpus, qualis attracta eſt, diſpergitur. Et magis ſane in venas, quam in carnes, ſpargitur, quum venæ magis quam carnes trahant, quamquam etiam carnes trahunt; quum vero ad copioſam corporis humiditatem exigua a carne attracta fuerit, obſcura & doloris expers evadit, & pro morboſa temporis tractu ſaneſcit. Quod ſi caro tum magis incaluerit, tum copioſam humiditatem traxerit, dolorem exhibet, & ad quamcunque corporis partem ab ipſa irruperit, ac incubuerit, dolorem acutum excitat; & quidam putant ipſis ruptionem tranſmutatam eſſe; at id fieri non poteſt: ſed quæ ſunt ejusmodi & alia, ulceri ſunt proxima. At humor de carne per venas prorumpit; quumque incaluerit, & craſſior copioſiorque evaſerit, dolorem exhibet, donec reliquo humori tenuitate, & frigiditate ſimilis fiat. Quod attinet ad ea, quæ in venis accidunt, ipſa quidem vena in quantum convellitur, loco manet; quum vero convulſa fuerit (divellitur autem contentione & violentia) ſimilis fit varici. Percaleſcit autem, & ad ſe madorem quemdam humidum trahit; mador autem a bile & pituita eſt; quumque ſanguis & humiditas de carne mixta fuerint, craſſeſcit ſanguis, ipſeque multis modis, qua parte venam divelli contingit, ſe ipſo morboſior & longe ſtabilior & copioſior evadit; quumque copioſior fuerit, plenitudo, quocunque tandem contigerit, transfertur, doloremque acutum adfert, ita ut quibusdam ruptio ſibi

loco migraſſe videatur. Quod ſi ad humerum transire contingat, & gravitatem in manu, & ſtuporem, ac torporem inducit: & ſi in venam incubuerit, aut ad humerum & dorſum tendat, confeſtim plerumque dolor ſedatur. Fiunt etiam convulſiones a laboribus, a caſibus, a plaga, & ſi quis onus majus tollat, & a curſibus, ac lucta, & ejusmodi omnibus.

CAPUT IX.

De ſuppuratorum ob carnem, aut venam vulneratam, aut ruptam, ſanatione, reverſione, interitu; ac in ipſorum curatione, quæ animadvertenda ſint, ſexus, ætas, tempeſtas, tempus, affectus, corpus, & alia.

QUicunque autem a vulneribus purulenti fiunt, aut haſta, aut pugione, aut jaculo intro vulnerati ſunt, quamdiu quidem ulcus per antiquum vulnus foras reſpirationem habuerit, & hac parte frigidum in ſe adtrahit, & calidum a ſe emittit; tum pus facile, tum ſane ſi quid aliud, expurgatur. Et ſi quidem tum interna pars, tum externa ſimul ſaneſcant, penitus (æger) ſanus evadit: ſin autem externa quidem pars ſaneſcat, interna vero minime, purulentus fit. At ſane ſi ſimul tum interna, tum externa pars ſanatæ ſint, cicatrix autem intus debilis, aſpera, & livida fiat, quandoque refricatur ulcus, & ſic purulentus evadit: rurſus vero etiam exulceratur, ſi quid plus juſto laboraverit, & ſi extenuatus fuerit, & ſi pituita aut bilis ad cicatricem adfigatur, & ſi morbo alio correptus extenuatus fuerit. Quum autem ulcus exſtiterit, ſive hoc mo-

do, vel si pars externa prius, quam interna, coalescat, dolorem acutum, & tussim, & febrem inducit; ipsumque ulcus, quum amplius calidum sit, sibi ipsi refrigerationem inducit, & a se calidum exhalat, pusque expurgatur, & longiore tempore curatur, & tardius sanescit; quandoque vero minime sanescit: caro etenim ulcusque ab ardore corporis coquitur, & supra modum humectatur, ut neque siccari, neque carnem producere, neque sanescere queat: verum procedente tempore ægrotus moritur, & quæ prius etiam dicta sunt, ejusmodi patitur. At si contigerit, ut ex crassioribus venis aliqua vulneretur, sanguisque intro fluat & putrescat, suppuratus fit. Ac si quidem totum hoc pus sputo rejectum sit, & vulnerata vena coaluerit, ulcusque intus & foris sanatum fuerit, prorsus convalescit: quod si neque ulcus intus coalescere possit, neque vena sauciata consolidetur, sed alias atque alias sanguinem effundat, etiamsi confestim vomatur, & exspuatur, aut etiam putrescat, & pus exspuatur; plerumque perimitur, aut statim sanguinem vomens, aut posteriori tempore, ab iisdem, quæ prius dicta sunt, interfectus. At sæpe quibus vena aliqua a vulneribus, aut quibusdam laboribus, aut exercitationibus, aut alia causa intus sauciatur, quum coaluerit, & sana esse vena videbitur, iterum alio tempore rumpitur; iterumque rumpitur ex iisdem causis, a quibus etiam prius patiebatur. Quum vero iterum rupta est, sanguinem effundit, confestimque copiosum sanguinem & crebro vomentes intereunt, aut subinde recentem sanguinem vomunt; multum autem & crassum pus per totum diem spuentes, eodem aut consimili modo pereunt, velut in aliis morbis dictum est. At vero in his qui ejusmodi

aut ſimilibus morbis detinentur, multum ad faciliorem aut difficiliorem liberationem intereſt, virne ſit, an mulier; juvenis, an ſenex; & mulier juvencula, an vetula; ac præterea quoque qua anni tempeſtate ægrotent, & num ex alio morbo, aut non ex alio ægrotent. Differt etiam affectus ab affectu, major a minori, corpus a corpore, & curatio a curatione. His autem ita differentibus, tempus etiam differre neceſſe eſt; & in aliis quidem longius fieri, aliis vero brevius; & alios perire, aut non; & aliis quidem morbos perdurare, & majores eſſe; aliis vero minores, & brevioris temporis; aliis quoque ad ſenectutem uſque permanere, & commori; alios vero ab ipſis brevi interire. Et qui quidem juniores eas patiuntur affectiones, quæ a laboribus fieri dictæ ſunt, ii & plures & vehementiores patiuntur, plusque cæteris dolent, & confeſtim iis manifeſtæ fiunt, ut ſanguinem aut ſpuant, aut vomant: ſed quædam etiam oborientia propter bonam corporis habitudinem ipſos fugiunt. Seniores vero raro quidem afficiuntur; quod ſi afficiantur, debilius afficiuntur, quum debiliores ſint, & ſentiunt magis, ac majorem curam habent incommodorum. Seniori igitur hæc per initia omnino minus contingunt, quam juniori; quumque facta fuerint, ſeniori quidem debiliora, juniori vero vehementiora accidunt: & juniori quidem, ut qui corporis vegetas habet vires & ſiccitatem, carnemque denſam & validam, & ad oſſa adhæreſcentem, & cutem ei undique obtentam, ſi quid plus ſolito laboraverit, vehementes convulſiones magis & derepente contingunt, multæque & variæ venarum & carnium ruptiones: atque horum quædam ſtatim quidem manifeſta fiunt, quædam vero poſteriori tempore

comparent. Senioribus autem corporis vigor non inest, carnesque circum ossa diffluunt, cutisque carnes ambiens, & ipsa caro rara est ac debilis; neque tale quid pati possit, ut junior, & siquid patiatur; leviter patitur, statimque manifestum redditur. Adeo quidem per affectionum exordia difficilius juniores, quam seniores liberantur: quum vero morbus conspicuus factus fuerit, & aut pus, aut sanguinem, aut utrumque exspuerint, qui quidem juniores sunt, quum nimirum robustum, ac densum ipsorum sit corpus, non æqualiter ab ulceribus, quæ pus in superiore ventre habent, repurgari possunt: neque enim pulmo, quum densior sit, admodum ad arterias trahit; arteriæque tenues & angustæ, pus, nisi paucum & raro, non excipiunt; quare pus & in thorace, & ulceribus colligi, & crassescere necesse fit. At florentem ætatem transgresso pulmo rarior, & magis cavus est, arteriæque ampliores, adeo ut pus in ventre & ulceribus diutius non immoretur; & quicquid insuper acciderit, id totum a pulmone in arterias sursum attrahi, confestimque exspui necesse est. In juniore igitur quum affectiones sint vehementiores, & purgatio pro sputi ratione non procedat, febres acutiores & frequentiores oriuntur; doloresque acuti tum ipsius affectionis, tum reliqui corporis incidunt, quum nimirum venæ robustæ sint & sanguine refertæ: ubi vero hæc percaluerint, ex ipsis dolores alias ad aliam corporis partem pervadunt; & hi quidem plerumque brevi perimuntur: senioribus vero quum debiliores sint affectiones, & ab his sputum repurgetur, tum febres leniores paucæque oriuntur, tum dolores adsunt quidem, sed leves adsunt. Et ab hujusmodi quidem affectionibus ne senes quidem pror-

ſus liberantur, ſed multo tempore ipſis vexati pereunt; interdumque pus ſpuunt, interdum ſanguinem, quandoque vero neutrum; tandem vero cum his moriuntur. Sic autem potiſſimum moriuntur; quum aliquis morbus huic, quem habent, ſimilis eos prehenderit, ita ut hoc etiam detineantur; & is, quem prius habuerint, vehementior fit, & ut plurimum conſumpti pereunt. At morbi, qui hæc potiſſimum efficiunt, ſunt pleuritis & pulmonum inflammatio.

CAPUT X.

De febris, rigoris, horroris, ac ſudoris frigidi & calidi, ortu, & cauſis.

EX his autem febris gignitur. Quum bilis, aut pituita incaluerit, ab his reliquum totum corpus caleſcit, & hoc vocatur febris. Caleſcit autem bilis & pituita, intus quidem a cibis & potibus, a quibus & nutritur & increſcit; extra vero, a laboribus & vulneribus, & a calido ſupra modum calefaciente, & a frigido plus æquo refrigerante: incaleſcit etiam a viſu & auditu; ſed ab his minimum. At vero rigor in morbis fit quidem etiam ab externis, ventis, aqua, & aëre ſereno, & aliis id genus: fit quoque & ab ingeſtis cibariis & potibus: præcipue autem vehementior fit, quum bilis & pituita, aut ex his alterum, aut utrumque ſanguini ſimul permixtum fuerit; magis tamen ſi ſola pituita permixta ſit; pituita enim natura frigidiſſima eſt, ſanguis vero calidiſſimus, bilis autem aliquanto ſanguine frigidior. Quum igitur hi humores aut ambo, aut alter cum ſanguine permix-

ti fuerint, ſanguinem congelant; non penitus tamen, neque enim vivere homo poſſet, ſi ſanguis multo denſior & frigidior ſeipſo fieret. Ubi igitur ſanguis refrigeratur, totum corpus reliquum refrigerari neceſſe eſt; idque quum hujuſmodi evenerit, rigor appellatur. Et ſi quidem vehemens rigor fuerit, vehementior etiam eſt tremor: ſanguine enim in ſe coëunte & congelato, dum venæ contrahuntur, corpus & contrahunt, & tremere faciunt: quod ſi minus in ſe coeat ſanguis, id quidem rigor appellatur: horror autem dicitur, quod eſt debiliſſimum. At vero quod poſt rigorem neceſſario corripiat febris aut major, aut minor, ſic (ſe res) habet. Quum ſanguis percaluerit, perque vim eruperit, rurſusque ad ſuam naturam redierit; quod pituitæ & bilis ſanguini permixtum eſt, ſimul percaleſcit, & ſanguis ipſe ſe ipſo multo calidior fit: his igitur percalefactis, poſt rigorem, præ ſanguinis caliditate febrem ſuboriri neceſſe eſt. Sudor vero iſtam ob cauſam ſuboritur. Quibuscunque morbi præcipuis ad judicationem diebus judicantur, & ignis deſinit, quidquid eſt in ſanguine pituitæ & bilis tenuiſſimum, eliquatur & ſecernitur, partimque extra corpus abit, partim vero intus in corpore relinquitur; quod autem a calore attenuatur, vapor fit, & cum ſpiritu mixtum foras prodit. Hæc quidem ſunt ejusmodi, & ab his ſudor ortum ducit: cur autem interdum quidem calidus, interdum vero frigidus ſit, ita contingit. Calidus certe ex percalefacto malo, & exuſto, attenuatoque, ac debili, neque admodum multo ſecernitur; eumque ex corpore calidiorem excerni neceſſe eſt: frigidus autem ex malo copioſiore ſecernitur, & ex eo quod relinquitur, & adhuc invaleſcente, necdum putrefacto, neque

attenuato, neque exusto, frigidior, crassior & graveolentior prodit. Hocque inde manifestum fit: qui frigidum sudorem exsudant, plerumque longis morbis ægrotant, invalescente malo, quod in corpore relinquitur; qui vero calidum sudorem emittunt, celerius morbis defunguntur.

CAPUT XI.

Pleuritidis ac peripneumoniæ, cum sputo, ac sine sputo, ortus, causæ, partes affectæ, curatio; qui pleuritici, qui peripneumonici intereant, aut salvi, aut suppurati evadant.

AT vero pleuritis & peripneumonia hoc modo oriuntur. Pleuritis quidem, quum cumulatæ & validæ potiones admodum occupaverint: a vino enim percalescit totum corpus, ac humectatur; potissimum vero bilis & pituita percalescit ac humectatur: quum igitur his commotis & humectatis, temulentum sive sobrium rigore corripi contingit, quippe quod latus corporis præcipue natura carne nudum sit, neque sit quicquam intus, ipsi quod renitatur, sed cavum sit, maxime rigorem sentit: quumque & riguerit & perfrigeratum fuerit, tum caro quæ est in latere, tum venulæ contrahuntur & convelluntur; & quantum in ipsa carne, aut in ejus venulis, bilis inest ac pituitæ, id magna ex parte, aut totum intro ad caliditatem propulsum, carne extra condensata, secernitur, & ad latus impingitur, doloremque vehementem excitat & percalescit, propterque calorem ad se ex proximis venis & carnibus pituitam & bilem trahit. Atque

hoc ſane modo ſit: cum vero quæ ad latus impacta ſunt putruerint, & per ſputum rejecta fuerint, convaleſcunt. Quod ſi & antiquum multum ad latus impactum ſit, & aliud inſuper acceſſerit, ſtatim intereunt, quum ob ſalivæ copiam exſpuere nequeant; aut purulenti fiunt, & alii quidem intereunt, alii vero evadunt. Hæc autem in ſeptem, aut novem, aut undecim, aut quatuordecim diebus, de ſe indicium præbent; dolorem quoque ad humerum & ad claviculam & ad axillam hac de cauſa excitant.

Vena quæ ſplenitis vocatur, a liene ad latus tendit, a latere vero ad humerum & ad manum ſiniſtram: jecoraria autem in dextram partem ad eundem modum; quumque ejus pars quæ in latere eſt, a rigore contracta fuerit, ſanguiſque in ea inhorruerit, alam, & jugulum humerumque petit, & convellit, & dolorem infert. Ad eandem quoque rationem loci circa dorſum ab impacto lateri pituitæ & bilis humore percaleſcunt, & lateris locis inferioribus quandoque dolorem exhibet; ſæpe vero ſi ad inferiores partes convertatur, dolorem per venulas ad veſicam tranſmittit, multum & biliofum (æger) meiit; hujuſque morbi cauſam & principium rigorem eſſe exiſtimant. At vero peripneumonia fit, quum commotam & calefactam pituitam & bilem, calore ex vicinis locis pulmo in ſe traxerit ad ea, quæ jam in ipſo ſunt: totum quidem corpus percalefacit, doloremque præcipue dorſo, coſtis, humeris, ac ſpinæ exhibet; quum nimirum ab his plurimam ad ſe humiditatem attrahat; hæque partes ſupra modum reſiccantur, nimiumque incaleſcunt. Quum vero ad ſe traxerit, & bilis, ac pituita ſedem in pulmone fixerit, putreſcit, & ſuppuratur. Et, ſi quidem præcipuis

judicatoriis diebus putrefacta per sputum rejecta fuerint, superstes evadit (æger): si vero susceperit quæ per initia obvenerunt, aliaque præterea accesserint, & neque spuens, neque putrefaciens superaverit, præ copia supervenientium plerumque hi moriuntur. Quod si ad duos & viginti dies perveniant, febrisque dimittat, neque in his per sputum repurgati fuerint, purulenti fiunt: fiunt autem ex his maxime, quibus pleuritis & peripneumonia vehementissimæ inciderunt. Fit autem & pleuritis sine sputo, & peripneumonia, ambæ ex eadem causa, ex siccitate. Siccant vero & calida, ubi supra modum calefaciunt, & frigida quoque, quum supra modum refrigerant: induratur autem latus, & convellitur, quæque in eo sunt venulæ, & quantum in eo est pituitæ & bilis, id a calore intus resiccatur, doloremque infert, & a dolore febrem. Huic confert venam pertundere in brachio splenitidem appellatam, aut jecorariam, ad utram sane morbus vergit: sicque lateris & aliarum partium dolor levatur. Vena enim quidquid in ea inest bilis & pituitæ, & ipsius sanguinis morbosi, una cum his magna ex parte foras emittit: pars vero ex carne medicamentis & potionibus diffunditur, & fomentis tepentibus extrinsecus admotis, adeo ut morbus per totum corpus dispergatur. Vocatur autem hæc pleuritis sputi expers. Peripneumonia vero, quum ipse etiam pulmo supra modum exsiccatus fuerit, quumque quod in eo bilis aut pituitæ inest, neque æquabiliter putrefacit, neque per salivam rejicit, & quod in eo est humiditatis, aut a potu, aut a sorbitione, aut a vicinis locis, id totum & nimia siccitate & caliditate exurit. Huic confert potiones bibere, quibus pulmo hume-

ctatur & exſpuit: niſi enim exſpuerit, & durior pulmo evadit, ſimulque areſcit, & hominem perimit.

CAPUT XII.

Febris ardentis ſubjectum, ortus, inſultus, cauſæ, ſymptomata, in peripneumoniam tranſitus, pernicies; de phrenitide & melancholia; a ſanguine prudentia, a bile delirium.

AT vero febris ardens promptius bilioſos prehendit, corripit etiam pituitoſos; corripit autem hoc modo. Quum bilis per corpus commota fuerit, & contigerit, ut venæ & ſanguis bilem trahant (eamque copioſiſſimam ex carnibus & ventriculo trahant); qui prius ineſt, quippe quod natura calidiſſimus in corpore ſanguis ſit, quum ex carnibus & ventriculo percaluerit, ſupra eum qui jam ineſt, amplius adhuc a bile, reliquum etiam univerſum corpus percalefacit: & quædam ſane partes ob copioſam humiditatem penitus reſiccari nequeunt: quod ſi reſiccatæ fuerint, homo perimitur: quædam vero in ſummis corporis partibus, nimirum natura ſiccæ, reſiccantur, plurimumque ex ipſis humidum exuritur; ac ipſas ſi attingere velis, frigidas & ſiccas comperies. Quapropter qui febre ardente corripiuntur, internis quidem partibus a febre uruntur, externis vero frigidi ſunt, linguaque & fauces ab interno ſpiritu, & calore exaſperantur, & areſiunt. Quidquid autem bilis in ventriculo & veſica ineſt, quod quidem in ventriculo eſt, interdum quidem per inferiora extur-

turbatur, plerumque vero primis diebus, aut quatuor, aut quinque evomitur; evomitur autem hanc ob caussam. Quum superior ventriculus supra modum incaluerit, ad se trahit, & vomitus excitatur: ob idque ipsum ex febre ardente & ex pleuritide, in peripneumoniam potissimum morbi transmutantur. Quum enim superior ventriculus supra modum incaluerit, ad se se trahit, pulmoque excipit, fitque peripneumonia; ac plerumque pereunt, quum nimirum jam debiles sint; alioque suborto novo morbo, dies producere nequeunt, usque eo dum sputum in pulmone concoctum fuerit; sed ut plurimum debilitate mature pereunt: quidam vero supersunt. Quibus autem in vesicam bilis aliquid confluit, urina crassa mejitur (crassa autem a pituita) biliosum vero dejicitur, eo quod exusta sunt, quæ in ventre insunt. Phrenitis autem hoc modo se habet. Sanguis, qui inest homini, plurimum ad prudentiam confert; quidam vero dicunt, totum. Quum igitur bilis commota venas & sanguinem subierit, ex consueta compage & motione sanguinem dimovet, & sero diluit, & percalefacit: percalefactus autem totum reliquum corpus percalefacit, & homo delirat, neque apud se est: propter febris magnitudinem, & sanguinis serosi insuetam generationem & agitationem. Qui vero phreniticde detinentur, quod ad mentis alienationem, melancholia laborantibus sunt assimiles. Melancholia enim vexati, quum a bile & pituita sanguis corruptus fuerit, morbo corripiuntur, & mente alienantur, quidam etiam insaniunt, & in phrenitide eodem modo. Quo vero bilis pituita minor est, eo levior tum insania, tum mentis alienatio contingit.

CAPUT XIII.

Unde ſubcruentum, & lividum ſputum in pleuritide ac peripneumonia; & qui & unde ex his morbis, ut & febre ardente, & phrenitide intereant.

AT in pleuritide & peripneumonia hanc ob cauſam ſubcruentum & lividum ſputum exſpuunt. Per exordia quidem ſæpe neutrum exſpuunt, neque lividum, neque ſubcruentum; noſſe autem oportet, morbum vehementem eſſe: quum vero ſputum ſubcraſſum ſpuere cœperint, tum præcipue purgantur. Exſpuitur autem ex venarum diſtenſione, in pleuritide quidem, ex his quæ ſunt in latere; in peripneumonia vero ex his quæ ſunt in pulmone, qui caliditatem ad ſeſe trahit. Quod ſi ægro abſceſſus intro ruptus fuerit, & purulentus evadat, ſtatim primo die ſanguinem & (pus) ſubcruentum & lividum cum ſaliva exſpuit. Lividum autem a ſanguine fit, ſi paucus (ſanguis) ad multam ſalivam commixtus fuerit, neque confeſtim ſpuatur, ſed intus ſemiputrefactum & eliquatum maneat in corpore. Ex pleuritide autem intereunt, quum circa exordia copioſa quidem pituita & bilis lateri impacta fuerit, multaque ex reliquo corpore præterea adfluxerit, quam neque ſpuendo propter copiam, neque putrefaciendo ſuperaſerit (ægrotus). Arteriæ autem implentur ab his quæ intus ſunt, pituita ac pure, ob idque ſtertit, crebroque indidem ſuperne reſpirat; ad extremum autem omnia obturantur, & interit. Eodem ipſo modo ex peripneumonia pereunt. Qui-

cunque vero ex febre ardente intereunt, omnes ex ſiccitate intereunt: primùm quidem extremæ eorum partes, pedes & manus, reſiccantur; deinde vero (alia proxima fiunt) ſicciora. Quum autem penitus corporis humor exuſtus & reſiccatus fuerit, ſanguis quidem penitus concreſcit & perfrigeſcit; reliquum vero corpus exſiccatur, ac ſic interit. At ex phrenitide ita perit. In hoc morbo perpetuo delirant, quum nimirum ſanguis corruptus, & extra conſuetam agitationem motus ſit; quumque deſipiant, nihil quidquam effatu dignum eorum, quæ offeruntur, accipiunt: procedente vero tempore marceſcunt & conſumuntur, tum a febre, tum quod nihil alantur. Ac primum quidem extremæ partes imminuuntur & perfrigerantur; deinde etiam proximæ. Ac frigoris & febris & dolorum hoc habet principium: quum ſanguis, qui in venis eſt, a pituita refrigeratus fuerit, confeſtim in aliam atque aliam partem devolvitur, & convellitur, ac tremit; ad extremum etiam perfrigerantur omnia, & interit.

HIPPOCRATIS
DE MORBIS
LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

DE L. II. & III. valent, quæ ad Librum I. monui-

mus. Hi enim libri pleni ſunt nominibus morborum ex peculiari aliquo ſymptomate cognomen trahentium, ut febris ſingultiens, interficiens, pulmo denſus, plenus. Medicamenta fere ubique eadem, quies, vomitus, alvi laxatio, ptiſana, mellea & acetoſa, cibi ſuis nominibus definiti. In Libro tamen II. magis ex victus ratione auxilia repetuntur, in libro tertio ex re medicamentaria: efficaciora eadem, & ipſæ hiſtoriæ morborum meliores, ut pleuritidis, peripneumoniæ, empyematis, quos eoſdem etiam in Libro I. deſcriptos reperias. Ad Gnidios medicos referas, quod nimis vehementia medicamenta fere laudentur, ut ad ſputum expediendum viride aeris, radix ari, Helleborus, thapſia, peplium. GALENUS *hos libros magnum vocat, parvumque.*

ARGUMENTUM LIBRI I.

Plurimæ morborum ſpecies docentur, tum univerſo corpori, tum variis partibus, capiti, cerebro, naribus, auribus, oculis, ori, faucibus, cordi, pulmonibus, aſperæ arteriæ, pectori, dorſo, imo ventri, hepati, lieni, & artubus inſidentium, cum cauſis, ſignis & curatione.

SECTIO I.

CAPUT I.

De capitis intemperie calida cum pituita, & bile, ejusque symptomatibus ac effectibus, urina copiosa, stranguria, visus hebetudine, corporis crassitudine, tumore, probo colore, ulceribus, auriginoso colore, urinæ difficultate, delirio, supervomitu venarum, bilioso vomitu, aurium sonitu, auditus gravitate, capitis dolore, gravitate, vertigine; & quid sanguis.

QUum caput immoderatius incaluerit, copiosa urina redditur. Liquatur enim in eo pituita; liquescens autem partim quidem ad nares, partim ad os, partim etiam per venas, quæ pertinent ad pudendum, secedit: quum autem ad pudendum pervenerit, mejit æger, eademque patitur quæ ab urinæ stillicidio. Quum vero oculorum venas pituita subierit, oculorum caligine vexantur. Visus enim aquosior & turbidior evadit, neque oculorum splendor similiter splendidus est, neque si quis cernere velit, apparet, ut cum lucidus & purus erat. Hic quadraginta diebus potissimum sanus evadit. Quod si longo post tempore morbus redeat, cutis capitis crassescit, & corpus reliquum attollitur, crassescit, ac bene coloratur. Huic pituita ad carnes convertitur, & ab hac crassus esse videtur. Carnes enim quum perfusæ, elevatæ, & rariores sint, ex venis sanguinem trahunt, ac propterea ægri bene colorati esse videntur.

Alius morbus. Caput ulceribus impletur, corpusque intumescit, & color est auriginosus, & alia

atque alia corporis parte ulcera erumpunt, & febris ſubinde corripit, & ex auribus aqua fluit. Quum huic in capite pituita aliquantum bilioſa innutrita fuerit, ulcera quidem oriuntur, ubi ſinciput pituita & bile perfuſum fuerit, atque tum pituita, tum bilis rara, & accumulata ſit; hæc enim conſiſtit, putreſcit, & exulceratur: attenuata vero pituita ad aures tranſmittitur. In reliquo autem corpore ad eandem rationem qua in capite, ulcera oriuntur, quacunque in parte computrefactus ſanguis & bilis coacervata fuerint; ea enim parte caro putreſcit & ulceratur, prætereaque advenientem pituitam & bilem putrefacit, puſque gignitur.

Alius morbus. Totum caput dolor obſidet, & bilem vomit, difficultate urinæ premitur, & delirat. Hic quidem dolore vexatur ob immoderatum capitis calorem; delirat autem, quum ſanguis capitis a bile & pituita admodum calefactus fuerit, & plus ſolito agitatus: bilem autem vomit, quum nimirum ipſa in corpore ſit agitata. Et caput præ calore ad ſe trahit, & craſſiſſimum quidem vomit, tenuiſſimum vero ad ſe trahit. Urinam autem reddit in hoc morbo ex iisdem cauſis, ut etiam in ſuperiore dictum eſt.

Alius morbus. Si circa cerebrum venulæ (ſanguinem) ſuperevomant, nomen quidem morbo rectum non exſtat, (neque enim fieri poteſt, ut vena aliqua, ſive ex minoribus, ſive ex majoribus, ſuperevomat) ſupervomitum tamen appellant & dicunt. Quod ſi quam maxime ſuperevomat, morbus ab eo fieri minime videtur: non enim a bono malum oriri poteſt, neque a malo utique bonum fiat; neque rurſus bonum plus juſto fieri poteſt: verum ſuperevomere videntur, quum bilis aut pituita venas ſubierit. Venæ enim attolluntur, & pul-

ſant, & dolor toto capite oboritur, aureſque ſonitum percipiunt, & nihil audiunt: ac ſonitum quidem percipiunt, venis nimirum pulſantibus ac palpitantibus; tunc enim ſonitus in capite eſt. Graviter vero audiunt, partim quidem ob internum ſtrepitum & ſonitum; partim etiam ubi cerebrum & ipſum ambientes venulæ attolluntur; nam immoderatiori calore, vacuam circa aurem partem cerebrum ex ſe implet; & quum nimirum par aëris copia non inſit, velut priori tempore, neque æqualem ſonum exhibeat, ea, quæ dicuntur, non æqualiter ſe imprimunt, indeque gravis auditus oboritur. Hic, ſi quidem ei ad nares, aut ad os aqua & pituita erumpat, ſanus evadit: ſi vero non erumpat, ſeptimo fere die moritur. At ſi in capite venæ ſuperevomuerint, ſuperevomunt autem ab iiſdem, quæ antea dicta ſunt; quod vero hoc modo ſuperevomant, hoc ſignum eſt. Quum quis aut manum, aut caput, aut aliam corporis partem ita affectam incidit, ſanguis niger, & turbidus, ac morboſus effluit; quamquam neque ſanguinem nominare fas ſit, niſi qui ruber, & ſincerus fluit. Quum autem ab iiſdem cauſis ſuperevomuerint, dolor, tenebricoſa vertigo, & gravitas caput occupat; dolor quidem, præ immoderato ſanguinis calore; tenebricoſa vero vertigo, quum ſanguis conferta copia ad faciem proceſſerit; gravitas autem, nimirum quum copioſior ſanguis in capite, & magis bilioſus & morboſior, quam intus, ſit.

CAPUT II.

Morbi capitis; cerebri ſideratio, oſſis capitis caries, ſidere ictus; eorumque affectuum cauſæ, ſigna, prognoſtica, ſymptomata.

CErebri ſideratio. Si cerebrum ſideratum fuerit, dolor ex capite ſpinam occupat, & ad cor animi deliquium frequens accedit, & ſudor adeſt, & æger fit inſomnis, & ex naribus ſanguis fluit; plerumque vero ſanguinem vomit. Sideratur autem hoc modo cerebrum. Quum aut immoderatius calefactum aut refrigeratum, aut plus ſolito bilioſum aut pituitoſum evaſerit: ubi vero horum aliquid perpeſſum fuerit, ſpinalem quoque medullam ſupra modum calefacit; quumque hæc percaleſcit, ſpinæ dolorem inducit. Animo autem linquitur, ubi pituita & bilis ad cor conſiſtit; conſiſtere vero his agitatis & humectatis, neceſſe eſt. Sudor autem præ dolore fit. Sanguinem vero vomit, quum capitis quidem venæ a cerebro calefactæ fuerint; quæ vero prope ſpinam ſunt, a ſpina; ſpina autem, a ſpinali medulla; & ſpinalis medulla a cerebro, unde originem ducit: quum igitur venæ incaluerint, & ſanguis in his efferbuerit, venæ quidem capitis ipſum ad nares & ad os diſtribuunt; a ſpina vero ortæ ſanguifluæ, ad corpus. Hic tertio, aut plerumque quinto die moritur.

Alius morbus. Dolor derepente caput prehendit, ſtatimque vox ceſſat, ac ſui impotens fit; hic intra ſeptem dies, niſi eum febris (magna) corripuerit, interit; ſi namque corripuerit, convaleſcit. Hæc autem patitur, quum ei ſanguis melancholicus in capite agitatus fluxerit, maxi-

meque in partem, in qua plurimæ ſunt venulæ, in cervicem dico, ac pectus: deinceps & continuo attonitus fit, ac impotens, ſanguine nimirum perfrigerato: quod ſi ſuperior evaſerit, ita ut ſanguis incaleſcat, ſive ab his quæ offeruntur, ſive a ſeſe, attollitur, & diffunditur, ac movetur, ſpirationemque inducit, & ſpumeſcit, & a bile ſeparatur, & ſanus evadit: ſi vero minime ſuperaverit, magis refrigeratur, quumque omnino perfrigeratus fuerit, eumque calor defecerit, congelatur, neque moveri poteſt, ſed moritur. Quod ſi ex ebrietatibus hac patiatur (etenim & hoc contingit) etiam moritur.

Caries oſſis capitis. Quum in oſſe caries contigerit, dolor ex oſſe invadit. Temporis autem progreſſu, cutis a capite alia atque alia parte diſcedit. Hic autem his afficitur, quum intra duplicatam oſſis laminam ſuccedens pituita reſiccata fuerit; hac enim parte rareſcit, & omnis ab eo humiditas deficit, quumque aridum ſit, cutis ab eo diſcedit. Hic morbus minime lethalis eſt.

Alius morbus. Si attonitus fiat, anterius caput dolet, & oculis inconſtanter videt, & ſopore detinetur, & venæ pulſant, & febris levis detinet, & corporis impotentia. Hic his afficitur, quum venæ in capite calefactæ fuerint, calefactæ vero pituitam ad ſe attraxerint. Morbi igitur principium inde oritur: ideo vero anterius caput dolet, quod in eo venæ ſint craſſiſſimæ, & cerebrum ad anteriorem capitis partem magis ſitum, quam poſteriorem ſit. Propterea que oculis non videt, (illuc) procumbente cerebro, ac inflammato. Impotentia vero ad motum ideo corpus obſidet. Ubi venæ pituitam ad ſe traxerint, pituitæ frigiditate ſanguinem magis nunc, quam priori tempore, ſiſti & perfrigera-

tum esse necesse est: at dum sanguis non movetur, fieri non potest, quin & corpus quiescat, & profundo somno teneatur. Quod si quidem sanguis reliquumque corpus superaverit, adeo ut calescat (æger), evadit: quod si pituita superaverit, sanguis magis refrigeratur, & concrescit: & si refrigeratio & concretio magis increscant, homo prorsus refrigeratus, ac congelatus perit.

CAPUT III.

De angina, uva, de gurgulione rubente, ac nigrescente, tonsillis, & oris partibus affectis.

ANgina. Oritur autem angina, quum pituita in capite agitata, deorsum confertim fluxerit, & in maxillis ac circa cervicem constiterit. Hic salivam deglutire non potest, violenter autem respirat, ac stertit, ac interdum etiam eum febris detinet. Igitur morbus inde oboritur, & interdum sub ipsa lingua, interdum paulo supra pectus.

Uva. Fit autem uva, quum ad gurgulionem a capite pituita descenderit, isque pendulus & rubicundus evadit, & successu temporis nigrescit; nigrescit autem hoc modo. Gurgulio venosus est, & crassus, & ubi inflammatus est, calescit, ac præ calore sanguinem ex vena attrahit, & ab ipso nigrescit. Quare nisi turgentem confestim seces, palpitando spiritum & animam efflant (ægri); vena enim percalefacit, & præ calore circumstantia gurgulionem loca implet sanguine, & brevi suffocantur. Tonsillæ. Tonsillæ autem, & partes sub lingua sitæ, gingivæ, & lingua, & quæcunque hujus-

modi hoc loco consistunt, eæ omnes partes a pituita ægrotant. Pituita autem ex capite descendit: caput vero ex corpore trahit; trahit autem, ubi percalefactum fuerit; percalescit autem a cibariis, sole, laboribus, & igne: quum autem percaluerit, ad se tenuissimum e corpore trahit; ubi vero adtraxerit, id rursum in corpus descendit.

CAPUT IV.

De morbis a capite repleto ortis, torpore, frequenti mictu, stranguria; ac de eorum curatione diætetica, pharmaceutica, & chirurgica.

MOrbi, qui a capite oriuntur. Quum caput repletum fuerit, & ab horum aliquo incaluisse contigerit, torpor caput detinet, & crebro urinam reddit, aliisque afficitur, quæ ex urinæ stillicidio contingere solent. Is novem diebus hæc patitur: quod si certe per nares aut aures, aqua & mucus erumpat, a morbo liberatur, stranguria cessat, urinamque multam & albam ad viginti dies sine labore reddit, capitis dolor desinit, & intuenti splendor ex oculis ipsi clam subducitur, & dimidiatas (rerum) facies sibi cernere videtur. Hic quadragesimo die prorsus convalescit: multis tamen quandoque morbus septimo, aut decimo quarto anno revertitur: & capitis cutis ei crassescit, & tactui cedit, ac ex paucis cibariis mollis beneque coloratus apparet, neque acute audit. Quum sic habentem per morbi initia offenderis, antequam per nares & aures aqua erumpat, eumque intensus dolor detineat, deraso capite, circum frontem scorteum

utriculum, aqua quam ferre poterit calidissima plenum, adligare oportet, & ipsum tepefieri sinere; & ubi refrixerit, aliam aquam infundere; quod si debilis evadat, cessare; & intermissione facta, rursus eadem repetere, quoad vehemens dolor remiserit; si vero alvus non subducatur, eam subluere, & propinatis urinam ducentibus, aquam mulsam aquosam superbibendam exhibere; & quam maxime foveatur; succumque ptisanæ tenuem sorbeat. Quod si venter non subducatur, mercurialem aqua coctam contundito, succum percolato, ejusque parem portionem cum ptisanæ succo permisceto, & pauco melle succo admixto, hunc ter die sorbeat, vinumque mellitum, aquosum, album, modicum, post sorbitionem propinato. At postquam ei per nares mucosa eruperint, & urinam crassam reddiderit, doloreque capitis liberatus fuerit, utre ne amplius utatur, sed multa & calida lotus, urinam moventia, & aquam mulsam aquosam bibat. Et primis quidem diebus milium delingat, & cucurbitam, aut betas per triduum edat; deinde cibis quam mollissimis, & alvum maxime subducentibus utatur, parco semper cibo addito. Diebus vero quadraginta elapsis (tanto enim tempore morbus præcipue circumscribitur) ubi ipsius caput repurgaveris, prius medicamentum deorsum purgans exhibebis; si anni tempestas permiserit, deinde serum septem diebus propinabis, aut si debilis sit, paucioribus. Quod si revertatur morbus, toti corpori fomento adhibito, postridie veratrum potui exhibeto; deinde quantum temporis tibi videbitur intermittito, tuncque capite repurgato, exhibito medicamento deorsum purgante, capiti octo crustas inurito, duas quidem ad aures, duas in temporibus, duas vero in occi-

pitio hinc atque hinc ad cervicis initium, duas in naribus juxta oculorum angulos; venas autem juxta aures, quoad pulſare ceſſent, urito: ferramentis vero cuneoli forma paratis venas tranſverſas perurito. Atque hæc ubi feceris, ſanitas continget.

CAPUT V.

De capitis ac tibiarum ulceribus, ac tumidis cruribus; de capitis dolore cum bilis vomitu, & dyſuria, eorumque affectuum curatione.

ALius morbus. Ulceribus caput impletur, & crura intumeſcunt, velut ab aquæ potu, & tibiæ (ulceribus) offarciuntur; ac ſi premas, color eſt auriginoſus, ulceraque alias alia corporis parte, maxime vero in tibiis erumpunt, & prava aſpectu videntur; depoſita vero inflammatione, celeriter ſanantur, febrisque ſubinde corripit; caput autem perpetuo calet, & ex auribus aqua fluit. Quum ſic habet, medicamentum ei exhibeto, quod pituitam & bilem ſurſum purget; ſi quidem frigus fuerit, ubi prius foveris & calida laveris. Deinde trium dierum intermiſſione facta, caput purgato; poſteaque medicamentum deorſum purgans bibendum dato: quod ſi anni tempus ferat, ſerum deinceps propinato; ſin minus, lac aſininum. Poſt purgationes autem cibis quam pauciſſimis; maximeque alvum ſubducentibus utatur, neque lavet. Quod ſi caput ulceretur, ſmegmate ex vini fæce uſta parato, glandis putamen læviter tritum admiſceto, nitri pari portione admixta, quibus defrictus, multa calida lavetur. Caput autem inungatur,

baccis lauri tritis, gallis, myrrha, thure, argenti flore, adipe suillo, & oleo laurino; quibus commixtis illinito. Post hæc autem vomitionibus ter in mense utatur, exerceat se, & calida lavetur. Quod si cum hæc feceris, morbus quidem ex reliquo corpore discesserit: in capite autem adhuc ipsi ulcera oriantur, rursus capite purgato, medicamentum deorsum purgans postea propinato. Deinde caput derasum levibus incisuris incidito: quumque sanguis effluxerit, confricato; mox lanis succidis vino madentibus obvolvito; quumque solveris, spongia detergito, nec madefacito; deinde insperso cyparissi pulvere, oleo sublinito; laneis autem vinculis, quoad sanus evadat, utatur.

Alius morbus. Caput dolor vehemens corripit, & ubi quis vel paululum agitatur, bilem vomit; interdum vero difficulter mingit, & mente alienatur; quumque ad septimum diem pervenerit, quandoque moritur: quod si septimum transmiserit, etiam nono aut undecimo die, nisi ei per nares, vel aures effluxerit: si vero eruperit, evadit: fluit autem aqua aliquantulum biliosa; deinde successu temporis putrefacta, pus gignitur. Quum igitur ita habuerit, quamdiu quidem dolor vehemens tenuerit, per initia, antequam ex naribus & auribus erumpat, spongias aqua calida madefactas capiti propius admoveto. Si vero his minime remittat, utre eo modo quo in priore morbo, utitor. Aquam autem mulsam aquosam bibat; sin minus, post mulsam, bibat aquam, in qua farina crassior macerata fuerit: ptisanæ vero succum sorbeat, & vinum album aquosum superbibat. Ubi autem per aures eruperit, febrisque, & dolor remiserit, cibis utatur alvum subducentibus, a paucis initio ducto, semper aliquid addendo:

calida caput lavet, & aures aqua limpida proluat, ſpongiamque melle intinctam immittat. Si vero neque ſic reſiccetur, verum diuturna fluxio fiat, collutione facta, argenti florem, ſandaracham, ceruſſam, ſingula pari portione tenuiter trita immittito, his aures impleto, ac obturato, & ſi quid præterlabatur, aliquid de medicamento ſuperinjicito: quum vero auris reſiccata fuerit, ubi expurgaveris, medicamentum abluito; deinde (nam primum reſiccata obſurdeſcit) lenibus fomentis ipſi aures foveto: ſic enim vix, ac longo tempore ſedabitur. Moriuntur autem, ſi etiam vehemens dolor aurem occupet, neque intra ſeptem dies eruperit. Hunc calida multa lavato, & ſpongias aqua calida maceratas, tepidas & expreſſas ad aurem adponito: ſi vero neque ſic erumpat, ei ſomentum ad aurem admoveto: ſorbitionibus autem & potionibus iiſdem, quibus in ſuperioribus, utitor.

CAPUT VI.

De aqua in cerebro collecta, ſeu hydrocephalo; de rigore, dolore, & febre per caput; de venarum circa cerebrum, ac venarum in caput ſupervomitu; ac de eorum affectuum cauſis, ſignis, & curatione.

ALius morbus. Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus ſinciput, & tempora, interdumque alia capitis parte detinet; ſubindeque rigor ac febris; oculorum regiones dolor occupat, iique caligant: pupilla ſcinditur, & ex uno duo ſibi cernere videtur; & ſi ſurrexerit, ipſum tenebricoſa vertigo prehendit, neque ventum, ne-

que solem sustinet; aures tinniunt, (auditoque) strepitu offenditur; salivam & pituitam vomit, quandoque vero etiam cibos; capitis cutis extenuatur, & contactu gaudet. Quum sic habuerit, primum quidem medicamentum purgans, quod sursum pituitam educat, exhibeto; post hæc caput purgato; deinde intermissione facta, medicamentum deorsum purgans propinato; mox eum cibis quam maxime alvum subducentibus reficito, sensim semper adjiciendo. Ubi vero jam satis ciborum comederit, jejunus vomitionibus utatur, lenticulæ decocto, melle & aceto admixto, olera prius comedens; eoque die quo vomuerit, primum quidem cyceonem liquidum bibat; deinde sub vesperam paucis cibis utatur, neque lavet; & a cibis deambulet, & mane, ventum & solem devitans, neque ad ignem accedat. Quod si cum hæc fecerit, sanus evadet, (sat est;) sin minus, ubi eum vere primum quidem veratro ante purgaveris: deinde etiam in nares medicamentum infundito, & pauco tempore intermisso, deorsum purgato; deinde postquam cibis eum refeceris, demum inciso juxta sinciput capite, ad cerebrum usque perforato, & velut sectionem per terebram curato.

Alius morbus. Rigor, & dolor & febris caput vexat, maxime vero ad aurem, & tempora, ac sinciput, & oculorum regiones dolet; supercilia incumbere ei videntur; & caput gravitas detinet, ac si quis eum moverit, mejet; ac copiose & facile mejit; ac dentes torpor, & stupor detinet; capitis venæ attolluntur & pulsant; quietem ferre nequit, sed anxius est, & præ dolore mente alienatur. Huic, si quidem per nares aut aures eruperit, aqua effluit aliquantum purulenta, & convalescit; alioquin in septem diebus fere moritur. Hic morbus præci-

præcipue ex febre lipyria fit, quum febre liberatus, neque purgatus, aut cibis se impleverit, aut inebriatus fuerit, aut in sole laboraverit. Quum sic habuerit, primum quidem sanguinem e capite undecunque tibi visum fuerit, mittito; eoque detracto, raso capite, ei refrigerantia admoveto; & si venter non subducatur, subluito: potui autem ptisanæ succus frigidus exhibendus, & aqua superbibenda. Quod si ad refrigerantia ei non remittat (morbus), mutatione facta, utre utitor, & calefacito: ubi vero dolor sedatus fuerit, cibis alvum subducentibus utatur, neque impleatur. Quum autem sedato dolore ad vigesimum diem pervenerit, fomento ipsius capiti adhibito, medicamentum ad nares admoveto, & intermissione trium dierum facta, medicamentum deorsum purgans propinato.

Alius morbus. Si venulæ sanguifluæ circa cerebrum superevomuerint, & cerebrum calefecerint; febris vehemens ac dolor ad tempora, & sinciput, & posteriorem capitis partem detinet; & aures tinniunt, ac flatibus implentur, nihil audit, anxius est, & præ dolore se ipse jactat. Hic quinto, aut sexto die moritur. Quum sic habuerit, caput ipsius calefacito; etenim si per aures, aut nares aqua proruperit, mortem effugit. Si vero sex dies evaserit, eundem victum, quemadmodum priore morbo, instituito.

Alius morbus. Si venæ in caput superevomuerint, dolor gravis totum caput detinet, & ad cervicem (pertingit), interdumque ad alias capitis partes transmittit; deinde ubi surrexerit, eum tenebricosa vertigo occupat; febris autem non prehendit. Quum igitur sic habuerit, deraso capite, nisi tepefactoriis cesserit, a capite frontem qua capillus desinit, scindito; quum autem se-

cueris, diducta cute, ubi ſanguis defluxerit, tenuiſſimo ſale conſpergito: poſtquam vero ſanguis effluxerit, ubi ſectionem compoſueris, duplici filo totam ſectionem involve; deinde ſplenium cera ac pice illitum, ulceri inferiore parte imponito, lana ſuccida appoſita deligato, & ad dies ſeptem ne ſolvito, niſi dolor detineat; qui ſi detineat, ſolvito. Aquam autem, in qua farina hordei craſſior macerata fuerit, quoad convaluerit, ei bibendam exhibeto; ptiſanæ vero ſuccum ſorbendum, aquam etiam ſuperbibendam dato.

CAPUT VII.

Cerebri bile vexati, cerebri ſiderati, repentini capitis doloris, ac vocis interceptionis ex temulentia, ortus, cauſæ, ſymptomata, ſigna, prognoſtica, remedia.

ALius morbus. Si cerebrum bilis vexet, febris lenis & rigor detinet, dolorque toto capite, maxime vero ad tempora, ad ſinciput, & ad oculorum regiones; & ſupercilia impendere videntur, & ad aures dolor pervadit, quandoque per nares bilis effluit, & oculi caligant; & pleriſque quidem ad dimidiam capitis partem dolor pervenit: quandoque etiam toto capite oritur. Quum ita habuerit, refrigerantia capiti admoveto; & ubi dolor & fluxio quieverit, apii ſuccum in nares inſtillato, neque lavet quamdiu dolor detinet; & milium tenue, pauco melle affuſo, ſorbeat, & aquam bibat. Quod ſi alvus non ſubducatur, braſſicas rodat, &

ſuccum ſorbeat; ſin minus, foliorum ſambuci (ſuccum) eodem modo: quumque tempeſtivum tibi eſſe videbitur, cibos quam maxime alvum ſubducentes ei porrigito. Ac ſi depulſa fluxione ac dolore, ipſi ad ſupercilia & juxta naſum pondus quoddam incumbat, mucuſque craſſus ſit & putridus, fomento ex aceto, aqua, & origano adhibito: mox calida aqua loto, æris florem & myrrham ad nares admoveto. Hæc ubi fecerit, plerumque ſanus fit; morbus autem minime eſt lethalis.

Alius morbus. Si vero cerebrum attonitum fuerit, dolor ex occipitio ad ſpinam tendit, & ad cor frigus permanat, & derepente novus ſudor oritur, & per nares ſanguis fluit: plerique etiam vomunt. Hic intra tres dies moritur: quod ſi ſeptem dies ſuperaverit (plerique vero minime ſuperant), ſi quidem ſanguinem vomat, aut ex naribus effluat, neque eum calida lavato, neque calefactoria admoveto: acetum vero album aqua temperatum potui exhibeto; & ſi debilis fuerit, ptiſanam ſorbendam dato. Quod ſi plus æquo tibi ſanguinem vomere, aut ipſi ex naribus fluere videatur, a vomitu quidem farinam trimeſtris tritici aquæ inſperſam bibat: ſi vero e naribus fluat, brachiorum & temporum venas ſpleniis ſuppoſitis deligato. At ſi horum neutrum ipſi adfuerit, occipitium autem, & cervicem, & ſpinam dolor vexet, & ad cor frigus procedat; ervo pectus, dorſum, occipitium, & cervicem calefacito. His factis maxime juveris: pauci vero ex tali morbo evadunt.

Alius morbus. Derepente ſanum capitis dolor prehendit, confeſtimque vox deficit, & ſtertit, & os hiat; & ſiquis eum vocet, aut agitet, ſolum ingemiſcit, nihil autem intelligit; & copioſe meiit, ac ſe mingere non ſentit. Hic, niſi eum febris cor-

ripiat, intra ſeptem dies moritur; quod ſi corripuerit, plerumque ſanus evadit: hujuſmodi autem morbus ſenioribus contingit magis, quam junioribus. Hic, quum ſic ſe habebit, multa calida lavandus eſt, & quam maxime fovendus, eique aqua mulſa tepida in os inſtillanda. Quod ſi mentis compos fiat, & morbum effugiat, quum eum cibis refeceris, & viribus valere tibi viſus fuerit, immiſſo in nares ejus medicamento, paucisque intermiſſis diebus, medicamentum deorſum purgans propinato: niſi enim purgaveris, metus eſt, ne rurſus morbus revertatur. Fere autem ex priore minime evadunt.

Alius morbus. At ſi quis ex temulentia voce deficiat, ſi quidem jam confeſtim eum febris corripiat, convaleſcit; niſi vero corripuerit, intra tertium diem moritur. Quum autem ita habentem offenderis, multa calida lavato, & ſpongias aquæ calidæ immerſas ad caput admoveto, & in nares cepas detracto cortice immittito. Hic ſi quidem apertis oculis, & voce recuperata ad ſe redeat, neque nugas loquatur, eo die ſopore detentus jacet, poſtero vero convaleſcit: quod ſi exſurgens bilem vomuerit, inſanit, ac maxime diebus quinque, niſi dormiat, moritur. Huic igitur hæc facere oportet; multa calida lavare, donec is ad ſe redeat; deinde copioſo oleo illitum, in mollibus ſtratis, veſtimentis contectum recumbere, neque apud eum lucernam ardere, neque loqui: a balneo enim ut plurimum dormit, & ſi dormierit, ſanus evadit. At poſtquam ad ſe redierit, tribus quatuorve primis diebus, milium tenue, aut ptiſanæ ſuccum ſorbendum, & vinum mellitum bibendum exhibeto; deinde cibis quam molliſſimis, primumque paucis utatur.

SECTIO II.

CAPUT VIII.

Sideratio cerebri, ossis capitis caries, sidere ictus; eorum affectuum symptomata, causæ, signa, auxilia diætetica, pharmaceutica, ac potissimum chirurgica.

CErebri sideratio. Si sideratio (cerebrum) invaserit, dolor paulatim anteriorem maxime capitis partem detinet, & intumescit, & livescit, febrisque ac rigor prehendit. Quum sic habuerit, qua parte tumescit, secare oportet, & os perpurgatum radere, donec ad duplicatam laminam perveniat; deinde ut fracturam curare.

Caries. Quum caries in osse oborta fuerit, ex ea os dolor corripit; hoc vero successu temporis attenuatur, ac inflatur, in eoque fractura contingit: quod si hanc resecueris, os sublatum, asperum, & fulvum reperies; quibusdam vero etiam ad cerebrum usque corrosum. Quum ita habentem offenderis, si quidem ultra corrosum fuerit, auferre optimum, & quam citissime ulcus curare: si vero perforatum non fuerit, sed asperum, derasum ad duplicatam usque laminam, sicuti præcedens curato.

Alius morbus. Si quis attonitus sit, & capitis anteriore parte doleat, & oculis videre non possit; sed sopor ipsum detineat; & temporum venæ pulsent, & levis febris, totiusque corporis impotentia detineat, & imminuatur; quum sic habuerit, tunc eum multa calida lavato, tum ad caput calefactoria admoveto. A fomentis vero myrrham & æris flo-

rem in nares infundito: ptiſanæ ſuccum ſorbendum, & aquam bibendam dato. Et ſi quidem quum hæc feceris melius habeat, (ſat eſt); ſin minus (hæc enim unica ſpes eſt) ei ſinciput ſcindito; quumque ſanguis affluxerit, labris compoſitis curato, & deligato: quod niſi ſcideris, decimo octavo, aut vigeſimo die plerumque moritur.

CAPUT IX.

De trium anginarum cauſis, ac earum curatione.

ANgina. Febris corripit & rigor, & dolor capitis, maxillæ tumeſcunt, ægreque ſputum deglutit, & exſpuit ſenſim denſam ſalivam, & in imis faucibus ſtertit. Ac ſi apprehenſa lingua inſpexeris, gurgulio quidem non magnus, ſed mollis eſt; fauces autem interiores ſaliva viſcida implentur, neque exſcreare poteſt; neque decumbere ſuſtinet, ſed ſi decumbat, ſuffocatur. Hunc ſi ita affectum offenderis, hæc facito. Imprimis quidem cucurbitulas ad primam cervicis vertebram admoveto; deinde capiti præraſo ad aurem utraque ex parte apponito; & ubi cucurbitulam ſtricte aptaveris, quam plurimo tempore adhærere ſinito. Deinde ſuffitum illi ex aceto, nitro, origano, & naſturtii ſemine parato; quæ læviter trita, pari aquæ menſura ad acetum permixta, & pauco oleo inſtillato, macerato; poſtea in ollulam infuſa, operculo appoſito, arundine cava indita, mox prunis impoſita fervefacito; & ubi per arundinis fiſtulam ſurſum va-

por aſcenderit, eum aperto ore intro trahat, cavens ne fauces adurat. Foris autem ſpongias aqua calida imbutas ad genas & maxillas apponat. Gargariſmus vero ipſi parandus eſt ex origano, ruta, ſatureia, apio, mentha, & pauco nitro; aquaque mulſa aquoſa admixta, paucum acetum inſtillato: prædictarum herbarum foliis lævigatis ac tritis, nitroque in ea macerato, tepido os colluat. Si vero ſaliva ſupprimatur, ſumpta myrti virga, lævigata, & ſumma ejus parte tenella inflexa, molli lana obvoluta, inſpectis faucibus, ſalivam expurgato; & ſi venter non ſubeat, glandem indito, aut clyſtere ſubluito. Ptiſanæ autem ſuccum ſorbeat, & aquam inſuper bibat. Si vero ei tumor enaſcatur, & ad pectus intumeſcat, & rubicundum ſit, & ardeat, ſalutis major ſpes eſt. Hæc autem ei facienda ſunt: ubi foras inflammatio vertitur, betas aqua frigida imbutas admoveto; tepidis autem os colluat, & ne lavet. His factis maxime evaſerit: morbus autem lethalis eſt, & pauciſſimi evadunt.

Alia angina. Febris & dolor caput prehendit, fauces & maxillæ inflammantur, neque ſalivam deglutire poteſt; ſed craſſam & copioſam exſpuit, & ægre loquitur. Quum ſic habuerit, primum quidem eo, quo ſupra diximus, modo cucurbitulam admoveto; deinde ſpongiam aqua calida imbutam cervici & maxillis apponito; aquam autem mulſam aquoſam ad os colluendum dato, & ptiſanæ ſuccum ſorbere cogito. Si vero huic hæc facienti ſaliva non exierit, ſuffitum eodem modo velut in ſuperiore, parato. Si vero ad pectus aut ad cervicem inflammatio vertatur, betis aut cucurbitis conciſis, in aquam tepidam conjectis, ſuperſorbeat, & frigidam bibat, quo facilius ſputum exſcreetur:

quum vero tumor in pectore (extuberaverit), plures evadunt. At ſi faucibus & tumoribus ſedatis, ad pulmonem morbus converſus fuerit, confeſtim febris & lateris dolor inſuper corripit, & ubi hoc contigerit, plerumque moritur: quod ſi dies quinque effugerit, purulentus evadit, niſi ipſum confeſtim tuſſis corripuerit; ſi vero corripuerit, exſcreato & repurgato ſputo, convaleſcit. Huic, quamdiu dolor lateris detinet, latus calefaciendum, & offerenda, quæ pulmonis inflammationi conveniunt: quod ſi quinque dies effugerit, & febris remiſerit, tuſſis vero detineat, primis quidem diebus ſorbitionibus utatur: quum vero cibos ſumere occœperit, quam pinguiſſimos, & maxime ſalſos edat. At ſi tuſſis non adfuerit, verum purulentum fieri cognoſcas; ubi cœnaverit, quumque dormire volet, allia quam plurima cruda edat, & vinum vinoſum meracius ſuperbibat: quod ſi ſic quidem ei pus eruperit, bene habet; ſin minus, poſtridie ubi calida laveris, ſuffitum exhibeto, & ſi eruperit, velut purulentum curato.

Alia angina. Linguæ pars poſterior inflammatur, locuſque ſub tonſillis ad guttur, neque ſalivam, neque aliud quidquam deglutire poteſt; ſed, ſi coactus fuerit, ei per nares effluit. Quum ita habuerit, mentham viridem, apium, origanum, nitrum, & rhois rubri portionem terito, melle ſubigito, iiſque craſſioribus redditis linguam interiore parte, qua tumet, illinito; deinde ficus aqua decoquito, rhois triti parvam portionem hoc ficuum decocto macerato, eoque, ſi poſſit, ad gargarizandum utatur; ſin minus, os colluat: aquam vero, in qua craſſiores farinæ maceratæ fuerint, potui exhibeto. Extrinſecus autem collo, & maxillis cataplaſma ex farina calida in tepido vi-

no, & oleo, cocta imponito, & panes calidos admoveto. Ut plurimum enim locus sub tonsillis ad guttur suppurat: quod si sua quidem sponte eruperit, sanus evadit; si vero non erumpat, ubi digito contigeris an molle sit, acuto ferramento, ad digitum alligato, perforato. His factis multi convalescunt: is vero morbus minime lethalis est.

CAPUT X.

De uva, tonsillis, linguæ tuberculo, palati inflammatione, & eorum morborum curatione.

UVa morbus. Si uva in faucibus oriatur, summus gurgulio aqua impletur, ejusque pars extrema rotunda, & pellucida fit, spirationemque intercipit. Quod si maxillæ utraque ex parte inflammatæ fuerint, strangulatur: si vero, his non inflammatis, hic morbus per se consistat, minus moritur. Quum sic habuerit, gurgulionem digito apprehensum, & sursum ad palatum appressum, extrema parte præcidito; deinde foliorum hortensium decoctum ad gargarizandum dato; & farinam frigidam delingendam, aquamque superbibendam; neque lavet.

Tonsillæ. Si tonsillæ oriantur, sub maxillis ab utraque parte tumor fit, qui ad contactum foris durus est, & totus gurgulio inflammatur. Quum sic habuerit, immisso digito tonsillas protrudito; ad gurgulionem vero æris florem siccum illinito, & foliorum condimentariorum hortensium decoctum insoratum gargarizandum dato, & extrinsecus, qua parte tumor est, hordeaceam farinam in vino & oleo coctam in cataplasmate tepidam ad-

moveto. Ubi vero tubercula mollia esse tibi videbuntur, intus contacta, scalpello pertundito: quædam tamen etiam sua sponte sedantur.

Ranula. Si ranula fiat, lingua tumet, parsque sub ipsa, & externa, ad contactum dura est, & salivam deglutire non potest. Quum sic habuerit, spongiam aqua calida madefactam apponito, & farinam hordeaceam vino & oleo incoctam, parte exteriore qua tumor est, in cataplasmate admoveto; ficuum decoctum gargarizet, nec lavet. Ubi vero purulentum fuerit, secato: interdum autem sua sponte erumpit, & citra sectionem sedatur. Quum vero foras suppuraverit, perurito.

Inflammatio in palato consistens. Si vero inflammatio in palato constiterit, intumescit & suppurat. Quum sic habuerit, tuberculum urito; ubi vero pus exierit, reliquum eluito, primum quidem nitro, & aqua tepida, deinde vino: postquam autem elueris, uvam albam passam detractis acinis tritam, in usturam imponito; quumque effluxerit, vino meraco tepido colluat; & ubi quid edere aut sorbere volet, spongiam immittito; istaque, donec convalescat, facito.

CAPUT XI.

De quinque polypis; pendulo, oblongo, molli; carnoso, duro, nasum implente; pendulo, rotundo, molli; calloso; & cancris parvis simili; eorumque curatione.

POlypus. Si polypus oriatur in naso, ex mediis cartilaginibus velut gurgulio depen-

det; & ubi æger ſpiritum expellit, foras progreditur, ac mollis eſt; ubi vero ſpiritum attrahit, retrocedit; obſcure loquitur, & quum dormit, ſtertit. Quum ſic habuerit, ſpongiolam rotundam conciſam, velut ſpiram contortam, lino Ægyptio convolvito, & duram efficito (ſit autem ejus magnitudinis, ut naſo aptetur) ſpongiolam vero quadruplici lineo filo, quod cubitali ſit longitudine unumquodque, deligato. Deinde eis in unum principium coactis, ſumptaque tenui virga ſtannea, quæ altera parte acus foramen habeat, virgam acuta ſui parte in os tranſmittito; & tranſmiſſo per acus foramen lineo filo, eam apprehenſam trahito, donec filorum principium apprehendas: deinde ſpecillo ad ungulæ ſimilitudinem biſulco gurgulioni ſubdito, obnixe trahito, donec polypum eduxeris. Quum vero extraxeris, & ſanguis fluere deſierit, ſiccum linamentum ſpecillo obvolutum immittito, & de cætero æris flore cum melle fervefacto, linamentum illitum in nares immittito: ulcere jam percurato, plumbum ita formatum, ut ad ulcus pertingat, melle illitum, donec convaleſcat, apponito.

Alius polypus. Naſus carnibus impletur, & ad contactum caro dura apparet, neque naribus reſpirare poteſt. Quum ſic habuerit, immiſſa fiſtula, ferramentis aut tribus, aut quatuor inurere oportet: poſt vero uſtionem, veratrum nigrum tritum injicito; & ubi caro computruerit & exciderit, penicilla linea melle cum (æris) flore illita imponito. Quumque ulcus percuratum fuerit, plumbeas laminas melle illitas indito, donec convaleſcat.

Alius polypus. Interius caro rotunda ex cartilagine prominet, ad contactum vero mollis eſt. Quum ſic habuerit, nerveo fune accepto, in eo tenuem la-

queum facito, tenui filo convolvito; deinde alterùm principium per laqueum transmittito, majore laqueo facto; mox principium per virgam stanneam trajicito. Postea immissum in nares laqueum, per specillum incisum circum polypum extendito; quo obducto, virgam per os trajicito, eamque correptam trahito, specillo instar ungulæ bisulcæ ad eundem modum (sub gurgulione) obfirmato. Ubi vero extraxeris, velut superiorem curato.

Alius polypus. Intus circa cartilaginem, durum quid aliqua ex causa adnascitur, quod caro esse videtur; si vero ipsum attigeris, sonat velut lapillus. Quum ita habuerit, nasum per scalpellum divisum expurgato, mox inurito: atque hoc facto nasum consuito, & penicillum unguento illitum imponens, ulcus curato; ac ubi circumputruerit, æris florem cum melle illinito, plumbea vero lamina (immissa) percurato.

Alius polypus. In cartilaginis summa parte ex obliquo velut cancri parvi exoriuntur. Hos autem omnes inurere oportet, inustos vero veratro adspergere: ubi vero putruerint, æris flore cum melle expurgare, plumbea lamina percurare.

CAPUT XII.

De ictero sine febre, & ictero cum febre, & eorum curatione.

Morbus regius. Color fit niger circa faciem, præcipueque partes in umbra latentes, oculi ex virore pallescunt, lingua inferiore parte, venæque sub lingua crassæ sunt & nigræ,

febre caret, urinam craſſam bilioſamque reddit. Quum ſic habuerit, primum quidem venas ſub lingua ſecato; deinde ubi multa calida laveris, aſphodeli radices quinque pari portione, repurgatas & vino incoctas, apii foliis admixtis quantum manus capere poſſit, jejuno bibendas exhibeto: vini dulcis tres dimidias heminas Æginenſes affuſas, ad dimidiam heminam ſuperſtitem coquito; hoc permixtum ex iiſdem propinato. Poſtquam vero urinam reddiderit, cibis alvum ſubducentibus utatur; & poſt cibum, cicer album edat; & vinum album, copioſum, aquoſum bibat, apium & porrum in cibo comedat. Hæc autem ſeptem diebus faciat; & ſi quidem in his color moderate ipſi repurgatus eſſe videatur; ſin minus, aliis tribus eadem faciat. Poſtea vero unius aut alterius diei mora interpoſita, medicamentum ad nares admoveto; deinde medicamentum deorſum purgans, ex quo bilis repurgetur, propinato: & ſi quidem lienoſus non fuerit, lac aſininum aut ſerum poſtea bibendum dato. His factis convaleſcit.

Alius morbus regius. Febris levis prehendit, caput gravitas habet, nonnullis etiam febris ceſſat; ipſe vero ex virore pallidus redditur, præcipueque oculi; debilis eſt, corporis adeſt impotentia, & urinam craſſam, ac cum virore pallidam emittit. Hunc calida lavato, & urinas ducentia bibenda dato: quum autem purior eſſe tibi viſus fuerit, & color melior apparuerit, medicamento naribus admoto, etiam medicamentum deorſum purgans poſtea dato. Cibis autem quam molliſſimis utatur, vinum album, dulce, aquoſum bibat. His factis ſanus evadit.

CAPUT XIII.

De trium febrium a bile ortarum curatione.

FEbres a bile. Si bile vexetur homo, febris eum quotidie prehendit ac dimittit: detinet autem potiſſimum meridie, & os amarum eſt; & cum ſine cibo fuerit, id ipſum lædit; ubi vero comederit, angitur, & paucis quibuſdam cibis impletur, eos averſatur, & vomitiones ipſum invadunt; ad lumbos & crura gravitas decumbit, multumque dormit. Huic, ſi declinante febre frigido & copioſo ſudore exſudaverit, neque febre liberetur, diuturnus morbus evadit: ſi vero minime ſudaverit, citius judicatur. Quum ſic habuerit, ubi nonum diem attigerit, medicamentum purgans exhibeto: ſi enim ſtatim exordiente febre exhibueris, poſtquam purgatus fuerit, febris revertitur, rurſuſque medicamento indiget. Quum vero os minime laborat, ſed ad imum ventrem tormina incidunt; medicamentum deorſum purgans propinato; poſteaque lac aſininum, aut ſerum, aut ſuccum aliquem bibendum dato: quod ſi debilis fuerit, alvum ſubluito. Verum ante medicamenti purgantis potionem, ſi quis febricitet, mane quidem aquam mulſam aquoſam exhibeto; alio vero die, quo febris detinet, frigidam quantam volet, bibendam dato: quum vero febris remiſerit, ptiſanæ ſuccum, aut milium tenue ſorbendum, & vinum album, vinoſum, aquoſum ſuperbibendum dato. Quod ſi febricitet, neque noctu, neque interdiu febris remiſerit, & ad contactum ſuperiores quidem partes calidas habeat, venter autem & pedes frigidi

ſint, & lingua aſpera, huic medicamentum purgans ne dederis; ſed mollienti infuſo alvum ſubluito, & ptiſanæ ſuccum bis in die frigidum ſorbendum dato, & vinum aquoſum ſuperbibendum; reliquo vero tempore aquam quam frigidiſſimam bibendam. Hic ſi quidem ſeptimo die exſudaverit, & febris eum dimiſerit, bene habet; ſin minus, plerumque decimo quarto die moritur.

Alia febris. Extrinſecus ad contactum febris levis eſt, intus vero ardet, lingua ipſius eſt aſpera, naribus & ore calidum exſpirat. Quum vero diem quintum attigerit, hypochondria dura ſunt, dolor adeſt, & color qualis in ictero detento apparet, urinamque craſſam ac bilioſam ejicit. Hunc ſi quidem ſeptimo die rigor, & vehemens febris prehenderit, ac exſudaverit, bene habet; ſin minus, ſeptimo aut nono die moritur. Corripit autem maxime hic morbus, ſi anni tempus minime ſiccum fuerit. Quum ſic habuerit, quotidie calida lavato, aquam mulſam aquoſam copioſam propinato; & ſuccum ptiſanæ frigidum bis in die ſorbendum dato; a ſorbitione vero vinum bibat aquoſum, album, modicum. Quod ſi alvus minime ſubducatur, clyſtere proluatur, aut glans indatur. Cibum, quoad febris remiſerit, ne exhibeto; ubi vero ceſſaverit, medicamentum deorſum purgans bibat: interdum enim revertitur morbus, ſi impurgatus permanſerit: idem vero morbus prehendit, ſi ſanguis ſupra modum bilioſus fuerit.

Altera febris. Si tertiana febris detineat, ſi quidem non omiſſis tribus invaſionibus quarta prehendat, medicamentum deorſum purgans propinato. Quod ſi medicamento tibi minime indigere videatur, pentaphylli radices acetabuli quantitate in aqua tritas, bibendas dato. Si vero ne ſic quidem ſedetur, ubi multa

calida laverit, trifolium & laſerpitii ſuccum cum vino pari aqua admixta, propinato, reclinatumque multis veſtimentis, donec exſudet, contegito: poſtquam vero exſudaverit, ſi ſitiat, polentam ex aqua bibendam dato; veſperi vero milium tenue coctum ſorbeat, vinumque ſuperbibat; cibis vero quam molliſſimis utatur, donec febris dimittat.

CAPUT XIV.

De febris quartanæ curatione.

FEbris quartana. Quum febris quartana detinet, ſi quidem ex alio morbo non purgatum ceperit, medicamentum deorſum purgans propinato; deinde caput repurgato, poſtea medicamentum deorſum purgans (iterum) dato. Quod ſi nec his factis ceſſet, intermiſſis duabus poſt purgationem per inferiora invaſionibus, multa calida ipſum lavato, ſemen hyoſcyami milii magnitudine, mandragoram pari portione, (ſilphii) ſuccum trium fabarum quantitate; & trifolii parem modum, ex vino meraco bibendum exhibeto. Si vero robuſtus eſſe, & bene valere ſibi videatur, & ex laſſitudine ac itinere febris in eo contracta ad quartanam perducta ſit, fomentis ipſi admotis, allia melle macerata ipſi exhibeto; deinde lentis cremorem, melle & aceto admixto ſuperbibat: cum vero impletus fuerit, vomat; poſtea calida lotus, poſtquam refrixerit, cyceonem ex aqua bibat; circa veſperam vero cibis mollibus, neque multis utatur. Altera autem acceſſione, ubi calida multa laveris, & veſtimentis eum contexeris, quoad exſudet, confeſtim veratri albi radicum trium digitorum longitu-

gitu-

gitudinem, trifolii drachmæ quantitatem, ſucci ſilphii duarum fabarum pondus ex vino meraco, propinato: quod ſi vomitiones ipſum corripiant, vomat; ſin minus, eodem modo, poſt capitis purgationem. Cibis vero quam molliſſimis & acerrimis utatur: quum autem ipſum acceſſio invaſerit, ne jejunus medicamentum bibat.

CAPUT XV.

De triplici pleuritide, & cujusque ſignis, & curatione.

PLeuritis. Pleuritis ubi prehenderit, febris & rigor detinet, & dolor per ſpinam ad pectus, & erecta cervice ſpiratio, & tuſſis, & ſaliva alba, & aliquantulum bilioſa, neque facile extuſſit, & per inguina dolor eſt, & urinam cruentam reddit. Quum ſic habuerit, ſi quidem febris ſeptimo die remiſerit, convaleſcit: ſi vero non remiſerit, morbus ad undecimum aut decimum quartum diem pervenit. Itaque multi hisce diebus intereunt: ſi vero decimum quartum diem ſuperet, evadit. Quum ita dolor afficit, fomenta calida admoveto: mel autem etiam bibat, ipſum pari affuſa aceti menſura coctum; deinde ad mellis cocti & aceti menſuram, aquæ undevigeſimam portionem affuſam, ſenſim & crebro bibendam dato; poſteaque, pauco affuſo aceto, aquam admiſceto. Milii quoque ſuccum, pauco melle inſtillato frigido, quantus eſt heminæ quadrans, in utroque cibatu ſorbeat; vinum vero album, vinoſum, aquoſum, modicum bibat: vinum autem ſit quam molliſſimum, & inodorum. Quum vero febris dimiſerit, duobus qui-

dem diebus, milium bis die sorbeat, & betas suavissime apparatas comedat: post hæc catuli aut aviculæ decoctæ jus sorbeat, & paucas carnes edat. Reliquo vero tempore, præcipue quamdiu a morbo detinebitur, milium in prandio assumat; vesperi autem cibariis quam paucissimis, & mollissimis utatur.

Altera pleuritis. Febris & tussis detinet, & rigor, & lateris dolor, quandoque etiam ad claviculam, sputum exspuit aliquantulum biliosum & subcruentum. Quod si ægro contigerit abscessum ruptum esse; ipsi, qua parte maxime dolor detinet, fomenta calida admoveto, & nisi multa febris vexet, calida lavato; sin minus, minime. In potu vero dato favum dilutum in aqua maceratum, quoad ipsum subdulce facias, & postea etiam aquam immisceas. Milii autem succum bis die sorbeat, & vinum album aquosum superbibat: & si quatuordecim dies effugerit, sanus evadit.

Alia pleuritis. Febris detinet, & dentium stridor, & tussis sicca: cum virore pallida extussit, quandoque etiam livida; dolor latus obsidet, & dorsum subrubrum evadit; caput vero & pectus calescunt, aliquandoque etiam venter, pedes & crura: & erectus sedens, magis tussit; alvus turbatur, & alvi dejectio ex virore admodum pallida est, ac graveolens. Hic intra dies viginti moritur; quos si effugerit, convalescit. Huic donec quatuordecim dies præterierint, farinæ hordeaceæ crassioris maceratæ dilutum bibendum exhibeto, & vinum album vinosum, aquosum postea bibendum. Ptisanæ succum frigidum bis die sorbeat: quumque jam succus decoctus fuerit, pro melle, mali punici succum vinosum ad ptisanæ succum admisceto, neque (calida) multa lavato.

Ubi vero dies quatuordecim præterierint, poſtea milium in prandio ſumat; veſperi autem aviculârum carnibus cum jure, & paucis cibis utatur. At hunc morbum pauci effugiunt.

CAPUT XVI.

De peripneumoniæ, & ex peripneumonia ſuppuratorum ortu, ſignis, & curatione; ſuppuratorumque ſectione, & puris evacuatione.

PUlmonis inflammatio. Febris ad minimum quatuordecim dies detinet; ad ſummum autem duodeviginti: & his diebus vehementer tuſſit; ac primum quidem ſputum craſſum & purum ſeptimo & octavo die exſcreat; ubi vero febris prehenderit, nono & decimo die ſubdulce & purulentum, quoad quatuordecim dies præterierint. Quod ſi decimo quinto die pulmo reſiccatus fuerit, & per tuſſim rejecerit, convaleſcit; ſin minus, duodeviginti obſervato. Hisque ſane (diebus) ſi tuſſis ſedata fuerit, evadit; at ſi non ceſſet, eum interrogato, num ipſi ſputum dulcius videatur: quod ſi affirmaverit, morbus annuus evadit; nam pulmo purulentus redditur. Huic primis quidem diebus vinum dulce, album, aquoſum, paulatim crebro bibendum eſt: ptiſanæ vero ſuccum, melle admixto, ter die ſorbendum dato, quoad dies decem & octo præterierint, & febris ceſſaverit. Periclitatur autem maxime per dies ſeptem aut quatuordecim: quum vero octodecim dies ſuperaverit, non amplius moritur; ſed pus exſpuit, pectus dolet, & tuſſit. Quum ſic habuerit, jejuno cum ſalvia decoctam propinato, jusque freſum multo adipe admixto

ſorbendum dato, ſi æſtus non fuerit: ſi vero fuerit, ne ſorbeat; ſed cibis utatur ſalſis, ac pinguibus, & marinis potius quam carnibus. Quod ſi non tibi rite purgari videatur, infuſo ac fomento utitor: ſi quidem pus craſſum fuerit, foveto; ſed ſi tenue, infundito. Et cibis quam maxime acribus adhæreat; carnibus vero bubulis, ovillis, & ſuillis abſtineat.

Suppuratus ex peripneumonia. Quum ex pulmonis inflammatione purulentus extiterit, febris detinet, tuſſis ſicca, difficultas ſpirandi, pedes tument, & manuum ac pedum ungues contrahuntur. Quum ſic habuerit, decimo poſt die, a quo purulentus fieri cœperit, huic multa calida loto, ari radicem tritam tali magnitudine, ſalis granum, & parum mellis, ex aqua & pauco oleo, exſerta lingua, tepidum infundito; deinde humerum concutito. Quod ſi ex eo quidem pus erumpat, ſat eſt; ſin minus, aliud facito. Mali punici acris, & cyclamini ſuccum exprime (utriusque acetabulum parvum eſto), deinde laſerpitii ſuccum fabæ quantitate terito, ac diluito; & lactis caprini aut aſinini acetabulum commiſceto; hoc tepidum infundito. Si vero ob id non erumpat, raphani corticem, & æris florem trium fabarum quantitate, læviter terito (ſit autem raphani duplum) olei heminæ quadrante diluito; hoc tepidum infundito. Quod ſi pus eruperit, cibis quam ſalſiſſimis & maxime pinguibus utatur: ſed ſi pus non prodierit, paulatim ad os ſuffitum adhibeto ex laſeris ſucco, vino Tornio, lacte bubulo, aut caprino, pari cujusque commixta menſura; ſit autem trium heminarum quantitas; deinde furni teſtas ignitas injicito; hoc per fiſtulam trahat, cavendo ut ne aduratur. Ubi vero purius ſputum prodierit, urticæ ſemen,

thus, origanum, ex vino albo, melle, & pauco oleo, tertio quoque die ipsi infundito; postea vero butyrum, resinam in melle liquefactam; neque amplius cibis salsis, neque pinguibus utatur. Intermediis autem diebus, quum cessat infusio, jejunus bibat salviam, rutam, saturejam, origanum pari portione, ex vino meraco ad acetabuli mensuram, cum omnibus his inspersis. Quod si ab his infusis non eruperit, nil mirandum; plerumque enim in ventrem erumpit, confestimque melius habere videtur, cum ex angusto in ampliorem regionem venerit.

Alius morbus. Quum longius tempus progressum fuerit, febris vehemens ac tussis prehendit; latus dolet, neque in sanam quidem partem decubitum ferre potest; sed in dolentem, & pedes, & oculorum cavitates intumescunt. Post decimum quintum ab eruptione diem, huic multa calida loto, & in sella stabili collocato, alter quidem manus teneat; tu vero agitato humero, quonam in latere (affectio) strepitum edat, auscultato; votum autem est, ut in sinistro: ad hunc igitur locum sectionem adhibeto, minus enim lethale est. At si præ crassitudine, & copia, nullum tibi strepitum ediderit, quo ipsum cognoscas (hoc namque fit interdum) utrum latus intumuerit, ac magis doluerit, hoc infima parte post ipsum tumorem potius, quam anteriore secato, quo facilior puri exitus pateat. Primum autem inter costas cutem scalpello lato secato; deinde scalpello acuto panniculo deligato, cujus extremam partem, unguis pollicis magnitudine relictam, intro adigito: postea emisso pure quantum visum tibi fuerit, vulnus linamento ex lino crudo, cui filum alligaveris, obducito; quotidie vero pus semel emittito. Postquam autem decimus

dies acciderit, toto pure emiſſo, penicillum ex linteo indito; deinde vinum & oleum tepida per fiſtulam infundito, ne pulmo pure madeſcere conſuetus derepente reſiccetur: infuſum autem matutinum ſub veſperam, at veſpertinum mane educito. At ubi pus tenue velut aqua, & ad digiti contactum glutinoſum, ac paucum fuerit, ſtanneum penicillum cavum indito: quum vero prorſus venter reſiccatus fuerit, paulatim reſecto penicillo, dum ipſum eximas, vulnus coaleſcere ſinito. Signum autem, an ſit evaſurus æger, eſto: ſi pus album ac purum fuerit, fibræque ſanguinis inſint, ut plurimum convaleſcit; at ſi primo die ovi luteo ſimile defluat, aut poſtero die craſſum defluat, aliquantum ex virore pallidum, & graveolens, ubi pus effluxerit, moriuntur.

CAPUT XVII.

De tabe ex pulmone affecto, ejusque ſignis, ac periculoſis ſymptomatibus, pilorum defluvio & ſputis graveolentibus; ac curatione.

ALius morbus. Quum quis tabeſcit, huic ſputum craſſum, aliquantulum ex virore palleſcens, & dulce per tuſſim rejicitur; & ſtridor, & dolor pectus, & dorſum occupat, & tenuis ſibilus in faucibus editur, faucesque ſicceſcunt; cavitates ſub oculis rubent, vox gravis eſt, pedes tument; ungues contrahuntur, partes ſuperiores extenuantur, ac imminuuntur, ſputum ore contentum exſcreaturus deteſtatur; mane & media nocte maxime tuſſit; tuſſit & alio tem-

pore; hicque morbus juvenculam mulierem potius, quam vetulam, invadit.

Huic ſi jam capilli ex capite defluant, caputque velut ex morbo jam nudetur, & ſuper prunas exſpuenti ſputum graviter oleat, hunc intra breve tempus periturum aſſerito, & quod enecet, alvi profluvium fore. Ubi enim jam pus circa cor putruerit, id prunis impoſitum nidorem exhalat, & una incaleſcens cerebrum ſalſuginem emittit, quæ alvum ciet; hujus rei ſignum eſt, quod capilli ex capite defluant. Hunc, quum ita habuerit, ne curato: at ſi per initia hunc morbum offenderis, lenticulæ cremorem propinato; deinde intermiſſo uno die, veratrum ita temperatum, ut ne inferiorem alvum cieat, exhibeto: quumque noctu ad os ſalſugo ipſi devenit, crebriora ei medicamenta ad nares admoveto: ſed ſi non fluat, admoveto quidem, ſed ex majore intervallo, & ſemel in menſe, veratro quantum duobus digitis tolli poteſt, in vino dulci temperato, inſuper epoto. Lenticulæ vero decoctum confeſtim inde bibendum dato: medicamenta autem purgantia, niſi eum febres acutiores prehendant, quam pauciſſima bibat: dracunculi radicem albam & veratri delingat, non tamen ex melle; ſic enim minime alvum movebit. Quod ſi tormina in alvo inferiore ſuboriantur, eam primum quidem ex infuſo, in quod coccus cnidius commiſcetur, ſubluito: quod ſi neque ſic ſedentur, lacte aſinino cocto purgato, medicamentum autem deorſum purgans ne exhibeto. Si vero ante lentis decoctum epoto veratro bilem vomat, ipſo lentis decocto aſſumpto vomat. Cibis autem utatur, niſi febres acutæ detineant, carnibus ovillis elixis, & volucrium, cucurbita, & betis: juſculum ne ſorbeat, neque ad intinctus utatur. Piſci-

bus autem utatur ſcorpiis, & cartilagineis coctis, calidum vero nihil edat; neque lavet, ſi multa febris detineat: neque oleribus acribus utatur, excepta ſatureia, aut origano; vinum vero album bibat. At ſi febris ſit expers, calores autem alias atque alias corripiant, piſces quam optimos ac pinguiſſimos edat, & pinguia, & dulcia, & ſalſa quam maxime: deambulationibus utatur, neque in vento, neque in Sole: & a cibis, quum tempeſtivum viſum fuerit, vomat; tepidaque lavet, capite excepto. Ex cibariis panis melior, iis qui maza non victitant; his vero utraque commiſceto.

SECTIO III.

CAPUT XVIII.

De tabe pulmonis, de fervido ulcere fiſtulæ pulmonis, utrarumque dignotione, prognoſi, & curatione.

ALius morbus, qui tabes vocatur. Tuſſis vexat, & ſputum copioſum ac liquidum; interdumque facile per tuſſim rejicitur etiam pus, veluti grando, quod dum digitis conteritur, durum & graveolens eſt: vox autem pura eſt & doloris expers, neque febres corripiunt; ſed quandoque calor, & alioqui debilis eſt. Huic veratrum bibendum eſt, & lentis decoctum, & large cibus ſumendus, dum ab acribus, carnibus bubulis, ſuillis, & ovillis, abſtineat: exercitetur modice, & deambulet, & a cibis vomitu utatur, & a venere abſtineat. Morbus hic per ſeptem aut

novem annos durat; quod ſi æger per initia curatus fuerit, ſanus evadit.

Alius morbus. Si pulmonis fiſtula ulcere fervido, & ſuperficiario laboraverit, febris imbecillis detinet, & medium pectus dolor, & corporis pruritus adeſt, & vox rauca, ſputum liquidum ac tenue ſpuit, interdum etiam craſſum, ac velut ptiſanæ ſuccum: in ore quoque gravis odor, ut a piſcibus crudis oboritur, & alias atque alias in ſputo dura, velut fungus ab ulcere, apparent; ſuperiores partes attenuantur, atque adeo totus homo, malæ faciei rubent, ungues temporis ſucceſſu contrahuntur, aridi & ex virore pallidi fiunt. Quam primum autem moritur, ſanguinem & pus exſpuens, niſi curetur. Poſtea etiam vehementes ſubortæ febres ipſum interficerent: at ſi curatus fuerit, ex hac tabe ſalvus evadit. Curare autem oportet, ut epotis lenticulæ decoctis vomat: quod ſi occaſio tibi apparuerit, veratrum per ſe, ſi quidem homo viribus polleat, propinato; ſin minus, dimidium potionis ad lenticulæ decoctum admiſceto, ita ut quinta aut ſexta potione deſinat. Ventrem autem inferiorem, niſi febres vehementes prehenderint, medicamento purgante ne agitato: quod ſi non prehenderint, lacte aſinino per inferiora purgato. Si vero adeo debilis ſit, ut bibere nequeat, (per clyſterem) ſubluito; caput autem minus (moveas): quod ſi ſputum quidem copioſum & ſalſum ad os defluat, naribus, quod bilem minime ducat, adponito: ſi vero fluxio ad os non eat, capiti nihil adhibeto. Quum autem ſputum graveolens fuerit, intermediis inter lenticulæ decoctum diebus, medicamentum in pulmones infundito; intermiſſo vero uno die, ſuffito. Cibis utatur, carnibus ovillis & volucrium, piſcibus cartilagi-

neis, & ſcorpiis coctis: quarto quoque die ſalſamentum quam optimum & maxime pingue comedat, in prandio quidem mazam ſumat, in cœna vero huic panem admiſceat, neque quicquam ſorbeat, neque cyceonem bibat, ſi comedere poſſit. Opſonia ſeſamo pro tritico condita, & coriandro & anetho comedat: ſilphio ne utatur, neque ullo alio olere acuto, præterquam origano, aut thymo, aut ruta. Deambulationibus autem ante & poſt cibum utatur, vitatis vento & ſole; a crapula & venere abſtineat, tepida lavet, capite excepto, quod quam rariſſime (lavet).

CAPUT XIX.

Tabes dorſalis; ejus ortus, cauſæ, ſigna, curatio; ac de pulmonis morbo, quo pulmonarii vocantur ægri.

TAbes dorſalis. Tabes dorſalis a ſpinali medulla oritur, maxime vero recentes ſponſos, & libidinoſos corripit: febris ſunt expertes, bene comedunt, & colliquantur. Quod ſi ita affectum percontaris, dicet ſibi videri ex ſuperioribus partibus a capite velut formicas in ſpinam deſcendere; quumque urinam aut ſtercus reddit, ipſi ſemen genitale copioſum & liquidum prodit, neque genitura intus concipitur, & inter dormiendum, cum uxore dormiat, nec ne, ſemen profundit. Quumque tum alias, tum præcipue per locum arduum iter fecerit] aut cucurrerit, anhelatio, ac imbecillitas ipſum prehendit, & capitis gravitas, & aures ſonant. Hic temporis pro-

greſſu vehementibus febribus correptus, perit ex lipyria febre.

Quum ita habuerit, ſi per exordia curandum ſuſceperis, fomento toti corpori admoto, medicamentum per ſuperiora purgans bibendum dato, poſteaque caput purgato; deinde vero deorſum purgans exhibeto: at curationem vere maxime aggredi velis; poſteaque ſerum aut lac aſininum propinato. Lac vero bubulum per quadraginta dies bibendum exhibeto: veſperi autem, quamdiu lac potat, alicam ſorbendam dato; a cibis autem abſtineat: quum vero a lactis potu ceſſaverit, mollibus cibis, a paucis initio ducto, eum reficito, & quam maxime pinguem reddito. Per annum crapula, venere, & immoderatis exercitationibus abſtineat; præterquam deambulationibus, in quibus frigora, & ſolem vitet: tepida autem lavet.

Pulmonis morbus. Sputum craſſum ac fuliginoſum tuſſi rejicitur, color niger eſt, ſubturgeſcit, dolores leves ſub pectore & ſcapulis (detinent,) & ulcera his ægre ſaneſcunt: hic morbus ſuperiore minus periculoſus eſt, & plures evadunt. Hunc veratrum & per ſe, & lentis decocto admixtum bibere oportet; in pulmonem etiam infundere, & ſuffitibus uti, & liberaliter cibum ſumere, dum carnibus bubulis, ovillis, & ſuillis abſtineat, & oleribus acribus; præterquam origano & ſatureia. Deambulationibus utatur, mane vero jejunus ad arduum locum iter faciat: deinde folia (hortenſia condimentis uſurpata) vino temperato adſperſa bibat. Cæterum cibis commemoratis utatur.

CAPUT XX.

Arteria vulnerata, pulmonis ruptio, convulsæ pulmonis fibræ; eorumque affectuum signa, prognostica, remedia.

ARteria vulnerata. Si arteria vulnerata fuerit, tuſſis detinet, ſanguis tuſſi exſpuitur, fauces latenter ſanguine implentur, ſanguinis grumos rejicit, dolor acutus ex pectore ad dorſum permeat, ſputum glutinoſum eſt & copioſum; fauces ſiccæ, & febris & rigor corripit, fauces ſtrident, velut a pingui aliquo; & hæc ad dies quindecim patitur. Poſtea vero pus exſpuit, ac veluti ulceris fruſtula ricinis ſimilia; & rurſus tuſſis, & ſane ſanguis erumpit, poſteaque pus craſſius exſpuit; febris vehementior evadit, & in pulmonem deſinit, vocaturque pulmone ruptus. At, ſi poſt primum ſanguinem pus non exſpuat, a laboribus & exercitiis quieſcere oportet, & in vehiculum non conſcendere, ac cibis ſalſis, unguinoſis, pinguibus, & acribus oleribus abſtinere. Quumque ipſe optime corpore ſeſe habere videbitur, pectus & dorſum, viciſſim utrumque, inurito. Ulceribus curatis, per annum ebrietate abſtineat, non impleatur ſupra modum, neque manibus vehementer laboret, neque vehiculum conſcendat; ſed quam maxime craſſum corpus ipſe reddat.

Fibræ pulmonis convulſæ. Quum pulmonis fibræ convulſæ fuerint, ſputum album, interdumque cruentum exſpuit, delirat, & febris tenet, & dolor pectus, & dorſum, & latus; & ſi ſe vertat, tuſſit & ſternutat. Huic, qua parte do-

lor detinet, calentes fotus admoveto; centaurium, daucum, ſalviæ folia trita, melle & aceto affuſis, præſorbenda dato, & aquam inſuper ſorbendam. Ptiſanæ etiam ſuccum ante ſorbeat, & vinum aquoſum ſuperbibat. Quum vero dolor quieverit, ſalviam tuſam & cribratam, hypericum, & eryſimum lævigata, cum polenta, pari ſingula portione, vino temperato admixta, jejuno bibenda exhibeto: at, ſi jejunus non fuerit, leguminis freſi decoctum ſalis expers ſorbendum dato. Si vero æſtus fuerit, cibis quam molliſſimis, inſulſis, & minime nidoroſis utatur; quum jam moderate corpus, & pectus, & dorſum ſe habuerit.

Quod ſi ambæ pulmonis fibræ convulſæ fuerint, tuſſis detinet, ſputum craſſum & album ſpuitur, dolor vehemens ad pectus, & ſub ſcapulis occupat; latus ardor detinet, & puſtulis rubentibus impletur, pruritus vexat, neque ſedere, neque jacere, neque ſtare ſuſtinet; ſed animo angitur. Hic quarto plerumque die moritur; quem ſi effugerit, ne ſic quidem ſpes multa ſupereſt, cum & ſeptimo die periculum adſit; quem ſi ſuperaverit, convaleſcit. Hunc, quum ita habuerit, bis die calida multa lavato; quumque dolor detinet, fotus calentes admoveto; & mel & acetum propinato, ſuccumque ptiſanæ ſorbendum, & vinum album vinoſum ſuperbibendum. Quod ſi balneo & tepidis fotibus vexetur, neque ea ferat, ſudarii panniculos aqua intinctos ei admove, & ad pectus & dorſum impone; favumque ex aqua maceratum frigidiſſimum propinato, & ptiſanæ ſuccum frigidum, aquamque ſuperbibendam dato; & in frigore decumbat. Iſta facito; verum morbus lethalis eſt.

CAPUT XXI.

De pulmonis eryſipelate, ejusque cauſis, ſignis, & curatione.

ERyſipelas in pulmone. Si oriatur in pulmone eryſipelas, tuſſis detinet, & ſputum multum ac liquidum exſpuit, velut ex gutture, ſed cruentum non eſt; dolor dorſum, & ilia, & hypochondria occupat; viſcera ſtrepitum edunt, pituitam vomit, ac velut acetum, dentes ſtupent; febris, rigor, ac ſitis corripit; quum quid comederit, in viſceribus murmur editur, acidum eructat, venter obſtrepit, & corpus torpeſcit; & quum vomuerit, melius habere videtur; ubi vero minime vomuerit, decedente die tormina & dolor in ventre ſuboriuntur, & liquidum ſtercus dejicitur. Hic morbus maxime ex crapula, carnium eſu, & aquæ mutatione contingit; atque aliis etiam de cauſis detinet.

Huic medicamentum deorſum purgans propinato, poſteaque lac aſininum bibat, niſi natura lienoſus fuerit: quod ſi lienoſus fuerit, neque ſuccis, neque lacte, neque ſero purgato, ſed eo quod paucum ſumptum multum educat: in omnibus autem morbis, ſi alvus non ſubducatur, eam per infuſum ſubluito, aut glandes ſupponito. Hoc in morbo frigidæ balneo, & exercitatione utendum, ubi febres remiſerint, & corpus commode ſe habere apparuerit: vere & autumno vomitus excitandus. Alliorum capita tria, & origani pugillum, quantum tribus digitis comprehenditur, vini dulcis duabus heminis affuſis, & aceti quam acerrimi hemina una, melliſque quarta

heminæ parte, coquito, quoad tertia pars relicta fuerit: deinde ubi hominem exercueris, & aqua tepida laveris, hoc calidum bibendum exhibeto; lenticulæ etiam decoctum, melle & aceto admixtis, dum impleatur, propinato; deinde vomat, eoque die, polenta ex aqua epota, jejunus permaneat: ad vesperum vero betam & mazæ parum comedat, & vinum aquosum bibat. Reliquo tempore a lenticulæ decocto & a cibis vomat. Quod si sub scapulas dolor secesserit, cucurbitulam affigito, & manuum venas pertundito: cibis autem utatur non salsis, neque unguinosis, neque pinguibus; vescatur vero acribus, & acidis, frigidisque omnibus, ac deambulationibus utatur. His factis, optima victus ratione usus fuerit, morbusque in multum tempus protrahetur: est autem non lethalis, sed consenescentes deserit. Si vero juniorem aliquem citius a morbo liberare voles, ubi ipsum purgaveris, & pectus & dorsum inurito.

CAPUT XXII.

Dorsalis morbi, & tuberculi pulmonis signa & curatio.

Dorsalis morbus. Rigor, febris, tussis, & spirandi difficultas prehendit, & sputum cum virore pallidum, interdumque subcruentum exspuit; dolor maxime dorsum & inguina vexat; tertio aut quarto die urinam cruentam mejit, & septimo die moritur; ubi vero quatuordecim dies effugerit, sanus evadit; quos fere non effugit.

Huic aquam mulsam in olla nova fervefactam,

& refrigeratam, in qua apii, aut fœniculi cortex maceratus fuerit, bibendam dato; dato & ptiſanæ ſuccum bis in die, vinumque album aquoſum ſuperbibendum: qua vero dolor inſtiterit, tepentes fotus adhibeto; niſi multa febris detineat, calida lavato. Poſtquam vero quatuordecim dies præterierint, milium in prandio quidem ſumat; ad veſperam autem carnes catulinas, aut volucrium coctas edat, & de juſculo ſorbeat; ſed cibis quam pauciſſimis primis diebus utatur.

Pulmonis tuberculum. Quum in pulmone tuberculum fuerit, tuſſis detinet, erectæ cervicis ſpiratio, dolor acutus pectus & latera occupat; & ad usque quatuordecim dies ita afficitur: pleriſque enim tuberculi affectio tot potiſſimum diebus inflammatur: ſed & caput, & palpebras dolor vexat, videre nequit, corpus ſubfulvum evadit, & puſtulis rubentibus impletur.

Hunc calida multa lavato, aquam mulſam aquoſam propinato, & ptiſanæ ſuccum ſorbendum, vinumque aquoſum ſuperbibendum dato. Quod ſi dolor urgeat, tepentes fotus admoveto; ubi vero ſedatus fuerit, cibis quam molliſſimis utatur. Quod ſi morbo liberatum, dum ad locum accilivem pergit, aut alias feſtinat, difficultas ſpirandi invadat, medicamentum dato, a quo alvus inferior minime moveatur: & ſi una cum vomitu pus ſequatur, ſi ſane pus fuerit album, & in eo fibræ ſubcruentæ fuerint, effugit; ſi vero lividum, cum virore pallidum, & graveolens, moritur: repurgantur autem in quadraginta diebus, ex quo ruptio facta eſt, multis etiam annuus ſit morbus: huic eadem quæ ſuppurato, facito. Quod ſi non eruperit (quibusdam enim procedente tempore ad latus abſcedit, & extumeſcit), ubi hoc contigerit, (hunc) ſecato; aut inurito.

CAPUT

CAPUT XXIII.

Pulmonis tum repleti, tum in latus procumbentis ſigna, & curatio.

PUlmo repletus. Si pulmo repletus ſit, tuſſis detinet, erecta cervice ſpiratio, & anhelatio; linguam exſerit, puſtulis rubentibus impletur, pruritus occupat; dolor acutus pectus & ſcapulas vexat, neque ſedere, neque recumbere, neque ſtare poteſt, ſed animo angitur. Hic quarto fere die moritur; quem ſi ſuperaverit, ſpes plerumque datur; ſæpe tamen etiam ſeptimo die periclitatur; quem ſi effugerit, convaleſcit.

Hunc, quum ſic habuerit, calida multa bis die lavato; quumque dolor detinuerit, tepentes ſotus admoveto; & mel cum aceto coctum bibendum, & ptiſanæ ſuccum ſorbendum, vinumque ſuperbibendum præbeto. Quod ſi balneo, & fomentis tepentibus vexetur, neque ea ferat; ipſi refrigeratorium apponito, & favum aqua maceratum quam maxime frigidum bibendum dato, & loco frigido decumbat. Hæc faciat; morbus autem gravis & lethalis eſt.

Pulmo in latus decumbens. Si pulmo in latus prociderit, tuſſis, & erecta cervice ſpiratio detinet, ſputum album tuſſi exſpuitur, dolor pectus, & dorſum occupat; & incumbens pulmo impellit, & pondus quoddam lateri incumbere videtur, & dolores acuti pungunt; cutis velut corium ſtridet, & reſpirationem inhibet; in latus quidem affectum decubitum ſuſtinet; in ſanum vero minime; verum ei pondus quoddam ex latere pendere, & per pectus tranſpirare videtur.

Hunc calida multa bis in die lavato, & aquam mulſam propinato: a balneo vinum album, pauco admixto melle, in quo dauci & centaureæ tritum ſemen maduerit, tepidum ſorbendam dato; & ad latus aquam tepidam in utriculum, aut veſicam bubulam infuſam admoveto, & faſcia pectus alligato; ac in latus ſanum decumbat, ptiſanæque ſuccum tepidum, & vinum aquoſum ſuperbibendum dato. Quod ſi ex vulnere iſtud fiat, aut purulento ſecto (fieri namque hoc ſolet) veſicam fiſtulæ alligatam & flatu impletam huic intro immittito, & penicillum ſtanneum ſolidum indito, & ulterius protrudito. Hac curatione inſtituta, voti maxime compos fies.

CAPUT XXIV.

De lateris tuberculo, pulmonis hydrope, ac pectore aut dorſo rupto, eorumque affectuum ſignis & curatione.

Lateris tuberculum. Quum tuberculum in latere oboritur, tuſſis dura detinet, & dolor, & febris; pondus in latus incumbit, dolor acutus eumdem locum ſemper occupat, ſitis vehemens (vexat), & calidum potum eructat, & decubitum in latus affectum non ſuſtinet; ſed in ſanum: verum ubi decumbit, velut ſaxum illi ſuſpenſum eſſe videtur; intumeſcit, ac rubet, pedesque tument. Hunc ſecato aut urito, deinde pus ad decimum usque diem emittito, & penicillum ex lino crudo imponito: poſt decimum diem, ubi totum pus exierit, vinum & oleum, ne derepente ſicceſcat, tepida injicito, & linamento ex linteolo obducito: ubi, quod infuderis, emiſſum

fuerit, aliud infundito, istaque per dies quinque facito. Quum autem pus album velut ptisanæ cremor defluxerit, & ad manus contactum visco-sum fuerit, penicillum stanneum immittito: atque ubi prorsus resiccatum fuerit, paulatim resecto penicillo, ulcus ad linamentum semper, ut coalescat, finito.

Hydrops pulmonis. Si hydrops in pulmone factus fuerit, febris & tussis detinet, confertim respirat, pedes tument, ungues omnes contrahuntur, & iisdem, quibus suppuratus, afficitur; verum remissius ac diutius. Quod si infusum, aut fomentum, aut suffitum adhibeas, pus non sequitur; indeque cognoveris, non pus, sed aquam intus esse: si quoque diutius aure ad latera admota auscultaveris, intrinsecus velut acetum olet. Et aliquamdiu his afficitur; sed postea in ventrem erumpit, confestimque sanus & morbo liberatus esse videtur; verum procedente tempore venter incenditur, eademque illa & ampliora patitur. Quibusdam etiam venter, & scrotum, ac facies intumescit: & nonnulli istud ab inferiore alvo provenire existimant, quum ventrem magnum, & pedes tumere videant: hæc enim intumescunt, si sectionis tempus præterieris. Hunc quidem, si exterius intumuerit, inter costas sectione facta curare oportet: si vero minime intumuerit, multa calida lotum, velut purulentos in sella collocato, & qua parte strepitum edet, ea secato; votumque sit, quo sane facile effluat, ut quam infimo loco id fiat. Post sectionem autem linamentum ex lino crudo imponito; linamentum crassum & in summo acutum facias, & quam paucissimum sanguinem parce emittas. Et si quidem quinto vel sexto die tibi linamentum pure obductum fuerit, plerumque evadit; sin vero

F 2

minime obductum fuerit, poſtquam aquam eduxeris, ſitis corripit, & tuſſis, ac moritur.

Pectus aut dorſum ruptum. Si pectus aut dorſum ruptum fuerit, dolores pectus, ac dorſum per totum obſident, calor alias atque alias invadit, ſputum ſubcruentum tuſſi rejicit, ac per ſputum velut capillus cruentus intercurrit: atque hæc maxime patitur, ſi manibus quid laborarit, aut in currum, aut equum conſcenderit. Hunc anteriore & poſteriore parte inurito, ita æqualiter utrinque, & ſic convaleſcit: per annum autem a labore contineto, & ab uſtione incraſſato.

CAPUT XXV.

De febre tum ardente, tum ſingultuoſa, earumque ſignis & curatione.

FEbris ardens. Febris, & ſitis vehemens detinet, lingua eſt aſpera, nigra, ex virore pallida, ſicca, aut valde rubra, oculi ex virore palleſcunt, alvi excrementum dejicit rubrum & ex virore pallidum, talemque urinam reddit, & multum ſpuit. Plerumque etiam in pulmonis inflammationem tranſmutatur, & delirat: ex eo pulmonis fieri inflammationem cognoveris: hic ſi quidem fiat peripneumonicus, & quatuordecim dies ſuperet, convaleſcit: ſi vero octodecim diebus factus fuerit peripneumonicus, ſi quidem impurgatus purulentus evadat, hunc aquam, in qua farina hordeacea craſſior macerata fuerit, bibere oportet, poſteaque acetum album quam odoratiſſimum bibere, & ptiſanæ ſuccum bis in die ſorbere; ter vero, ſi debilis ſit, & vinum gene-

rosum, album, dilutum superbibere, & quam minimum lavare: si vero purulentus fiat, ut purulentum curato.

Febris singultuosa. Febris vehemens detinet, rigor, tussis, & singultus; æger sanguinis grumos una cum sputo tussiendo rejicit, ac septimo die moritur. Quod si decem dies effugerit, melius habet: vigesimo autem die suppuratur, primisque diebus pus paucum tussiendo rejicit; deinde copiosius: sed intra quadragesimum diem expurgatur. Huic primis quidem diebus acetum cum melle coctum propinato, postea acetum & aquam admisceto, aquosiorem potionem reddens: verum ptisanæ succum pauco admixto melle sorbeat, & vinum album vinosum superbibat: ubi vero decem dies præterierint, si febris cesset, sputumque purum fuerit, ptisanam integram, aut milium sorbeat. Si vero vigesimo die pus exspuat, salviam, rutam, satureiam, origanum, & hypericum, singula æquis portionibus admixta, tusa & cribrata, omnium quantum conchæ parvæ testa capit, bibat, & cum pari polentæ modo, ex vino dulci temperato, jejuno bibenda præbeto. Sorbitionibus etiam utatur, si hiems, aut autumnus, aut ver fuerit; si vero æstas sit, minime; verum amygdalas contusas, cucumeris semen torrefactum, sesamum, singula æquis portionibus, in totum vero quantum conchæ testa capit, aqua heminæ Æginææ mensura affusa, adspersa farina & favo; id post potionem sorbeat. Cibis autem utatur pinguibus, & salsis, & piscibus marinis potius, quam carnibus; & calida lavet, caput vero minime. Hæc si fecerit, morbo liberatur.

CAPUT XXVI.

De lethargo, & ſolutorio (ſeu tabifico morbo) & febre perimente, eorumque morborum ſignis, & curatione.

MOrbus qui lethargus vocatur. Tuſſis detinet, ſputum copioſum, & liquidum exſpuit, & nugatur, quumque nugari deſierit, cantat, & alvi excrementum male olens dejicit. Huic aquam, in qua farina hordeacea craſſior macerata fuerit, propinato; poſteaque vinum album vinoſum bibendum exhibeto; ptiſanæ ſuccum etiam, mali punici ſucco admixto ſorbeat, vinumque album vinoſum ſuperbibat; neque lavet. Hic intra dies ſeptem moritur; ſi vero hos effugerit, ſanus evadit.

Alius morbus, qui ſolutorius (ſeu tabificus) dicitur. Non inediam, non cibum ſumptum ferre poteſt; ſed quum jejunus quidem eſt, viſcera muſſitant, & ventriculi os dolet, & alias alia vomit, bilem, ſalivam, ſpumam craſſam & acria; & poſtquam vomuit, aliquantiſper melius habere videtur. Ubi autem cibum ſumpſerit, ructus ei contingunt, cum rubore inceditur, & ſemper ſe copioſum recrementum dejecturum exiſtimat: quum vero deſederit, flatus infra demittitur; caput dolor vexat, ac totum corpus alias alia parte velut acus pungere videtur; crura gravia ſunt, ac debilia, tabeſcitque, ac imbecillus evadit. Huic medicamentum, primum quidem per inferiora purgans; deinde vero per ſuperiora, propinato, & caput purgato: cibis abſtineat dulcibus, oleoſis, & pinguibus, & crapula. Vomat autem a ſuccis, & a cibis; & pro

anni tempore post exhibitum lac aut ferum asininum, medicamentum, utro tibi magis opus esse videatur, insuper propinato. Frigida, æstate & vere lavet; autumno vero & hieme unguento utatur, & deambulet, ac modice sese exerceat: quod si debilior sit, quam ut exerceri queat, iter conficiat. Cibis frigidis ac dejicientibus utatur; & si venter non subducatur, emollienti clystere subluito. Hic morbus diuturnus est, qui si discessurus sit, consenescentes deserit; sin minus, ipsis commoritur.

Febris perimens dicta. Febris detinet, & rigor; supercilia impendere videntur, caput dolet, salivam calidam, & bilem copiosam vomit, interdumque per inferiora dejicit; oculorum loca eos non capiunt, dolor ad cervicem & inguina irruit, infirmis est viribus, & nugatur. Hic septimo die aut etiam prius moritur: si vero hunc effugerit, plerumque convalescit: morbus autem lethalis est. Huic refrigerantia ad viscera, & caput admovere oportet, & hordea torrefacta una cum paleis confracta bibenda exhibere, & ex aqua, in qua macerata fuerint, excolata, mulsam conficere, eamque dilutam propinare. Haud cibus autem, neque sorbitio ad usque septimum diem offerenda, nisi tibi debilis esse videatur: si vero sit debilis, ptisanæ succus frigidus, ac tenuis, parce bis die exhibendus, & aqua superbibenda. At ubi septem dies præterierint, & febris dimiserit, milium delingendum. Sub vesperum cucurbita & betæ paucæ adhibendæ, vinumque album aquosum superbibendum, quoad nonus accesserit dies: deinde quam paucissimo cibo utatur, milio in prandio sumpto. Balneo, quamdiu dolor & febris detinent, ne utatur: ubi vero cessaverint, haud multa lavet.

Quod ſi venter non dejiciat, eum emolliente clyſtere ſubluito, aut glandes ſubdito. At ubi vires valuerint, molli medicamento ad nares admoto, alvum per inferiora purgato: deinde lac aſininum propinato.

CAPUT XXVII.

De morbo livido ac ructuoſo, eorumque ſignis & curatione.

LIvidus morbus. Febris ſicca detinet, ſubindeque horror, caput dolet, viſcera dolor occupat, bilem vomit; quumque dolor detinet, ſurſum tueri nequit; ſed gravatur, alvus dura fit, & color lividus, labra & oculorum candida liveſcunt, & aſpectum præſefert ejus qui ſtrangulatur; interdum etiam colorem mutat, & ex livido, cum virore aliquantulum palleſcit. Huic medicamentum tum ſurſum, tum deorſum purgans propinato; alvum ſubluito, & a capite purgato: calida quam minimum lavet; verum ubi laverit, apricetur; ſerum & lac aſininum pro anni tempore bibat; cibis quam molliſſimis & frigidis utatur, acribus & ſalſis abſtineat; unguinoſa vero & dulcia pinguiaque aſſumat. Hic autem morbus cum ægro plerumque commoritur.

Morbus ructuoſus. Dolor acutus corripit, vehementerque laborat, ſeipſum ipſe jactat, vociferatur, frequenter eructat, ac ſi eructaverit, melius habere videtur: ſæpe vero paucam bilem evomit, poculi parvi menſura; ac dolor a viſceribus ad imum ventrem, & laterum mollitudinem prehendit; quumque id contigerit, melius habere videtur; venter inflatur, & dureſcit, ſtre-

pitum edit, nèque flatus, neque ſtercus dejicitur. Hunc ſi dolor detinuerit, calida multa lavato, & tepentes fotus admoveto: quum vero in ventre dolor, ac flatus fuerit, alvum clyſtere ſubluito, & mercurialis ſuccum coctum cum ptiſanæ ſucco admiſceto, & vinum dulce aquoſum ſuperbibendum dato; cibum, quoad dolor remiſerit, ne exhibeas; aquam autem ex vinaceis dulcibus per noctem maceratis, ſex diebus bibat: quod ſi vinacea non habeat, mel cum aceto coctum (bibat). At poſtquam dolore vacuus fuerit, medicamento alvum per inferiora purgato: cibis utatur mollibus & alvum ſubducentibus, & marinis potius, quam carnibus; carnibus autem avicularum & ovium coctis; betas etiam & cucurbitam (edat,) reliquis vero abſtineat. Hic autem morbus, quum juvenem invaſerit, tempore decedit; ſi vero ſeniorem, ad mortem comitatur.

CAPUT XXVIII.

De morbo pituitoſo mulieres potius, quam viros obſidente; & pituita alba ſeu leucophlegmatia; & utriusque ſignis & curatione.

MOrbus pituitoſus. Virum quidem etiam, mulierem tamen magis invadit; & hæc quidem craſſa eſt, & bene colorata; ſed iter faciens debilitatur, præſertim vero quum ad arduum locum contendit; febris tenuis, interdumque ſuffocatio prehendit, & quum jejuna quidem eſt, bilem, ſalivamque copioſam evomit, ſæpe vero etiam ubi cibum ſumpſit; cibi tamen nihil.

Quum laboraverit, dolor modo pectus, modo dorſum occupat, & rubicundis cutis eminentiis velut ab urtica inuſtis completur. Huic medicamentum purgans propinato, ſerum & lac aſininum bibat: quod ſi ſerum potet, quam plurimis ante diebus medicamentum per inferiora purgans bibendum exhibeto; quumque ſerum bibere deſierit, lac aſininum poſtea bibat; & ubi biberit, cibis quidem abſtineat; vinum autem quam ſuaviſſimum bibat, ubi purgari deſierit. Quum vero a potione ceſſaverit, milium in prandio ſumat; ſub veſperum autem cibo quam molliſſimo, & pauciſſimo utatur; & pinguibus, dulcibus, ac oleoſis abſtineat; & alias atque alias, præſertim hieme, ubi olera ante comederit, ex lenticulæ decocto vomat; calida quam minimum lavet, ſed ad ſolem apricetur. Hic vero morbus ad mortem comitatur.

Pituita alba. Totum corpus albo tumore tumet, venter ad contactum craſſus eſt; pedes, coxæ, tibiæ & ſcrotum tument; reſpiratio denſa eſt, vultus rubicundus, os aridum, & ſitis detinet; quumque comedit, ſpiritus creber incidit: hic eodem die interdum quidem melius, interdum vero pejus habet. Huic vero, ſi venter per morbi initia ſua quidem ſponte turbatus fuerit, ſanitati eſt proximus: quod ſi non turbetur, medicamentum deorſum purgans, quo aqua purgetur, exhibeto; calida ne lavet; ad ſudum deducatur; & ſcrotum ubi impletum fuerit, pertundito. In cibis pane puro, frigido utatur, & betis, piſcibusque ſcorpiis coctis; jure autem quam pauciſſimo: frigida omnia edat, non dulcia, neque pinguia; ſed contrita, & acida, & acria, excepto allio, cepa, & porro: origanum autem & ſatureiam copioſam edat, vinumque vi-

nosum superbibat; & ante cibum ambulet. At si a medicamentis tumeat, clysterem injicito, cibo premito, deambulationibus, & illuvie. Medicamenta autem purgantia quam paucissima exhibeto; minime vero sursum purgans, priusquam tumores ad inferiora descenderint. Quod si extenuato jam ipso, in pectore suffocatio oboriatur, veratrum bibendum dato, caput purgato: deinde medicamentum deorsum purgans propinato. Hic vero morbus nullum fere deserit.

CAPUT XXIX.

De morbis melancholicis, sollicitudine, morbo difficili; & morbis nigris tribus; eorumque signis, & curatione.

SOllicitudo, molestus morbus. Viscera veluti spinarum aculeos habere, & his pungi videntur; anxietas ipsum invadit, lucem & homines fugit, tenebras amat, ac metus corripit; septum transversum foris tumet, & ad contactum dolet; terretur, pavores & somnia formidanda cernit, quandoque & mortuos. Morbus hic interdum plurimos vere prehendit.

Veratrum huic propinato, & caput purgato; post capitis purgationem, medicamentum per inferiora purgans bibendum exhibeto; & postea lac asininum bibat. Cibis quam paucissimis, nisi infirmis fuerit viribus, utatur, & frigidis, ac alvum subducentibus, non acribus, non salsis, non pinguibus, neque dulcibus. Calida non lavet, neque vinum bibat: sed aquam quidem maxime, alioqui vinum dilutum; neque se exerceat,

neque deambulet. Hæc si fecerit, temporis successu morbo liberatur; si vero neglexerit, commoritur.

Morbus niger. (Bilem) atram tanquam fæcem vomit, interdum quidem velut sanguinem, interdum vero velut vinum secundarium, quandoque etiam velut polypi atramentum, quandoque acidum tanquam acetum, nonnunquam vero salivam & pituitam, nonnunquam bilem ex viridi pallidam. Et quum nigrum quidem cruentum vomuerit, cadaver olere videtur; fauces & os vomitu incenduntur, dentes stupescunt, & quod vomitione rejectum est, terram attollit; quumque vomuerit, paulo melius habere videtur. Neque sine cibo esse, neque copiosiorem cibum devoratum ferre potest: verum quum jejunus fuerit, viscera mussitant, & salivæ acescunt: quum vero quidquam ederit, pondus in visceribus (percipitur); pectus & dorsum tanquam stylis pungi videntur, latera dolor vexat, febris levis est, caput dolet, oculis non videt, crura gravantur, color nigricat, & tabescit.

Huic medicamentum purgans crebro propinato, & serum, & lac pro anni tempore; & cibis abstineat dulcibus, oleosis, & pinguibus, utaturque quam frigidissimis, ac maxime alvum subducentibus; caput purgato, & post potiones medicamentorum per superiora purgantium, nisi debilis fuerit, sanguinem ex brachiis detrahito: quod si alvus non dejiciat, emollienti infuso subluito. Crapula, & venere abstineat; sed si venere utatur, jejunus fomentis utatur, & sole abstineat, neque multum se exerceat, neque deambulet, neque calida lavet, neque acria edat, neque salsa. Hæc facienda, & cum ætate etiam

morbus aufugit, aut etiam cum corpore ſeneſcit : ſi vero denigratus ſit, commoritur.

Alius niger morbus. Subfulvus, gracilis, & in oculis ex virore pallidus fit; tenui eſt cute, ac debilis; quoque diutius hic morbus detinet, eo magis afflictat; & quovis tempore velut ſtillam modicam vomit, ad duo parva pocula, cibumque frequenter, & cum cibo bilem ac pituitam; poſt vomitum totum corpus dolet, interdumque etiam priusquam vomat; horrores leves, & febris detinet, ſumptisque dulcibus & oleoſis præcipue vomit.

Hunc medicamentis per inferiora & ſuperiora purgare oportet, poſteaque lac aſininum bibendum exhibere. Cibis utatur quam molliſſimis ac frigidis, piſcibusque littoralibus & cartilagineis, betis, cucurbitis, & carnibus contritis : vinum album, vinoſum, dilutius bibat : vehementiore autem exercitatione in deambulationibus utatur, neque calida lavet, ac ſole abſtineat. Hæc agenda; verum lethalis quidem morbus non eſt, ſed conſeneſcit.

Morbus ſideratorius. In reliquis quidem eadem patitur, verum bilis grumos concretos vomit; eodemque modo per inferiora dejicit, ubi ciborum recrementa excreverit. Eadem vero facienda, quæ in ſuperiore morbo commemorata ſunt; & alvus clyſtere proluenda.



HIPPOCRATIS DE MORBIS LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM LIBRI.

Hi exponuntur morbi, cerebri tumor, ejusque dolorifica repletio, ſidere ictus, ſideratio cerebri, lethargus, febris ardens, pulmo tumens, capitis dolor, phrenitis, angina, icterus, tetanus, opiſthotonus, convolvulus, peripneumonia, pleuritis; & potiones in ardente febre exhibendæ.

CAPUT I.

Tumor cerebri ex inflammatione, ejuſque diagnoſtica, prognoſtica, & curatio,

DE febribus quidem univerſis a me dictum eſt; de reliquis jam dicam.

Cerebri tumor. Quum cerebrum ab inflammatione tumuerit, dolor totum caput, ac potiſſimum qua parte inflammatio conſtiterit, occupat; in temporibus autem conſiſtit: aures ſono implentur; auditus autem hebeſcit, venæ intenduntur, ac pulſant, & febris, & rigor interdum invadit; neque unquam dolor intermittit, ſed interdum quidem remittit, quandoque etiam ma-

gis urget; præ dolore vociferatur, ſurſumque proſilit; quumque ſurrexerit, confeſtim rurſus ad lectum delabitur, ſeque jactat. Hic quidem deploratus eſt, quot vero diebus interiturus ſit, judicationem non habet; alii enim alias pereunt; plerumque tamen intra ſeptem dies moriuntur; primum autem & vigeſimum ubi effugerint, convaleſcunt.

Quum vero dolor vehemens vexaverit, refrigerare caput oportet, potiſſimum quidem raſura, aut aliquo refrigerantium medicamentorum, in veſicam aut inteſtina infuſo, qualis eſt ſolani ſuccus, aut creta figulina; modo quidem id admovere, modo etiam prius quam intepeſcat, auferre. Et ſanguinem detrahere oportet, & caput purgare, odoratis ad apii ſuccos admixtis. Vino prorſus abſtinere; ptiſanæ ſuccum ſorbere, & inferiorem alvum ſolvere.

CAPUT II.

De vehementi capitis dolore ex cerebri plenitudine; ejuſque ſignis & curatione.

PLenitudo cerebri dolorifica. Quum caput ex cerebri plenitudine vehementer doluerit, non purgatam eſſe humorum illuviem indicat; totum caput vehementes dolores occupant, delirat, & ſeptimo die moritur, neque evadit, niſi humor ad aures ſeptimo die erumpat: ita & dolor ſedatur, & ad mentem redit: copioſus autem & inodorus effluit.

Hujus magis aures quidem ne prius, quam pus erupiſſe videris, curato: quod ſi ſuperiorem

& inferiorem ventrem purgare voles, seorsum utrumque solvito: deinde capiti quam maxime quidem universo, sed & per aures, & nares fomentum admoveto: ptisanæ succum sorbeat, & vino prorsus abstineat. Ubi vero pus eruperit, quoad fluxionis copia desierit, sistito: postea vino dulci, aut lacte muliebri, aut oleo veteri, iisque tepidis infusis, aures colluito: caput crebro mollibus fomentis & odoratis, quo cerebrum citius purgetur, foveto. Hic primis quidem diebus non audit; procedente vero tempore tum fluxio minuitur, tum simul ac fluxio prorsus quievit, auditio redit, & sibi ipse maxime similis redditur. Vitare autem oportet solem, ventos, ignem, fumum, acrium odores, aliaque hujusmodi; & quiescere, ac molli victus ratione uti: alvus inferior ex vasorum vacuatione solutu sit facilis.

CAPUT III.

De sidere ictorum, signis, & curatione.

ATtoniti. Icti esse dicuntur, cum cerebrum repletum fuerit ob multam purgationem intermissam: cruciatum primum exhibet anterior capitis pars, & suspicere non possunt, quidam ambobus oculis; quidam vero altero, & sopor ipsos habet; menteque sunt emoti, & tempora saliunt & febris levis habet, corporisque impotentia. Hic tertio aut quinto die moritur, neque ad septimum pervenit; sed si pervenerit, incolumis evadit.

Hunc si curare voles, capiti fomentum admoveto, & sectione facta respirationem efficito. Sed si dolor detinuerit, & sternutationes movere oportet,

oportet, & purgare caput levibus ac odoratis, ventremque inferiorem purgare; vino prorſus abſtinere, & ptiſanæ ſucco uti.

CAPUT IV.

De ſiderationis cerebri ſignis, & curatione.

CErebri ſideratio. Quod ſi cerebrum ſideratum fuerit, caput dolor occupat, & per cervicem ad ſpinam pervadit; & ipſe nihil audit, frigusque in caput irruit, totus tumeſcit, ac derepente voce captus apparet; ex naribus ſanguis fluit, & lividus evadit. Hunc ſi morbus leviter corripuerit, quum ſanguis abierit, melius habet: ſi vero vehementer correptus fuerit, cito moritur.

Huic ſternutationes per odorata movendæ, & alvus utraque per vices purganda, aut altera; odorata leves odores habentia, naribus admovenda; ſorbitioque tenuis, & tepida exhibenda; vino autem penitus abſtinendum.

CAPUT V.

De lethargi ſignis & curatione; ex lethargo ſuppurati.

LEthargus. Lethargi quidem morbi conſtitutio eadem, quæ & peripneumoniæ; gravior tamen, neque omnino liberatur ab humida peripneumonia; ſed longe tardior morbus eſt. Hæc autem patitur. Tuſſis & ſopor eum detinet; ſputum humidum, & copioſum ejicit; infirmis ad-

modum eſt viribus, & quum interiturus eſt multum, idque liquidum per inferiora, dejicit. Huic quidem admodum exigua vitæ ſpes ſupereſt: efficiendum tamen ut plurimum ſpuat, & calefiat, vinoque abſtineat: quod ſi effugerit, purulentus efficitur.

CAPUT VI.

De febris ardentis dignotione, prænotione, & curatione.

FEbris ardens. In febre ardente dicta, ſitis multa detinet, lingua inhorreſcit; ejusque color, primo quidem tempore, qualis eſſe conſuevit, verum valde ſicca eſt; procedente vero tempore induratur, exaſperatur, craſſeſcit; deinde nigreſcit. Si ſane per initia hæc contingant, celeriores judicationes fiunt; ſi vero poſterius, tardiores: remiſſionis autem eadem omnia ſigna prodit lingua, quæ in peripneumonia. Et urinæ bilioſæ quidem, aut cruentæ, dolorem intenſum: flavæ vero remiſſiorem ſignificant; ſputumque præ calore ac ſiccitate exuſtum & craſſum eſt. Plerumque vero & in peripneumoniam tranſit: quod ſi tranſierit, celeriter moritur.

Hunc autem ſic curare oportet. Singulis diebus bis aut ter, capite excepto, calida lavato: in criſibus autem lavandum non eſt. Ac primis quidem diebus per inferiora purgandum, & aqua potui exhibenda: aqua etenim plerumque vomitum inducit: poſteris a purgatione (diebus) humectandum, ſorbitionibus, vinisque dulcibus utendum. At ſi per initia curandum non ſuſce-

peris, ſed ſignis jam in lingua exiſtentibus, ſinere oportet, dum judicationes præterierint, linguæque ſigna mitiora evaſerint; & neque medicamentum, neque per clyſterem infuſum, priusquam judicationes præterierint, exhibueris.

CAPUT VII.

Pulmo ex calore tumens; ejusque dignotio, prænotio, & curatio.

PUlmo ex calore tumens. Quum pulmo caloris plenus intumuerit, vehemens duraque tuſſis detinet, ſpiritus erecta cervice ducitur, conſertim reſpirat, crebro anhelat, tumeſcit, nares expandit ut equus ex curſu, & linguam frequenter exſerit, pectus ei ſonum edere videtur, & gravitas ineſſe: quapropter (hanc) pectus capere nequit, ſed disrumpitur, & eſt impotens, ac dolor acutus occupat; dorſum, pectus & latera velut acus pungunt, eaque ardent, ut ejus qui ad ignem ſedeat; in pectore & dorſo rubores tanquam ex flamma exoriuntur, ac adeo vahemens morſus & anxietas invadit, ut neque ſtare, neque ſedere, neque decumbere queat; ſed ita æſtuans ſeipſum jactat, & jamjam mori videtur. Moritur autem maxime quarto aut ſeptimo die; quos ſi effugerit, plerumque haud perit.

Hunc ſi curabis, alvum inferiorem quam citiſſime per clyſterem probe purgare oportet; & e cubitis, nare, lingua, & quavis corporis parte ſanguinem mittere; & potiones refrigerantes, ſorbitionesque ejusdem facultatis exhibere: urinam etiam cientia, ſed quæ non calefaciant, ſæpe

G 2

danda. Et ad dolores quidem ipſos, quum vehementer irruunt, tepefacientibus levibus & humidis adhibitis, locum ubicumque dolor fuerit, calefacere & humectare oportet; reliquis vero partibus, admotis refrigerantibus, ea quidem modo auferre, modo vero adponere; & quacunque parte ardere videbitur, frigus inducere, & in totum vino abſtinere.

CAPUT VIII.

De acuto capitis dolore cum vocis interceptione, ejusque dignotione, prænotione & curatione.

CApitis dolor. Quum autem a capite exortus dolor acutus derepente vocem interceperit, tum alias, tum ubi ex ebrietate contigerit, ſic adfectus ſeptimo die moritur. Minus tamen tale quid ex ebrietate perpeſſi, & voce capti permanentes moriuntur: eodem enim die, aut poſtero, aut tertio ſi vox eruperit, convaleſcunt: hoc autem ex temulentia nonnulli faciunt, neutrique pereunt.

His vehementes ſternutationes inducito, & clyſterem injicito, qui vehementer bilem educat: quod ſi ſenſum recuperaverit, thapſiæ ſuccum ex multa aqua calida, quo quam citiſſime revomat, exhibeto. Deinde extenuato, & per ſeptem dies a vino prohibeto: ſanguis etiam e lingua detrahendus; ſi venam prehendere poſſis.

CAPUT IX.

De phrenitidum dignotione, & curatione.

PHrenitides. Phrenitis etiam ex aliis morbis contingit; hæc autem patiuntur (phrenitici). Septum transversum adeo dolet, ut ne contingere quidem sinant, febris detinet, mente alienantur, intentis oculis adspiciunt, aliaque similia efficiunt his, qui peripneumonia laborant, quum hi in peripneumonia mente moventur.

Hunc tepefacientibus humidis fovere oportet, & potionibus, præterquam vino. Et si quidem fieri poterit, per superiora purgare, & per tussim etiam & sputum, quemadmodum in peripneumonia, educere oportet: sin minus, alvus inferior, ut dejiciat, præparanda, & potionibus humectanda; hoc enim conducit. Hic autem morbus lethalis est; tertio namque die, aut quinto, aut septimo moriuntur: si vero leviter corripuerit, ut peripneumonia judicatur.

CAPUT X.

Angina duplex, cynanche, & paracynanche; & utriusque signa & curatio.

ANgina. Ab angina appellata homo suffocatur, & in faucibus magis urgeri videtur, & neque salivam, neque aliud quidquam adtrahit; oculi adfecti sunt, ac velut strangulatis prominent, & per eos contente intuetur, neque eos convertere potest; crebro singultit, & exsilit, facies & fauces incenduntur, imo etiam collum:

intuentibus vero nihil mali habere videtur, & cernit, & audit obtusius, & præ suffocatione non intelligit, neque quid dicat, aut audiat, aut faciat; sed jacet ore hiante salivam effundens. Hæc quum faciat, quinto, aut septimo, aut nono die moritur.

Paracynanche. Quum vero horum signorum aliquod absuerit, leviorem morbum indicat, eumque paracynanchen appellant. Huic vena, præsertim quidem sub mamma, secanda est; hac enim spiritus ex pulmone calidus concomitatur. Quin & medicamento aut clystere deorsum purgare oportet, fistulæque in fauces ad maxillas intrudendæ, quo spiritus in pulmonem trahatur; efficiendumque, ut quam citissime spuat, pulmoque attenuandus: suffitus quoque ex hyssopo Cilicio, sulphure, & bitumine parandus, & per fistulas adtrahendus, perque nares, ut pituita exeat: fauces & lingua, his quæ pituitam ducant, infricanda; venæque sub lingua secandæ: sanguis etiam ex cubitis mittendus, si vires valeant. Vino abstinendum, & ptisanæ succus liquidus sorbendus. Postquam autem morbus remiserit, cibosque gustaverit, elaterio recenti, ne in aliud malum incidat, purgandum.

CAPUT XI.

De icteri (seu morbi Regii) dignotione, prænotione, & curatione.

MOrbus icterus. Hujusmodi icterus acutus est, & cito enecat. Color totus malicorium maxime refert, ex viridi pallescens, quales sunt lacerti virides; simileque fere corpus est:

& in urina ſubſidet, velut ervum fulvum; & febris ac horror levis detinet. Quandoque etiam veſtes ferre non ſuſtinet, ſed (ab iis) mordetur ac raditur: jejuno mane viſcera plerumque lacerantur; & ſi quis eum excitet, aut adloquatur, non patitur. Hic fere intra dies quatuordecim moritur; hos ſi effugerit, convaleſcit.

Calida lavare oportet, & aquam mulſam bibere, cum nucibus Thaſiis decorticatis, & abſinthii coma, pari portione, & aniſi cribrati dimidio, ita ut triobolum ex his jejunus bibat; rurſusque quum cubile petit, hanc aquam mulſam, vinumque vetus tenue (aſſumat), & ſorbitiones, neque cibis abſtineat.

CAPUT XII.

De tetano, & opiſthotono, & utriusque dignotione, prænotione & curatione.

TEtanus. Quum invaſerint tetani, maxillæ velut ligna rigent, & os aperire nequeunt; oculi illacrymantur ac diſtorquentur, dorſum riget, crura contrahere non poſſunt, ſimiliter neque manus; facies rubeſcit, & vehementer dolet, quumque moriturus eſt, potionem, ſorbitionem, & pituitam per nares revomit. Hic tertio, aut quinto, aut ſeptimo, aut decimo quarto die perit; hos ſi effugerit, convaleſcit.

Huic potionem ex pipere & veratro nigro exhibeto, & juſculum gallinaceum pingue, & calidum, ſternutamentaque vehementia & multa excitato, & fotus adhibeto: ubi vero non fovebitur, tepefactoria humida & pinguia in veſicis & utriculis undique, præſertimque ad dolentes par-

tes admoveto, & calido (oleo) copioſo, crebroque illinito.

Opiſthotonus. Quum opiſthotonus tenuerit, reliqua quidem plerumque eadem ſunt; verum in poſteriora convellitur, interdumque vociferatur; vehementes dolores occupant; neque interdum crura adducere, neque manus extendere ſinit: inflexi enim ſunt cubiti, digitos in pugnum contractos habet, & pollicem ut plurimum aliis digitis continet, vociferatur, & quandoque nugatur; neque ſe continere poteſt, ſed quum dolor detinet, interdum ſurſum proſilit; ubi vero dolor remiſerit, quietem habet. Interdum vero ſimul ut morbo corripiuntur, muti fiunt, aut inſania, & melancholia tentantur. Hi voce ſoluta, tertio die moriuntur, & per nares revomunt: ſi vero contigerit, ut decimum quartum diem effugerint, convaleſcunt.

Ut ſuperiorem, curato, & ſi voles ita facito. Poſt adfuſam aquam frigidam plurimam, veſtimenta tenuia, pura, & calida ſuperinjicito; tuncque ignem ne adhibeto. Hoc modo & tetani & opiſthotoni curandi.

CAPUT XIII.

De volvulorum diagnoſi, & curatione; de flatus in ventrem per follem immiſſione.

VOlvuli. Oriuntur volvuli, quum incaleſcit venter ſuperior, inferior vero refrigeſcit: reſiccatur enim ſimul inteſtinum, & conſtipatur ex inflammatione, ita ut neque flatus, neque alimenta pertranſeant, ſed venter durus ſit, & vomat interdum, in primis quidem pituitoſa;

deinde vero biliosa, postremo etiam stercus; sitim patitur, ac dolorem, maxime circa hypochondria, totus etiam venter dolet, & inflatur, & sese jactat; febres invadunt, fiuntque maxime septimo die.

Hos sic curare oportet. Venter superior quam citissime purgandus; sanguis e capite & cubitis detrahendus, ut alvus superior calescere desinat: partes supra septum transversum, excepto corde, refrigerandæ; inferiores autem, homine in aquæ calidæ solio collocato, & oleo semper illito, calefaciendæ, & tepentes fotus humidi admovendi: glans ex solo melle decem digitorum longitudinis constituenda, summa ejus parte anteriore felle taurino illita, bis aut ter subjicienda, quoad exusta omnia circa rectum intestinum stercora educas. Quod si sic paruerit, postea clyster injiciendus: sin minus, folle fabrili indito, in ventrem flatus immittendus, ut tum ventrem, tum intestinum contractum distendas. Deinde extracto folle, clyster injiciendus. Sit autem statim paratus clyster, ex non admodum calefacientibus, sed stercora dissolventibus ac emollientibus: deinde obturata sede spongia, in aqua calida desideat, clysma continens. Quod si clysma receperit, rursusque demiserit, convalescit. Priore autem tempore mel quam optimum delingat, vinumque vernaculum bene meracum bibat. At si remisso volvulo, febris eum prehenderit, sine spe est: fortassis enim etiam soluta alvus inferior interficiet.

CAPUT XIV.

De peripneumoniæ dignotione, prænotione, & curatione.

PUlmonis inflammatio. Peripneumonia vero hæc facit. Febris acuta detinet, ſpiritum crebrum & calidum reſpirat, anxietudo, impotentia, jactatio, dolor ſub ſcapulis, ad claviculam, & mammam, & in pectore gravitas: interdum etiam delirium: nonnullis vero, donec tuſſire cœperint, ſine dolore eſt; ſed illa diuturnior eſt, & difficilior. Primum autem ſputum album & ſpumoſum ſpuit; lingua flava eſt; procedente vero tempore nigreſcit. Si igitur circa initia nigreſcat, celeriores ſunt liberationes; ſi vero poſtea, tardiores. Ad extremum autem lingua dehiſcit, &, ſi digitum admoveris, adhæreſcit: morbi vero liberationem, quemadmodum & in pleuritide, ſimiliter lingua ſignificat. Hæc autem contingunt diebus ut minimum quatuordecim, ad ſummum vero uno & viginti: & hoc tempore vehementer tuſſit, ſimulque cum tuſſi purgatur: primum quidem copioſum & ſpumoſum ſputum; ſeptimo vero & octavo die, quum febris in vigore fuerit, humidaque peripneumonia exſtiterit, craſſius procedit; ſin ſecus, minime: nono & decimo, aliquantum cum virore palleſcens & ſubcruentum: duodecimo ad decimum quartum usque, copioſum & purulentum. In iis nempe, in quibus naturæ & corporis affectiones humidæ ſunt, quinetiam morbus vehementior eſt: at quibus natura & morbi conſtitutio ſicca eſt, in his minus. Si quidem igitur ad decimum quartum diem reſiccatus fuerit, neque purulen-

tum amplius tuſſi rejecerit, ſanus eſt; ſin minus, decimum octavum, & primum ac vigeſimum diem animadverte. Et, ſi quidem tunc quieverit hujusmodi ſputum, evadit; ſin minus, an dulcius ſputum ſit, ipſum interroga: quod ſi affirmaverit, pulmonem ipſi purulentum eſſe ſcito, morbumque annuum fore, niſi per quadraginta dies properans pus ſurſum eduxerit: at ſi ingratum ſputum eſſe dixerit, hic morbi ſtatus lethalis eſt. Verum hi primis potiſſimum diebus manifeſti ſunt: nam ſi putridum & purulentum ſputum duobus & viginti diebus exſpuerit, neque exulceratus fuerit, evadit; ſin minus, neutiquam. Hæc peripneumonia nullum relinquit vitiorum, quæ in pulmone ſunt: ſi igitur harum affectionum aliquid abfuerit, noſſe oportet quænam ægro ſint neceſſaria, & quænam Medico aggredienda ſint: quod ſi pauca ex his ſignis habeat, non eſt quod decipiatur, quum hæc peripneumonia minime exitialis ſit, ſed levis.

At peripneumoniam ita curare oportet: neque tamen peccaverit, ſi quis etiam pleuritidem & phrenitidem hoc modo curare aggrediatur. Primum quidem caput levius reddito, ne quid ad pectus defluat. Primis autem diebus ſorbitiones ſint dulciores: ſic enim maxime quod in ſe conſedit & compactum eſt, dilueris & agitaveris: quarto, quinto & ſexto die, ne amplius dulces ſint; ſed pingues: quum ad ſputum per ſuperiora exſcreandum conferant. Quod ſi pro ratione ſpuere nequeat, medicamenta, quæ ſurſum educunt, exhibenda. Primis quidem quatuor aut quinque diebus, paulo magis alvum ſubducere oportet, quo & febres obtuſiores ſint, & dolores leviores: quum autem vacuatus fuerit & corpore debilis, tertio quoque die alvus ſubducen-

da, ut tum corpus robuſtum evadat, tum ſuperiora loca humoris expertia: nam ſi multus humor per inferiora ſecedat a quinto die, mortem adfert: ſecedente enim per inferiora humore, ſuperiora ſicceſcunt, neque ſputi purgatio per ſuperiora prodit. Inferiorem igitur alvum neque nimis ſiſti oportet, ut febres haud acutæ ſint; neque nimis ſubduci, quo ſputum ſurſum emitti poſſit, & æger viribus valeat. At ſexto, & ſeptimo, ac nono die, jamque ulterius progreſſo morbo, medicamenta quæ ſurſum educant, magis exhibeto: ſit autem medicamentum, veratrum album, thapſia, elaterium recens, cujusque par portio. Quod ſi ſputum probe non repurgetur, & ſpiratio crebra fuerit, neque purgatio ſuperet, deſperatam eſſe ſalutem prædicito; niſi ad purgationem ſufficere poſſit. Facienda vero etiam quæ in peripneumonia fieri debent, ſi alvus inferior probe ſuum munus obierit: aliter etiam curatio facienda. A primo die ducto exordio, dracunculi magni concham majorem exhibeto, dauci & urticæ unam, ſinapis & rutæ, quantum tribus digitis capere poſſis, & laſerpitii ſuccum, fabæ magnitudine: hæc aceto dulci, & aqua temperata, & excolata, jejuno tepida potui præbeto. Poſtquam autem purum exſpuere cœperit, dracunculi concham majorem, & ſeſamum, & amygdalas purgatas, aceto dulci, aqua diluto, propina: quod ſi magis educere voles, radicis capparidis corticem his admiſceto.

CAPUT XV.

De pleuritide humida, biliosa, & cruenta; arida; dorsali; quarum hic diagnostica, prognostica, pharmaceutica, diætetica, & chirurgica traduntur.

PLeuritis. Quum pleuritis corripuerit, hæc contingunt. Dolor latus (occupat) febris & horror detinet, crebra eſt reſpiratio, & erecta cervice fit, ſubbilioſa velut mali punici putamen per tuſſim rejicit, niſi ruptiones habuerit; ſi vero habuerit, etiam ſanguinem a ruptionibus. Eſt autem & cruenta: in qua ſanguinea exſpuit. Et bilioſa quidem mitior eſt, niſi æger ruptiones habuerit: ſin minus, moleſtior quidem; ſed non adeo lethalis: cruenta autem vehemens, & laborioſa, & lethalis eſt. Quum igitur adeſt etiam una ſingultus, ſimulque cum ſputo ſanguinis grumos nigros extuſſit, hic ſeptimo die moritur: ſi vero decem dies effugerit, a pleuritide convaleſcit; ſed vigeſimo ſuppuratur, & pus per tuſſim rejicit: tandem vero evomit, neque adeo facile curatur.

Pleuritides ſiccæ. Sunt autem & ſiccæ pleuritides ſine ſputo; verum hæ moleſtæ ſunt: judicationes aliis ſimiles ſunt; at copioſiore in potu humectatione, quam aliæ, opus habent. Bilioſæ autem & cruentæ nono & undecimo die decernunt, iique magis ſaneſcunt. Quod ſi per initia quidam leves dolores detinuerint, poſt quintum vero & ſextum diem acuti, ii ad duodecimum uſque protrahuntur, neque fere effugiunt: periculum autem eſt maxime ad uſque ſeptimum, imo etiam ad duodecimum; poſt hæc autem ſa-

nantur. Quæ ab initio quidem leves ſunt, poſt ſeptimum autem & octavum acutæ, ad decimum quartum decernunt & ſaneſcunt.

Pleuritis dorſalis. Pleuritis ad dorſum hoc ab aliis differt. Dorſum velut ex plaga dolor occupat, ingemiſcit, confertim reſpirat, ſtatim autem pauca ſpuit, & corpus laſſum ſuccumbit: tertio autem vel quarto die ſubcruentam ſaniem mejit; maxime vero quinto die moritur, alioquin, ſeptimo; hos ſi effugerit, vivit: hic morbus mitis eſt, minusque lethalis. Obſervandus tamen ad usque decimum quartum, poſtea vero ſaneſcit. Quibusdam autem pleuriticis purum ſputum, ſed urina cruenta eſt, qualis ſuccus ſeroſus ex carnibus aſſatis defluens; dolores vero acuti per ſpinam ad pectus, & inguina perveniunt. Hic, ſi ſeptimum diem effugerit, ſanus redditur. Quum vero harum pleuritidum aliqua laboranti dorſum rubeſcere contigerit, & humeros incaleſcere, dumque deſidet, pondere gravari, ſi venter perturbatus ex virore pallida, & graveolentia admodum demittat; hic ob ventris dejectionem primo & vigeſimo die moritur; quem ſi effugerit, convaleſcit. At quibus ſtatim exſpuitiones cujusvis ſunt generis, & dolores admodum acuti, tertio die moriuntur; quem ſi effugerint, convaleſcunt: qui vero ſeptimo, aut nono, aut undecimo die ſanus non fuerit, ſuppurari incipit: præſtat autem ſuppurari; minus enim lethale eſt, quamvis laborioſum ſit.

Præter autem commemorata ſigna, in unaquaque pleuritide hæc in lingua ſpectare oportet: bulla enim ſublivida in lingua ſuborta, qualis ferramento in oleum intincto, ſi quidem per initia aſpera fuerit, difficilior morbi liberatio contingit; & diebus, quibus oportet, ſanguinem

tuſſi rejicere neceſſe eſt : at ſi progreſſo etiam morbo id contingat, judicationes quidem ad decimum quartum diem (procedent), ſed ſanguinem exſpuere neceſſe eſt.

De liberatione autem ſic ſe res habet. Si tertio quidem die matureſcere, & exſpui cœperit, celeriores ſunt liberationes: ſi vero poſterius matureſcat, poſterius etiam judicationes contingunt, quemadmodum in capitis ſignis. In omni autem pleuritide dolores plerumque magis interdiu, quam noctu, leviores fiunt.

Sic autem pleuritides curandæ ſunt; plerumque velut phrenitis & peripneumonia, præterquam quod balneis calidis, & vino dulci utendum. Si igitur primo aut poſtero ab invaſione die ægrum ſuſceperis, ſi ſtercus quidem prodiit purum, aut leviter bilioſum & paucum, ex infuſo thapſiæ alvus ſubluenda: quod ſi alvus commota, noctu quidem relaxet, poſtridie vero & dolor, & tormina detineant, rurſus ſubluenda. Si vero æger natura bilioſus fuerit, & minime purgatus morbo correptus ſit, priusquam bilioſum ſputum exſpuat, medicamento etiam bilem probe purgato: jam vero bilioſa exſpuenti, medicamentum ne dederis: ſi enim dederis, ſputum per ſuperiora prodire minime poterit; ſed ſeptimo aut nono die ſuffocabitur, idque magis ſi hypochondria doleant. At ſi præter laterum dolores etiam hypochondria doleant, alvum ſubluere oportet; & jejuno potui exhibere ariſtolochiam, hyſſopum, cuminum, laſerpitium, peplum album, æris florem, & mel, & acetum, & aquam.

Per medicamenta quidem primas curationes ita moliri oportet : reliqua vero ſic ſe habent. Calida multa pro ægri viribus, præterquam caput, lavato; quumque judicationes exiſtunt, partes

dolentes humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito. Dum vero impetu morbi feruntur, tum ægrum, tum Medicum a curationibus quiescere oportet, ut ne quid mali inducatur. Ptisanæ autem succus coctus exhibendus, paulo crassior admixto melle redditus: post balnea, vinum dulce & aquosum potui exhibendum, minime frigidum, paucum, ex angusti oris poculo; quumque tusses invaserint, superbibendum & quam maxime exscreandum, & potu humectandum, quo pulmo humidior factus facilius ac citius sputum reddat, & tussis minus vexet. Et mali punici dulcis vinosi succum, cum lacte caprino pauco & melle mixtum noctu, & interdiu paulatim sæpe exhibeto, somnumque quam maxime prohibeto, quo celerior, ac copiosior purgatio contingat.

At cruentam pleuritidem ita curare oportet: post judicationes, vires levibus cibis reficiendæ, & quiescendum; prætereaque vitandi soles, venti, plenitudines, acida, salsa, pinguia, fumus, ventris flatus, labor, venus: si enim reverterit morbus, mors sequetur. In exspuitionibus autem, si dolor detineat, neque exspuere possit, jejuno æris florem baccæ olivæ magnitudine, succi silphii ejus dimidium, seminis trifolii parum, ex melle delingenda exhibeto: aut piperis grana quinque, & succi laserpitii fabæ quantitate, mel, acetum, & aquam, jejuno tepida propinato: hoc etiam dolores sedat. Quod si pro ratione spuere nequeat, sed in ipso (sputum) retineatur, & in pectore stertorem edat, radicis dracunculi magni concham majorem, & oleum cum melle admisceto, & acetum aqua temperatum insuper sorbendum dato.

Aliud vehemens. Æris florem fabæ quantitate, nitrum (assatum) dupla portione, hyssopi quan-

quantum tribus digitis capitur, melle admixto, aqua, & olei modico inſtillato, tepefacta per concham majorem, ne ſuffocetur, infundito: id etiam in pulmonis inflammatione, ſi non purgetur, faciendum. Si vero neque ſtertat, neque ut decet, ſpuat, capparis fructus quantum tribus digitis capitur, piper, nitri modicum, cum melle, aceto & aqua admixta, hoc tepidum ſorbendum dato: poſtridie vero id ex aceto, melle, & aqua fervefactum ſorbendum; quod & ſtertentibus, & iis qui expurgari nequeunt, exhibendum. At ſi valentius facere volueris, hyſſopi, ſinapeos, & naſturtii concham majorem in melle & aqua tritam, fervefactam, & colatam, tepidam ſorbendam præbeto.

Sic curati hi morbi ſanantur; niſi ſputi aliquid in pulmone relictum pus fiat, a quo tuſſis arida excitatur, febris, & horror detinet, erecta cervice ſpiratio vexat, frequenter & conſertim reſpirat, vox paulo gravior eſt, & ſaturus rubor cum calore vultum occupat: procedente vero tempore etiam magis aperte hic morbus declaratur. Hunc ſi intra decem dies (curandum) ſuſceperis, poſtquam victu & balneo calido calefeceris, medicamentum, quod pus educat, in pulmonem infundito, & aliis pus ducentibus utitor, victumque ut ſuppurato præſcribito, & caput, ne quid influat, reſiccato. At ſi per infuſum pus minime putreſcat, educatur, id ex pulmone in thoracem erumpit; poſtque ruptionem ſanus eſſe videtur, quod pus ex anguſtia in ampliorem locum venerit, & ſpiritus, quem reſpiramus, in pulmone ſedem habeat: ſed procedente tempore, pure pectus impletur, tuſſes & febres, aliique dolores omnes magis ipſum vexant, morbuſque declaratur. Hunc quindecim

poſt eruptionem diebus ſinere oportet, quo pus rurſus matureſcat; quum nimirum in ampliorem locum pus veniens, tum refrixerit, tum adducto ad ſe eo, quod in thorace erat, humido, ipſum ſemiputridum eſſe neceſſe ſit. Si igitur per hoc tempus ſua ſponte exſpui incipiat, (bene habet); ſin minus, medicamentis aut potionibus ſuccurrendum; ultimis quindecim diebus; ad virium corporis inſtaurationem, antequam magis atteratur, feſtinando, ut caput purum propter affluxiones tuearis. Si vero non ſpuatur, ſed ad latera ſui ſignificationem exhibeat, ſecato aut inurito. At ſi neque ſpuatur, neque de ſe in coſtis ſignificationem præbeat, jejunum copioſa calida lotum, & minime potu uſum, in ſella firma collocato; quumque alter eum ex humeris apprehenderit, tu ipſe eum concutito, aurem coſtis admovens, ut noſcas, utra ex parte ſui ſignificationem præbeat: votum autem eſt, ut id ad ſiniſtra magis contingat; nam dextra urere, aut ſecare lethale magis eſt: quanto enim dextræ partes robuſtiores ſunt, tanto etiam in ipſis vehementiores morbi fiunt. Quod ſi propter craſſitudinem pus non fluctuet, neque ſtrepitus edatur in pectore, crebrum autem ſpiritum trahat, pedes intumeſcant, & tuſſicula quædam adſit, ne decipiaris; ſed probe ſcias thoracem pure plenum eſſe. Linteo (itaque) tenui in rubrica terra liquida, admodum trita, & tepida intincto, thoracem in orbem obtegito: quaque parte primum reſiccatum fuerit, ea ſectionem aut uſtionem facere oportet, quam proxime ad ſeptum transverſum, cavendo (ne) ipſum ſeptum (attingas). Quod ſi voles, ubi rubricam illeveris, peræque velut in linteo, ſpectato: multi autem ſimul illinant, ne, quæ partes primum illinuntur, reſic-

centur : post sectionem vero, aut ustionem, penicillo ex lino crudo utere, & paulatim pus emitte. Quum vero secare aut urere voles, nota impressa, fac ut eandem figuram serves inter secandum aut urendum, ne te cutis figuræ immutatione sursum aut deorsum vergens decipiat. Tusses quoque ex victu vitandæ, ne rursus in pulmonem (quod malum est) pus revellant; sed sinendum, ut ad sectionem citissime resiccetur. Posteaquam vero duodecimum attigerit diem, pus reliquum totum emittito, & penicillum ex linteo imponito, ac bis die pus educito, superioremque ventrem victus ratione quam maxime resiccato. Ita suppurationes, quæ tum ex vulneribus, tum ex peripneumonia, & ex magnis defluxionibus, & incumbente in latera pulmone contingunt, spectare & curare oportet.

CAPUT XVI.

Refrigeratrices potiones in ardentibus febribus.

HAs autem potiones refrigerantes in febribus ardentibus, quum voles, bibendas dato. Multos autem edunt effectus; aliæ siquidem mictionem provocant, aliæ alvi dejectionem, aliæ utrumque, aliæ neutrum; sed tantum refrigerant, ut siquis in vas aquæ ferventis frigidam aquam infundat, aut vento frigido vas ipsum exponat. Alia vero aliis dato: neque enim omnibus dulcia conferunt, neque acerba, neque eadem bibere possunt.

I. Favorum siccorum heminas duas aqua maceratas, & conterens gustato, dum aqua subdul-

cis reddatur, deinde excolatas, injecto apio, bibendas dato.

II. Seminis lini acetabulum aquæ decem heminis affusis, in olla nova prunis imposita coquito; fervefacito, ut transpiret, quoad succus tactui pinguis evadat.

III. Aquam mulsam aquosam ad dimidias decoquito, deinde apium injicito, hoc frigidum paulatim exhibeto.

IV. Hordeum Achilleum plenum & magnum, resiccatum, & demptis aristis, ad heminæ mensuram, & bene lotum, aquæ congio affuso, ad dimidias coquito, refrigeratum potui exhibeto.

V. Cumini Æthiopici heminæ decimam partem, tribus aquæ semicongiis affusis decoquito, luto piloso olla oblita; ad tertias fervefacito, & refrigeratum hoc ad omnem febrem ardentem, aliamque febrem exhibeto.

VI. Aquam etiam pluviam per se solam (præbe).

VII. Ptisanæ heminam, aquæ congio affuso, ad dimidias coquito, deinde colatam, injecto apio frigidam potui dato.

VIII. Vina etiam alba ex uvis passis, aquosa.

IX. Uvarum passarum fæces vinaceæ expressæ, dilutæ.

X. Uvæ passæ albæ exemptis vinaceis heminam, radicum pantaphylli manipulum contusum, affusis aquæ heminis viginti, ad dimidias decoquito, frigidum paulatim exhibeto.

XI. Farinæ hordei pleni crassiori ad chœnicem dimidiam, affuso aquæ congio, quum crassiores farinæ partes jam intumuerint, eas manibus terito, quoad aqua alba reddatur; & adianti pugillo injecto, nocturno sereno expositam præbeto.

XII. Trium aut quatuor ovorum candidum in aquæ congio subactum bibat. Hoc admodum re-

frigerat, & ægrum ad alvum ſubducendam etiam concitat.

XIII. Hordei torrefacti probe loti chœnicem dimidiam, in aquæ congio bis aut ter fervefactam, frigidam exhibeto.

XIV. Ptiſanæ cremorem coctum tenuem, & vinum dulce dato. Hoc autem non movet.

XV. Cucumeris peponis ſine cortice pollinem ex aqua (propinato). Hoc urinam movet, & refrigerat, & ſitim ſedat.

XVI. Ervum in aqua præcoctum, deinde ollæ novæ in majore olla aquæ plena inditum, alia ervo affuſa aqua parum coquito; poſtea effuſam tertiam partem, ubi ervum coctum fuerit, refrigeratam præbeto, ad cyathos ſingulos inſperſo cucumeris, & ervi polline. Hoc explorate ſitim ſedat.

XVII. Vinum Thaſium vetus, aquæ quinque & viginti partibus ad unam vini partem (admixtis), exhibeto.

XVIII. Trifolium, cucumeris pollinem, ex aqua, in qua craſſiores hordeaceæ farinæ partes maduerint, præbeto.

XIX. Apii manipulos tres, pulegii pugillos duos, in aceti heminis decem, ad tertias coquito; hoc melle & aqua dilutum aquoſum bibat, adianti pugillo injecto; hoc urinam ducit & alvum ſolvit.

XX. Mala odorata dulcia contuſa, & aqua macerata; aquam potui exhibeto.

XXI. Mala cydonia eodem modo macerata, ſi alvus in febre ardente ſoluta fuerit.

XXII. At ſi morbus regius inſuper invaſerit, uvæ paſſæ albæ ſine vinaceis, cicerum alborum, utrorumque heminam dimidiam, hordei Achillei tantundem, cnici tantundem, aquæ heminas

decem, apium, mentham, coriandrum, cujusque parum ſimul terito, quoad (aqua) leviter dulceſcat; poſtremo adianti pugillo injecto, nocturno ſereno expoſitum exhibeto. His etiam ſimilia imitari poteris. Omnia autem nocturno ſereno expoſita febricitanti exhibeto, his exceptis, quibus alvus plus æquo eſt fluida.

XXIII. Pulegii pugillos tres, apii duplum, vino aqua temperato coquito, & propinato. Hoc urinam movet, bilemque per alvum educit.

HIPPOCRATIS DE MORBIS LIBER QUARTUS.

PRÆFATIO.

HIc liber multum a prioribus diverſus, acuto & ingenioſo ratiocinio impenditur. Origo morborum deducitur ex quatuor humoribus, bile, ſanguine, pituita, aqua, ortis ex alimento. Ab eo ſi juſto copioſius adſumtum fuerit, die tertio corpus turbatur, & niſi cibus ille nimius decedat, ægrotat. De judiciis morborum: fieri ſolis diebus imparibus, quibus iisdem humor de corpore exeat. Ita & reliqua ſubtiliter tractantur, & precario. Sub finem accedunt ſolitarii libelli, de vermium in ipſo fœtu ortu: de calculo veſicæ ex lacte pituitoſo co-

ecto, de hydrope ad ventrem, uteri, & universi corporis, & de ejus origine. Hic etiam refutatur descensus potulentorum ad pulmonem, quem in aliis libris HIPPOCRATICIS *defendi diximus. Citat auctor librum, quem de morbis muliebribus scripserit.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Quatuor humorum species narrantur, bilis, pituita, sanguis, & aqua; eorumque principia, generatio, causæ, receptacula, fontes, & effectus; cibaria & potulenta; excrementa & eorum ductus. De febribus differitur, morborum principiis, causis, doloribus, lumbricis, calculis, hydrope.

SECTIO I.

CAPUT I.

Hominis ortus; semen utriusque parentis ab omnibus partibus ad generationem procedere; humores corporis quatuor esse, bilem, sanguinem, pituitam, & aquam, vel atram bilem; eosque ex eduliis ac potulentis procreari; eorumque fontes esse quinque. ventriculum, caput, cor, lienem, & fellis in hepate folliculum; partium & plan-

tarum analogia; utrasque congenerem ſibi humorem trahere.

SEmen ab omnibus tum viri, tum mulieris partibus, ad hominis generationem veniens, & in mulieris uterum illapſum, concreſcit; ex eoque, tempore procedente, natura humanæ formæ compos procreatur.

Habet autem tum mulier, tum vir in corpore quatuor humoris ſpecies, a quibus morbi oriuntur, qui morbi a nulla violentia ortum ducunt. Hæ vero ſunt ſpecies: pituita, ſanguis, bilis, & aqua, ex hisque non minima, neque debiliſſima portio in ſemen confluit; quumque animal ex parentibus procreatum ſit, tot humoris tum ſani, tum morboſi ideas in ſe continet. Quæ vero ex unaquaque harum ſpecierum tum plura, tum pauciora in corpore contingunt, aperiam, & a quo ægrotent; quodque morbi diebus imparibus judicantur; & quænam ſint morborum principia; & quænam horum ſingula in corpore moliantur, ut morbum invehant; a quo etiam rigor ipſe febrilis contingat, & cur poſt eum febris adoriatur.

Ac primum quanam ratione bilis, ſanguis, aqua, & pituita ex cibariis & potibus copioſiora & pauciora procreentur, demonſtrare volo, hoc modo. Ventriculus, dum plenus eſt, omnium corpori fons eſt; vacuus vero factus, ex corpore tabeſcente haurit. Sunt autem etiam quatuor alii fontes, a quibus horum quisque in corpus influit: quum igitur hi fontes a ventriculo acceperint, ipſique quum vacuati fuerint, a corpore hauriunt: trahit quoque ipſum corpus, quum quid in ſe ventriculus habuerit. Sanguinis certe fons eſt cor; pituitæ, caput; aquæ, lien; bilis,

locus in jecore. Atque hi ſunt quatuor iſtis (humoribus) fontes, præter ventriculum. Ex his autem maxime cavi ſunt caput & lien. In eo enim ampliſſimus locus eſt : ſed de hoc paulo poſt melius diſſeram.

Sic autem ſe res habet : in omnibus cibis ac potibus, & bilioſi aliquid, & aquoſi, & ſanguinei, & pituitoſi ineſt, plus minusve in hoc, vel illo; quapropter, quæ comeduntur, ac bibuntur, ad valetudinem inter ſe differunt. Atque hæc mihi ea de re dicta ſunt : quum homo comederit aut biberit, corpus ad ſe ex ventriculo commemoratum humorem trahit; & fontes per venas de ventriculo trahunt, ſimilis humor ſimilem, & in corpus diſtribuit, quemadmodum & in plantis, ſimilis humor ex terra ſimilem attrahit. Sic enim in ſe varias & innumeras terra facultates habet: nam quæcunque in ipſa producuntur, his omnibus humorem unicuique ſimilem præbet, velut & id quod producitur, ſibi cognatione ſimilem habet; & trahit unumquodque ex terra alimentum, quale ſane ipſum eſt. Nam & roſa talem ex terra humorem trahit, qualis & ipſa facultate eſt; & alium talem & terra humorem trahit, quale etiam ipſum facultate eſt; & cætera omnia, quæ producuntur, e terra trahunt pro ſe ſingula. Niſi enim id ita ſe haberet, plantæ ſuis ſeminibus ſimiles non naſcerentur.

CAPUT II.

Humoris congeneris exſuperantia ac penuria tum plantas, tum homines ægrotare; ibique terræ plantas naſci ac ſuccreſcere, ubi ipſæ cognatum

ſibi humorem trahere queunt; varias terræ facultates ineſſe ac humores, quibus diverſæ plantæ ſuccreſcant; & ſylveſtres plantas, ſativas ab homine fieri.

CUi vero plantæ in terra cognationis humor multo uberior eſt, quam conveniat, ea planta ægrotat; cui vero paucior, quam opportunum eſt, ea marceſcit: at niſi plantæ ab initio humor inſit, quem ſibi cognatum attrahat, ne germinare quidem poterit. Quod vero planta pullulare ab initio nequeat, niſi humorem ſecundum naturam habeat, licet intelligere: Jonia namque regio & Peloponneſus pro (anni) temporibus non minimum a ſole uritur, ita ut ſol e terra naſcentibus ſatis eſſe poſſit; neque tamen fieri poteſt, etſi multi jam tentarunt, ut in Jonia aut Peloponneſo ſilphium naſcatur; at in Lybia ſua ſponte naſcitur. Non enim in Jonia, neque in Peloponneſo eſt hujusmodi humor, qui ipſum nutriat. Quod vero multa etiam alia medicamenta regiones, etiamſi ſol ſufficiat, alere non poſſint, aliæ vero ſponte producant; id quod dicturus ſum conſiderandum præbet, quantum locus loco etiam valde vicino ad vini ſuavitatem præſtet, quamvis ſol æqualiter ſufficiat. Hic enim terræ humor eſt, qui vinum ſuave præbeat; illic vero minime. Sunt vero & ſylveſtres plantæ non paucæ in loco naſcentes, quas ad ulnæ ſpatium translatas, non amplius produci comperias: non enim habet terra hæc talem humorem translato, qualem illa ſylveſtribus plantis ſuppeditabat. In his enim ſunt quædam magis virulentæ, quædam humidiores, quædam dulciores, ſicciores quædam, aſperiores etiam quædam; aliæque innumeræ aliter ſe habent; innumeræ enim

ſunt in ipſa (terra) facultates: & propter hæc genera, primum ex terra alterum alteri ſimile nullum productum eſt, quod non cognatum. Sed mihi hæ plantæ omnes ſylveſtres eſſe videntur: verum eas homines cultura ſativas reddiderunt, cogentes quamque pro ſuo ſemine fructum ferre: humor enim ſimilis ſimilem ex terra trahit, ex eoque augeſcit ac nutritur; & plantarum altera alteri ſimilis nulla eſt, neque æqualem, neque ſimilem ex terra humorem trahit. Eorum autem ſingula, quæ ad cibos aut potiones producuntur, multas ad ſe e terra facultates trahunt; & in quoque aliquid pituitoſi & ſanguinei ineſt. Huc igitur ex neceſſitate adductus ſum, quod de cibis ac potibus, qui in ventriculum veniunt, corpus ad fontes nominatos trahit; ſimilis humor ſimilem, per venas.

CAPUT III.

Quod pituita a cibis & potibus pituitoſis procreetur; a capite trahatur, ubi manens copioſior, capitis dolorem excitat; delapſa in ventriculum & veſicam, juvat.

QUod vero unumquodque per prædicta trahat, hoc aliud proferam argumentum; ſimulque aperiam, unde pituita in corpore gignatur. Quum quis caſeum aut aliquid acre comederit, aut aliud quid pituitoſum ederit aut biberit, quamprimum ei ad os & nares accurrit, atque hoc omnes ita contingere cernimus; idque ex iis, quæ ego referam, credere oportet. Dico autem, quicquid in cibo aut potu pituitoſum ineſt, id, ubi in ventriculum venerit, partim corpus ad ſe trahit;

partim vero caput, ut quod cavum ſit, & velut cucurbita corpori incumbat, pituitam attrahit, quæ quum viſcoſa ſit, hanc alia ex alia ad caput ſequitur. Et quæ quidem recens pituita ex cibo gignitur, in capite manet; vetus autem a recente, prout copioſior eſt recens, vi illata expellitur: quapropter ubi quis aliquid pituitoſum ederit aut biberit, pituitam excreat.

Ita vero hæc ſe res habet: quum homo quid pituitoſum ederit aut biberit, ſi quod redundat, rurſus non exeat, neque per os, neque per nares; id in capite manere, vel ex capite in corpus deferri neceſſe eſt, & ad ventriculum pervenire: ac optime quidem ceſſerit, ſi ad ventriculum perveniat; cum ſtercore enim exierit: ſiquidem copioſum ac humidum fuerit, ſtercus humidum reddiderit: ſi vero paucum, id non fecerit. Quod ſi in capite permanſerit, multum quidem dolorem capiti exhibuerit, quum in venis eſt; ſi vero paucum, id non fecerit: an copioſum autem, aut paucum ſit, ſui ſignificationem exhibet. At ſi ad corpus deveniat, illic cum alio humore permiſcetur; & ſi ſane copioſa pituita fuerit, ſtatim corpus gravarit; ſi vero pauca, non utique gravarit, quum nimirum corpus magnum ſit, niſi aliud ei principium relinquatur. Succedente vero tempore, ſi quidem altera pituita acceſſerit, lædat utique: quod ſi corpus ad veſicam & ventriculum transmittat, & hæc foras deferant, nihil ex ea mali habuerit. In hac igitur oratione demonſtratum eſt, quomodo caput ex ventriculo pituitam trahat, & ſimile ad ſimile veniat; ſimulque a me commemoratum eſt, & quomodo & quare copioſior (pituita) homini ex cibis & potibus gignatur.

CAPUT IV.

Bilem copiosiorem a biliosis tum cibis tum potibus procreari, a cysti fellis ad hepar trahi, & remorantem doloris causam esse; esculenta ac potulenta alia aliorum esse medicamenta.

NUnc vero de bile dicturus sum, quomodo & cur copiosior in corpore gignatur; & quomodo folliculus ejus, qui in hepate est, ipsam trahat.

Sic autem se res habet. Quum homo, quod amarum est, aut alioqui biliosum & leve, comederit aut biberit, tum copiosior bilis in hepate gignitur; ac confestim hepar dolet, quod pueri cor vocant, idque fieri cernimus, & a cibo ac potu factum esse nobis apertum est. Siquidem omnem commemoratum humorem ex cibis corpus ad se attrahit: folliculus autem, qui in hepate est, etiam quicquid illic biliosi inest, ad se trahit. Et si derepente copiosa bilis exstiterit, hepar homini dolet, & copiosior ex ventre gignitur. Hoc enim contingente, vetus bilis propter multitudinem ad ventriculum fertur, & inde tormina in ventriculo oriuntur; & ipsius pars quædam per vesicam, pars vero per ventrem foras procedit, sicque paucissima in homine remanet, & dolores cessant. Si vero horum neutrum contingat, primum vetus bilis in corpus procedit; nam in ipsum distribuitur; & si copiosa fuerit, confestim reliquo humori permixta, de se significationem exhibet; sin pauca, minime utique gravarit, quum corpus magnum sit, nisi aliquod aliud principium suboriatur. At successu tempo-

ris, ſiquidem altera bilis acceſſerit, plurimum hominem lædit: quod ſi minime acceſſerit, eam corpus percolaverit, ita ut bilis & quæcunque biliosa ſunt, prodeant: quæ enim eduntur & bibuntur, alia aliorum ſunt medicamenta. Ita ſane etiam quæ lædunt medicamenta, ubi aliud ab alio in ventriculum illapſum eſt, ſua facultate cauſam habet, ut id quod ſuperatum eſt, expellat, ipſumque lædat. Ubi vero ex his, quæ in ventriculum illabuntur, alia bilis corpori acceſſerit, inde morbus oritur. At hoc in ſermone ego demonſtravi, quomodo bilis & cur a cibariis aut potibus copioſior oriatur; quodque folliculus in hepate, quod bilioſum eſt, quia ſimile, a cibis & potibus ad ſe trahat.

CAPUT V.

Humoris melancholici (quem hydropem & aquam vocitat) copioſioris ortus, cauſæ, ſedes, affectus; unde lienoſi, & inferiorum partium corporis dolores.

NUnc vero de aqua ſum dicturus, qua ratione, & cur copioſior in corpore oriatur; & quomodo eam ad ſe lien attrahat. Aſſevero autem, quum homo amplius biberit, & corpus & lienem aquam ex ventriculo ad ſe attrahere; & ſi plus quam deceat, traxerint, quamprimum hominem laborare; idque contingere ſentiunt, quicunque homines lienoſi ſunt. At ubi lien traxerit, optime quidem (ceſſerit), ſi vetus aqua, quæ in liene aut ventriculo ineſt, ad veſicam aut ventriculum percoletur, & iſthac expellatur: non enim per ſuperiora loca aqua de liene expurga-

tur, nisi certe quantum ejus in vasis inest a liene procedentibus; sed in ventriculum & vesicam repurgatio fieri potest: hæc autem nisi meabilia fuerint, nec aqua foras percoletur, hæc de liene ad inferiores partes fertur, illicque alteri humori commiscetur. Et siquidem pauca fuerit, minime sane læserit, sed de corpore ad vesicam & ventriculum per venas percolabitur: multæ namque sunt exporrectæ, quæ ubi sicciores quam antea fuerint, ad se ex inferioribus partibus trahunt. Quod si altera aqua procreetur, neque ventriculus, neque vesica foras percolet, lien attollitur, & inferiores corporis partes doloribus afficiuntur. Atque hæc a me dicta sunt, quomodo & cur aqua copiosior ex potu in corpore oriatur, & quanam ratione lien trahat.

CAPUT VI.

Copiosioris sanguinis ortus, causæ, affectus; nec ab eo doloribus cor affici, quamvis ab eo plures in corpore morbi, ut a cibo, & potu uberiore, procreentur.

NUnc autem de sanguine, quomodo, & cur is copiosior in corpore gignatur, exponam. Quum homo quid biberit aut comederit, quod sanguineum est, id totum quidem ad se corpus trahit; trahit autem etiam cor ad se, quod sanguineum est; neque ubi copiosius attraxerit, cordi dolor oboritur; cor enim solida quædam & densa res est, ac propterea dolore non laborat; ex eoque venæ crassæ, jugulares dictæ, procedunt, in quas quod sanguineum est, celeriter distribuitur, si copiosius accesserit; illæque imple-

tæ, capiti & corpori brevi distribuunt. Et, quum quid comederit aut biberit, quod sit sanguineum, confestim jugulares venæ attolluntur, & facies rubet. Cordi autem & corpori ubi ex cibis ac potibus copiosior quam par sit, sanguis accesserit, reliquoque humori admixtus fuerit, nisi per ventrem aut vesicam reliquo humori permixtus exierit, corpori molestiam exhibet: at si paucus accedat, utique corpus minime gravarit; sed tempore ab ipso ad ventriculum, aut ad nares transmittitur, quæ foras excolant, nihilque lædunt: si vero paulatim copiosior evadat, morbosus redditur. At quomodo copiosior sanguis procreetur, a me est expositum. Quum igitur sint quatuor, sanguis, bilis, pituita, & aqua, hæc omnia quomodo, & cur a cibis & potibus copiosiora gignantur, a me est demonstratum. Quod autem ex his gignantur, hoc constat argumento: si homo pauca edat, & pauca bibat, nullum hoc morbum inducit. Atque hæc quidem hactenus mihi dicta sunt: attigi autem obiter, quod ostendat intelligenti, quomodo hæc pauciora fiant: verum hæc melius paulo post declarabo.

CAPUT VII.

Plenos quatuor fontes semper corpori distribuere, vacuos a corpore attrahere, præclara comparatione docet; & multiplices venas esse corporis; unde cibi potusque suavitas, & insuavitas; appetentia, & appetentiæ cessatio.

QUos vero appellavi fontes, hi quum pleni fuerint, semper corpori distribuunt; quum vero vacui, ab ipso circumfunduntur. Sic etiam ventri-

ventriculus facit; ſic enim ſe res habet, quemadmodum ſiquis affuſa in tria aut plura vaſa æneа aqua, ea quam planiſſimo loco ſtatuat, & quam optime coaptata diſponat, conjunctis ad foramina fiſtulis, ſenſimque in unum vas aquam, donec omnia impleta fuerint, affundat. Ex uno enim in reliqua vaſa defluet, quoad cætera etiam impleta fuerint: plenis vero vaſis, ſiquis ex uno aquam exhauriat, viciſſim contra refluet aqua in vas æneum, & rurſus aqua ex vaſis æneis vacuabitur, quemadmodum eam exceperunt. Ita ſane & in corpore ſe res habet: quum enim cibi & potus in ventriculum deciderint, corpus ex ventriculo haurit, ſimulque cum fontibus expletur: at ubi ventriculus vacuatur, rurſus retro humor redditur, quemadmodum etiam acceperat, veluti ex aliis vaſis in unum vas.

Venæ enim multæ & crebræ, aliæ quidem tenuiores, aliæ craſſiores, per totum corpus feruntur: hæ, quamdiu homo vivit, apertæ ſunt, & novum humorem excipiunt & emittunt: eo mortuo, clauduntur & extenuantur. Quamdiu igitur homo vivit, corpus quidem ex ventriculo, ſiquid in ſe habuerit, haurit; hauriunt & fontes, & expleti, corpori diſtribuunt: niſi enim corpus humorem ex ventriculo attraheret, ſed ſoli fontes, neque ad corpus tranſmitterent, non utique ſufficiens haberet corpus alimentum, ſed parcius: neque enim alimentum amplius haberent, quod in corpus fontes diſtribuerent.

Ac niſi fontes iſti adeſſent, dum comedimus aut bibimus, non utique certo dignoſceremus, quod in cibo & potu ſuave eſſet aut inſuave, hac neceſſitate, quam dicam, coacti. Hæc nimirum loca, quum minora ſint, & intra reliquum corpus, prius quam unumquodque implea-

tur, ſua ipſius facultate reliquo corpori ſemper denunciat, quid ex his quæ comeduntur & bibuntur, bilioſum, pituitoſum, ſanguineum & aquoſum ſit. Ex his enim ſingulis, quicquid in cibo & potu plus juſto adfuerit, illos nobis inſuaves reddit; quæ vero maximum ſui deſiderium faciunt, ea ratione ſuavia ſunt.

Quod ſi ex fontibus aliquis cibo aut potu indigeat, ea ratione etiam corpus ab his attrahet, donec humor juſto paucior evadat; tuncque homo aut edere aut bibere deſiderat, quod portionem illam expleat, & reliquis æqualem faciat. Eamque ob cauſam quum multum edimus aut bibimus, interdum cibum aut potum appetimus, nihilque ſuavius ſumimus, quam quod appetimus: quum vero comederimus, humorque quoad ejus fieri potuerit, in fontibus & corpore adæquatus fuerit, tunc in eo appetentia ſedatur. Ac de his quidem hactenus diximus.

CAPUT VIII.

Bilem a cibis & potibus in fellis folliculum ſecerni, ibique ſolum cardiogmum fieri; morbos in corde non generari; caput & lienem morbis eſſe maxime obnoxia. Quomodo & cur humores hominem lædentes pauciores fiant; & quatuor eſſe locos, quibus homo purgatur.

QUod autem in locum, qui eſt in hepate, a cibis & potionibus ſola bilis ſecernatur, ita etiam ſe res habet. Venulæ enim, quum debiles & tenues ſint, alium humorem craſſiorem & graviorem attrahere nequeunt; ſimulque ea non eſt

loci capacitas alteri humori, ut is hoc in loco consistat ; hicque locus bili natura maxime familiaris est : propterea que nullus in eo alius oritur morbus, nisi quem cardiogmum (seu cordis morsum) homines vocant.

At vero caput, cor, & lien, omnis humoris participes sunt : unumquodque, nisi ægrotet, plurimum eorum quæ dicta sunt, secundum suam ipsius naturam, particeps fit ; caput quidem pituitæ, cor sanguinis, lien aquæ. Venæ etiam amplæ & crassæ, & claviculatim intortæ ad se alium humorem attrahunt ; ita ut, ubi traxerint, alium humorem alius sequatur. Et cordi quidem vicinæ sunt jugulares venæ, crassæ, in quas, siquid ei plus justo accesserit, celeriter distribuitur ; hæ vero reliquo corpori emittunt ; simulque cor ipsum solidum & densum est, adeo ut ab humore non ægrotet ; ideoque nullus in corde morbus suboritur.

Caput autem & lien, morbis maxime sunt obnoxia. Morbo enim afficiuntur ab his, quæ natura insunt, quum plura, quam opportunum sit, accesserint ; afficiuntur quoque & ab aliis humoribus : venæ enim in ipsis crassæ, ac multæ sunt, & ipsa quoque admodum venosa, & cava sunt, ut amplum in iis sit spatium pro alieno humore sensim accedente, & cum naturali (humore) coeunte : quemadmodum in magno vase amplior est capacitas, quam in parvo ; sic & in capite, & liene se res habet : in his enim præcipue horum locorum ampla est capacitas : quod si isthic humore venæ expletæ fuerint, in his ab eo morbus oritur. Atque de his nunc hactenus a me dictum est : quomodo autem horum humorum quisque in corpore parcior gignatur, melius demonstrare volo.

Quatuor equidem esse humores hominem lædentes demonstravi; quatuor etiam ipsorum esse fontes assevero, per quos eorum unumquemque homo repurget; ii vero sunt, os, nares, podex, & urethra. Et ubi aliquis humor molestus copiosior factus fuerit, si per has vias homo repurgetur, nullus ab eo morbus ipsum vexat: ac si ventriculus plenus fuerit, liquescente corpore ab humore, ad eum defluit, & per aliquem ex his locis extra fertur; proptereaque parcior in corpore humor gignitur. Corpus enim, quemadmodum a me antea dictum est, ventriculo, ubi vacuus fuerit, distribuit; & ex eo haurit, ubi plenus fuerit. Atque hæc mihi dicta sunt, quomodo & quare humores homini molesti pauciores fiant.

CAPUT IX.

Quomodo & cur homo sanus degat, ex idoneo tum cibi & potus, tum humoris, coctionis, distributionis, mansionis, & excretionis tempore; & ex minime idoneo ægrotet; unde extenuatio & macies corporis, unde & plenitudo, calor, dolor, & febris.

QUomodo vero & cur homo sanus degat, dicturus sum. Quum comederit & biberit, humorque ad corpus pervenerit eo, quo dictum est modo, alteri permixtus, tum ei, qui in corpore, tum ei, qui in fonte est, eo quidem quo accessit die, in corpore manet; postridie vero ei alius humor accedit. Atque hi quidem duo dies sunt; & duo in corpore hu-

mores: humorum quidem alteri duo dies ſunt; alteri vero unus. Poſtridianus certe, ut qui craſſus ſit, in corpore ipſe manet; alter vero a calore coctus diffunditur, & tenuis factus poſtridie per omne tempus a recenti protruſus, ad ventriculum accedit: quum autem ad ventriculum pervenerit, cibos loci illius coquit, & de ſe ſanguinem in corpore facit: remorata vero tempore, graveolens redditur: tertio vero die, una cum ſtercore & urina, copia ſibi ipſi toti æqualis & conſimilis, æquabilique momento foras egreditur: & ſi ſui ipſius portio quædam ſuerit, humor tamen ſecundum dictam rationem in corpore manet. Tertio autem die ex corpore humor ad ventriculum confluit, copioſior & graveolentior, id nempe quod ab altero relictum fuit, & cibaria concocta defert, & quicquid in corpore morboſum eſt, ac rurſus (cum eo) defertur. Urina vero, quæ ſalſa eſt, indicat cibaria e corqore id, quod morboſum eſt, deducere; & ſemper poſtridie ipſa per alvum ſecedunt, humor vero tertio die.

Hoc modo contingere ſanitas ſolet: atque hæc quidem dicta ſunt, & qua ratione & cur homines ſanitate fruantur.

Quod ſi humor ipſe particulatim poſtridie foras prodiret; cibaria non ſimiliter graveolentia reddita, ſed velut cocta, ex ventriculo foras concederent, urinaque potui ſimilis; corpusque ſemper evacuaretur, omnique tempore homo, ubi alvum exoneraverit, aut urinam reddiderit, ſtatim potu & cibo indigeret, pro dejectionis factæ copia, ſi validus eſſe deberet; quum humoris non ſatis in corpore relinquatur, ſed poſtridie, aut eodem die, una cum ſtercore foras prodeat: & ſi quidem quid comediſſet,

bene eſſet; ſin minus evacuatus ac debilis eſſet, neque humor incraſſari poſſet, ut poſtridie foras prodiret; non enim ſufficiens in corpore relinquitur. At nunc quum ventrem exoneramus, bene valemus, & biduo nihil edentes, & vivere, & aliquid facere poſſumus, neque hoc tempore propter vacuationem prorſus debilitamur: humor enim in corpore relictus robur præſtat. Atque hæc quidem, quomodo & quam ob cauſam humor ad corpus accedens, non eodem die, ſed neque poſtridie foras prodire queat, dicta ſunt. Id autem affirmo, ſi plus quam tres dies in corpore humor permaneat, aut alius, qui impleat, copioſus acceſſerit; ubi venæ incaluerint & conſtiterint, homini majus aut minus malum denunciari: hieme quidem minus & tardius; æſtate vero majus & celerius. Et quæ quidem contingere ſoleant, ſi humor in corpore remaneat, a me dictum eſt.

Si vero corpus cibos (ſtatim) egereret, non utique, quod ſatis ſit humoris, nobis ſuppeteret, ſed homines graciles & debiles eſſent: at nunc, quum cibi ac potus in corpore permaneant, corpus ex ventriculo attrahens, quamdiu permanent, ſenſim haurit, & expletur. Iſtaque a me dicta ſunt, quomodo & quam ob cauſam cibaria eodem die exire non poſſint.

Quod ſi cibi in ventriculo, plus quam deceat temporis, immorentur, aliique ad eos accedant, corpus utique implebitur; & compreſſis a plenitudine venis, calor ac dolor corpori oborientur, æſtate quidem citius, hieme vero tardius: æſtate enim hominem circumſtans (aer) calidus eſt, & calidiorem ad ſe ſpiritus attrahit: ac ſi, dum calidus adhuc eſt ventriculus, juſto calidior homini ſpiritus accedat, minime miran-

dum eſt ex eo hominem febricitare : quum vero ſpiritum frigidum hieme ad ſe attrahat, multo magis corpus plenitudinem perferre queat, homine parum alvum exonerante. Atque hæc ita contingere, ſi cibi in ventriculo diutius permaneant, a me dicta ſunt : quinetiam leviter a me demonſtratum eſt, omnem humoris & cibi in tempore, tum longiore, tum breviore differentiam, in cauſa eſſe, cur homines ægrotent; quod etiam procedente tempore melius declarabo.

CAPUT X.

Quum plus humoris foras abeat, quam a cibo & potu acceſſerit, homines attenuari; otioſis cibos inſuaves eſſe, & febres accendi; ex uſu bonum habitum conciliari; ex repletione febrem accendi; & per dies morbos judicari.

AT retrorſum rurſus adſcendam de ſanitate dicturus, quod hominis corpus ex cibis & potibus humorem hauriat, & ſano tum cibi, tum humor, ſecundum commemoratam rationem foras prodeant; & ſiquidem plus humoris, quam ex cibis & potibus adfuerit, foras prodeat, homo extenuatus reddatur. Ob hanc vero cauſam, foras plus prodit, quam acceſſerit.

Si certe homo quietus degat, neque exerceatur, vitium aliquod ipſi in corpore inſidet; verum præ cætera ſanitate, quæ multa adeſt, non admodum lædit : eſt autem vitium hujusmodi. Quum quid ex his quatuor, quæ in

corpore gignuntur, non ita longe copiosum advenerit, corpus sensim incalescit, ut non admodum lædatur; in ventriculo liquescit, insuavemque homini cibum facit. Si vero humor alius alio copiosior fuerit, inde febris homini suboritur: sed de hoc paulo post accuratius edisseram. Interdum autem, etiamsi cibus suavis sit, homo extenuatur; causa vero eadem est. His autem contingentibus, plus humoris exit, quam succenturiatur; & propterea in quiete degentem extenuari contingit.

Hominum autem laborantium corpus quoque incalescit: hoc enim ex labore incalescente, & humor in ipso diffunditur, & morbus hic extenuatorius exoritur: quum autem inutilis fiat (humor), & ad ventriculum & vesicam defluit; hæc autem foras transcolant: pars sane ipsius per internam corporis raritatem foras exhalat; pars autem adhuc intus manens, in sudorem versus foras per corpus egreditur: eodem etiam modo juvenum exercitationes idem quod labor, efficiunt. Quod si etiam parcior fuerit humor, quam qui prius exivit, atque alius qui adhuc a potibus, ac etiam cibis accedat, homo propterea extenuatur. Parcior autem accedit, siquid aliud comedere non possit; & si non pro prioris laboris & exercitationis ratione laborent, aliis alia pauciora fiunt. At bonus corporis habitus per cibos hanc ob causam accedit. Ubi tempore resiccatus humor fuerit, & in priore labore alius alio prius ingrediatur, interdum copiosior, & unus alius alios admodum superaverit, id plenitudinem facit. Et, si quidem a multis valde superetur, hoc modo febris oboritur: si vero a paucis, parum (superatur): sed & corpus hoc modo perferre potest, quum

copiosior in ipso humiditas insit, quæ calorem dissolvit. Corpus enim a febre incalescit, &, si modicum quidem fuerit, quod molestum est, tertio die eodem modo demittit, duobus vero diebus continenter vexat: si vero copiosius, quinto die, quatuor autem pro ratione habet. Sic morbi per dies judicantur: at si febris dimiserit diebus imparibus, & sanus homo evadit, & moritur; quam vero ob causam, paulo posterius declarabo.

CAPUT XI.

Cur febres dimittant; & cur febres, & morbi imparibus diebus remittant, solvantur, judicentur; humor vitiosus conturbetur, & evacuetur; horror oboriatur; & crises fiant.

NUnc autem dicturus sum, cur febris dimittat. At (causam) esse affirmo, quod si febris hominis corpus prehenderit, tertio die, aut alio quodam impari, humorem molestum e corpore exire secundum commemoratam prius rationem necesse est: neque enim prius exit, quam ei bonus alius ex ventriculo accesserit. Intermedio namque & postero die corpus ex ventriculo trahit, quicquid illud primo die in ipsum demiserit; nisi ventriculus transcolarit, & alium humorem habuerit: quod certe homini male cesserit. Quod si febris tertio die dimittat, eodem modo, quo primo etiam ipso die dimittit, ut dictum est. Et sic quidem contingit febrem in corpore excitatam tertio die remittere: assero autem si quinto die, aut septimo, aut nono dimittat, eodem modo eam dimittere, quo tertio

die decedit. Eſt enim febri alimentum in locis, quos paulo ante commemoravi: exſuperante enim copioſiore humore, homo ſolutus eſt.

Imparibus autem diebus illam ob cauſam febris dimittit, quod paribus diebus corpus ex ventriculo attrahat, imparibus vero dimittat: ventriculus autem in homine ſano foras tranſmittit. Ac propterea neceſſario diebus imparibus morbi judicantur; iſtaque ratione homo febricitans, ſanus evadit. Iſtamque ob cauſam ægrotos aſſero diebus imparibus maxime laborare, idque ex ratione quadam fieri.

Conturbatur quidem homo, quum febricitat: cujus rei ſignum eſt, quod horror ſubinde per totum corpus tranſcurrat: hoc autem minime ita contingeret, niſi humor conturbaretur, & ab ipſo plus aut minus ſecerneretur, & alias alium ſuperaret: maxime vero etiam conturbatur diebus imparibus, quum ægrotat, tuncque horror præcipue contingit. Sic enim ſe res habet: humoris moleſti aliquid a recenti humore ſuperatum, extra corpus propellitur, & ad inferiorem alvum defertur, & alvus una cum moleſto humore incaleſcit, in ſeque magis, quam priore tempore, recipit; hoc autem in morbi judicatione præcipue contingit. Quod ſi corpus paulatim ad ventrem dimiſerit, neque copioſum fuerit quod homini moleſtum eſt, ventriculus calorem perfert, corpuſque ad judicationem validum eſt, & homo convaleſcit, ubi noxius humor exierit, & is qui febri alimentum ſuppeditat, conſumptus fuerit: ſi vero ſanus ſuperaverit, hac ratione ægrotus homo propter commemoratas cauſas, ſanus evadit.

CAPUT XII.

Homines diebus imparibus interire, humores conturbari, dolores fieri, medicamenta non exhiberi; ulcera si curentur, magis inflammari; & morbos judicari. Unde spiritus graveolentia; quomodo glandularum tumores ob ulceribus fiant, calor & dolor ad ulcera perveniant; & in sanis humorem tertio, stercus secundo die prodire.

NUnc vero dicturus sum, cur moriantur (homines) diebus imparibus. Dico vero; si copiosum fuerit quod in corpore molestum est, plus justo conturbatur, copiosumque ac validum ad ventriculum (defertur,) eoque corpus, quum calorem perferre non possit, fruitur; spiritusque graveolentiam fieri necesse est: quumque corpus præ imbecillitate spiritum, quo quæ in ventriculo sunt, refrigerentur, attrahere nequeat, nimirum quum omnis humor morbosus evaserit, quicquid in humore vitalitatis inest, foras exhalat, sicque homo moritur. Non enim alter humor salubris superest, sed totus a morboso, qui copia superat, & a febre consumptus exspiravit. Sic sane diebus imparibus maxime dolor contingit, idque nemo est qui non noverit: quinetiam quod humor iisdem diebus conturbetur, istud signum est. Quicunque jam febre continua correpti, diebus paribus medicamentum purgans sumpserunt, ii sane supra modum nunquam purgati sunt: qui vero diebus imparibus vehemens medicamentum sumpserunt, ii purgati sunt; sed multi etiam supra modum purgati perierunt: superiores igitur Medici in hoc maxime peccarunt; nam diebus

imparibus medicamenta purgantia exhibebant, & homines interimebant, id ita ſe habere ignorantes: humor enim in ægrotantis corpore magis diebus imparibus conturbatur; nimirum quum corpus ad ventriculum humorem tranſmittat: & ſi quis jam conturbatum medicamento aſſumpto magis conturbet, non mirum eſt, ex his hominem perire.

Atque ulcera ſi curentur, his maxime diebus inflammantur: humor enim, quum commovetur, in omnes venas fertur, eaſque implet; ubi ad ulcus devenit morbus. Ac ſi quidem curetur, puſque ab humore in conturbatione veniente, foras propulſum, exitum habeat, ulcus foras expurgatur: quod ſi non curetur, neque exitum habeat pus, illic una cum eo, qui acceſſit, permanet, doloremque exhibet, & carnem ulcus ambientem attollit etiam ab illo. Ac ſi quidem in cruribus ulcus habuerit, in crurum connexionibus venæ attolluntur; ſi vero in manibus venæ, quæ ſunt in manuum connexionibus, indeque glandularum tumores oriuntur. At quibuſcunque hominibus febris incidit, ſi nullo alio affectu laborent, ea ex pinguiore, quam par ſit, humore incidit, venæque impletæ dolorem & calorem ulceri exhibent. Quod vero incaluit, etiam reliquum corpus calefacit; ſicque calor ad ulcera pervenit: humoris enim agitatione corpus & ulcera incaleſcunt, & talia labor efficit. Ulcera autem quinto die inflammari deſinunt, & ſecundum horum dierum rationem, pro ulcerum magnitudine, etiam tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo: deinde abſoluto primo circuitu, rurſus ſecundi initium eſt tertius dies, qui eſt a primo decimuſquartus: ex his vero maxima decimoquarto die inflammatio-

ne liberantur. Atque hæc oratio declarat morbos diebus imparibus judicari; & humorem in ſano, tertio die exire, ſtercus vero ſecundo: & iſta, quæ tertio die contingunt, rem ita ſe habere mutuum inter ſe teſtimonium præbent. Atque ita tota hæc oratio ſummatim a me explicata eſt.

SECTIO II.

CAPUT XIII.

Cur homines ægrotent, quæ purgationis neceſſitas; febris ex repletione ortus, febri inimiciſſimus aquoſus humor, & pabulum bilioſus. Cur aqua, quam oleum facilius exhalet, & attenuetur; quot & quæ morborum principia, quorum maximum eſt violentia.

NUnc vero exploratius, cur homines ægrotent, referre volo; ſimulque cum hoc ſermone dicam, quæ ſint morborum principia, & quæ ipſorum unum quodque efficiat.

Aio autem; ſi cibi quidem, quam deceat, copioſiores jam concocti intus morentur, neque homo repurgetur, & altera cibaria accedant; corpus a priore humore & recenti repletum incaleſcit, indeque homini febris oboritur. Verum ſic oborta febris, neque periculoſa, neque vehemens eſt, in qua humor æqualis eſt, qui copia paululum uberiore nos vexat. Si enim id ita ſe habuerit, & quis admodum ſit robuſtus, eaque, quæ conveniunt, adhibuerit, ſanus evadit: unus autem ſolus morbus & ab omni humore, & ſeptem ſigna habet. Primum, eum enim tuſſis le-

vis detinet: ſecundum, & ſicca exiſtens: tertium, & venter durus redditur, nimirum ſtercore intus retento: quartum, & caput gravatur: quintum, & vomit: ſextum, & febricitat: ſeptimum, & neque lotium probe permeat. Hæc ſunt hujus morbi ex omni humore orti, ſeptem indicia. At ſi alvo non dejiciente, unus ex reliquis humoribus ſuperet, melius homo habebit: ac ſi quis febri oborienti, abſiſtente humore, idonea minime adhibuerit, circumagetur morbus, quantum ipſe humores ſuperaverit, hoc modo.

Incaleſcente corpore, per hoc aquoſus humor, qui febri eſt inimiciſſimus, præcipue exhalat; relinquitur vero pinguis & levis, qui bilioſus eſt, & præcipuum febris alimentum. Hoc autem modo exhalat, quemadmodum ſi quis affuſis in vas æneum aqua & oleo, ligna multa diuturno tempore ſuccendat; aqua certe longe paucior futura eſt, ex vaſe namque exhalabit; oleum autem paululum imminuetur, quod aqua quidem propter raritatem ab igne extenuari poteſt, & levis reddita exhalat; oleum autem, quod nimirum cohæreat & denſum ſit, attenuari nequit, neque ut aqua exhalare. Ita ſane & in homine ſe res habet, incaleſcente namque corpore, aqua foras exhalat; quod vero eſt bilioſum, quum cohærens & denſum ſit, non ſimiliter attenuatum exhalare poteſt. Verum attenuatus bilioſus humor efficit, ut corpus magis incaleſcat: copioſius enim & melius alimentum bilis febri ſuppeditat, & in corpore diſperſa, aut firmata morbum cum prioribus corroborat. Atque iſta quidem homini contingere, niſi purgetur aut curetur, dicta ſunt. Quod ſi ipſa copia non ſuperet, ſive ſemel multa, ſive paulatim colligatur, & reliquum cor-

pus dolore vexet, id dum contigit, præ robore perfert, donec principium aliquod accedat: sin vero copiosior humor extiterit, neque homo expurgetur, inde morbus hoc modo oritur.

Principia a quibus morbi oriuntur, tria sunt: atque unum quidem jam a me dictum est, & qualia, & quam multa in corpore efficiat: ostendi enim quomodo & cur homo, nisi repurgetur, ægrotet: alterum est, si quæ ex aëre obveniunt, incommoda, & præter victus rationem sint: tertium est, si quid violentum inciderit: violentum autem esse dico, & casum, & vulnus, & percussionem, & immoderatum laborem, & si quid aliud est hujusmodi. At hórum principiorum maximum est violentia, si magna fuerit; si vero parva, non maximum. Secundum vero, si homo non expurgetur: tertium autem, si quæ ex aëre contingunt, fuerint ad sanitatem incommoda. Horum igitur diligens cura habenda est; quum ipsorum singula, id quod ego dicturus sum, in corpore efficiant.

CAPUT XIV.

Violentiæ effectus, vulnus, ulcus, contusio, tumor, dolor, febris, humoris perturbatio. Lactis & sanguinis comparatio, & partes; quid efficiat humoris perturbatio, exsuperantia, plenitudo, purgatio; quod homini alimentum, quæ putrefactionis & mortis causa.

SI quidem vulnus fiat, carnem dissectam manifestum est, ulcusque factum esse: hoc autem morbum esse dico. Si vero homine percusso, aut lapso, aut quid aliud ejusmodi perpesso, con-

tusio facta sit, & tumor oboriatur; sanguis statim vi calefactus, & in venas hiantes concurrens, quum præ copia exitum, quo abire possit, non habeat, colligitur: ob idque tumor fit, tamdiuque adest, quoad ex locis, eo quo dictum est modo, aut per ipsum tumorem repurgatus fuerit, & sanguini cum tempore, vel in pus verso, vel non, exitus sive per manus operam, sive sine ea, pateat. Quin & immoderatus labor tale quid efficit: quum enim homines immoderate laboraverint, quibus sanguinis labor præcipue contigerit, illic firmatur & incalescit, indeque dolor oboritur. Quod si ab his quidem superetur, magna autem copia ex labore contingat, & alvus ac vesica copiam neutiquam celeriter transcolarint, ex eo sane febris suborietur; nequaquam vero, si prior humor æqualis fuerit: si vero in ipsorum labore plurimus in corpore permaneat, superat ille. Atque hæc quidem de violentia, quænam in corpore conficiat, dicta sunt.

Et hæc quidem duo sunt principia, violentia & plenitudo, quæ, nisi homines repurgentur, corpora calefaciunt. Quod vero ex aëre procedit, si homini incommodum fuerit, aliquid humoris superat, & tanquam ad morbum calefacit, priusque, si ita contigerit, refrigerat. Prius autem de eo, prout calefacit, dicturus sum. Dico igitur, si in ipso homine morbosum aliquid insit, quale in priori dixi, & ea, quæ ex aëre oriuntur, incommoda fuerint, homoque incalescat, totum corporis humorem incalescentem conturbari; id autem vis præstat. Et si quidem homo repurgetur, conturbati hujus (humoris) quantum plus æquo abundat, secernitur: id vero rei simile est, quam ex lacte equino Scythæ con-

conficiunt. Lac enim in vaſa lignea cava affuſum agitant; quod dum conturbatur, ſpumeſcit ac ſeparatur; & pingue quidem, quod butyrum vocant, quum leve ſit, in ſummo ſeponitur; grave vero & craſſum ſubſidet, quod etiam ſeparantes ſiccant: quod cum concretum & ſiccatum fuerit, hippacen ipſum vocant: lactis vero ſerum medium locum habet. Sic etiam in homine, quum conturbatur humor totus in corpore, a principiis, quæ dixi, omnia illi ſeponuntur; & bilis quidem quum ſit leviſſima, in ſuperficiem diſcedit; ſecundo loco ſanguis; tertio pituita: horum autem humorum graviſſimus eſt aqua. Quum autem hæc ita ſe habeant, quiſquis in morbo plurimus fuerit, dum turbatio in principiis contingit, ad locum fertur, in quo plurimum ſuperat: verum in turbatione amplam capacitatem nactus, ſecretus volvitur, & corpus calefacit, aut in aliqua corporis parte conſiſtens, una cum alio humore, qui alio in loco ineſt, dolorem & calorem exhibet: qui vero incaleſcit locus, reliquum corpus ſimul etiam calefacit, ex eoque febris oboritur; & magis a bile, & pituita, & ſanguine; hæc enim calidiſſima ſunt, & ſi quid horum in aliquam corporis partem incubuerit, plerumque morbus inde nominatus eſt, & cognomen habet: ab aqua autem neque admodum vehemens, neque diuturna febris oritur; aqua namque igni haud idoneum eſt alimentum. Et hæc quidem hactenus dicta ſunt.

Ante turbationem vero non habet, quo ſecedat humor copioſior, ſed alteri humori permixtus ſurſum & deorſum volvitur; omnia namque plena ſunt; in turbatione autem vacuantur. Ad alterum altero magis evacuatur, quique copioſior eſt humor locum occupat; & alienus alteri

non admiſcetur, ſi circum adhæreſcat, priuſquam viribus adæquatus fuerit. Poteſt autem adæquari is, & qui ab ipſo ad morbum accedit, quoad locus repurgatus fuerit, qualiſcunque ſit purgatio. Quod ſi copioſus ſit is humor, qui affligit; & alius, qui prius ſalubris erat, ad morbum exhauritur & abſumitur, eoque pacto homo perit: inſuper enim exhauritur, ſi morbo non ſatis ſuperfuerit alimenti, ſed ab humore, qui in loco dolente eſt, abſumitur. Primum quod propinquum eſt, abſumit; deinde ulteriora depaſcitur, donec conſumptum fuerit, neque amplius ſuperſit corpori alimentum: levis autem humor homini eſt alimentum.

Quemadmodum igitur par eſt, primum ſi maxime incaleſcat, putredo ſenſim oboritur; deinde poſtquam illic alimenti putredini non ſatis ſuppetit, in corpus ſerpit, initio ab eo, quod ſanum eſt & propinquum, ducto, quoad totum, quod carnoſum eſt, putrefecerit: poſtquam autem in totum depaſtum eſt, putredinis alimentum abſumitur. Sic ſane etiam in morbo, initio a loco illo ducto, poſtquam illic non amplius ſatis ineſt alimenti, ulterius depaſcitur, ab eo, quod vicinum eſt, ſumpto exordio. Ubi enim ad totum pervenerit, morbi alimentum abſumptum eſt, nec alius ſalubris (humor) ſuperat; idque ſi fiat, homo interit. Quinetiam ubi hic in conturbatione ampliorem locum accuparit, neque firmatus fuerit, ſed volvatur, non amplius alteri permiſcetur, ſed in morbum inſumitur, niſi repurgetur: deinde venæ ſupra modum implentur; valdeque impletæ nihil ex ſe dimittunt, priuſquam ampla capacitas ipſis contigerit: quemadmodum ubi quis vehementer percuſſus fuerit, ſanguis ſub vulnus decurrit, venis nimirum

per vulnus evacuatis. Ubi vero carnes tanquam ſpongia oppletæ fuerint, non amplius dimittunt, ſed in ſe retinent, quoad ex ipſis aliquid per locum vacuatum ſit. Quum enim collectus ſanguis fuerit, præ copia viam intercipit: quemadmodum ſi quis ampullam coriaceam anguſti oris, oleo repletam, in os obvertat e directo, id etiamſi fecerit, ex eo oleum prodire non poterit: oleum enim, utpote multum & confertim incumbens, viam intercepit. Quod ſi quis vas olearium inclinet, tolletur oris interceptio, & ex ipſa oleum effluet: idem etiam effecerit aqua ſupra menſam (effuſa). Ita ſane ubi multus corporis humor in conturbatione locum occupaverit, & venas impleverit, non amplius ab eis diſcedit, niſi quum locus vacuus fuerit, morbi alimento conſumpto. Atque hæc quidem a me dicta ſunt, ubi quid in corpore fuerit, unde morbi oriuntur, aliis etiam redundantibus, & quomodo principia humori calorem & turbationem afferant, & ad morbum deducant.

CAPUT XV.

Quomodo ab aëre morbi oriantur, ſe dicturum pollicetur; verum de ſolo humore agit, cujus liquatione, concretione, ſecretione, commixtione, agitatione, & decubitu varii oboriuntur affectus; hinc ſtercoris exturbatio, & alvi tormina; hinc rigor, frigus, inflammatio, febris.

NUnc vero dicturus ſum, quænam in corpore efficere ſoleant, quæ ex aëre procedunt,

ſi incommoda fuerint, & quum corporis humorem ſuperarint.

Aſſero autem, partem ejus humoris, qui eſt in homine, quum liquatus fuerit, concreſcere & inſpiſſari, donec morbum pariat: partem vero dilatari & ſecerni. Hæcque affectio lacti ſimilis eſt: quum quis coagulum in lac injecerit, frigiditas in eo lacte oborta lac incraſſat ſimulque cogit, & quod incraſſatum ambit, ſerum eſt: ſic ſane & in homine humor, refrigeratione in morbo ſuborta, concrevit & inſpiſſatus eſt: at circum ipſum aquoſum humorem alius etiam humor eſt, (qui) quo copioſior in reliquo corpore fuerit, eo magis commiſcetur.

Verum ſi quidem ad alvum devenerit, ſtercus commovet, & in alvo tormina excitat, foraſque exit nulla magna illata noxia. At ſi ad alvum non devenerit, ad eam corporis partem adhæreſcit, in qua plurimam capacitatem adeptus fuerit. Locum igitur amplum ſibi nactus, in eo volutatur; & quod quidem aquoſi humoris ex concretione ſecernitur, quum nimirum in corpore frigidiſſimum & graviſſimum ſit, ad inferiora deſcendit, & circum oſſa, & nervos volutatum, adhuc magis corpus ad inflammationem perducit; & clarum eſt, quod circa nervos, præſertimque circa oſſa, aquoſus humor ſit, qui inflammationem facit. Nam circa oſſeas corporis partes homo maxime riget, capillique eriguntur, cuticula contracta ac ſicciore evadente, quam priori tempore, deficiente nimirum iſthic aquoſo humore, & circum oſſa obvoluto. Hinc ſane ſolus locus, ubi primo tempore erat, inflammationem facere non poteſt, unde etiam rigor oritur. Reliquus vero humor æquabiliter condenſatus, partim in toto corpore eſt, partim vero quo copioſior fuerit,

ſi quidem contigerit, ut alvus plena non ſit, & quod moleſtum eſt paucum ſit, interdum ad alvum defertur, neque magnam noxiam inducit: & interdum quidem febrem non infert, interdum vero debilem & innoxiam, quodque dolorem facit, una cum ſtercore foras prodit.

Quod ſi alvus plena multum habeat, quod lædat, periculum eſt ex eo morbum aliquem oboriri, ſi, quod noxium eſt, aliquam in partem decumbat, vel ad latus, vel ad viſcus, aut aliam quampiam partem ſimul calefaciat, uti primum illum (humorem) conturbet. Quibus vero non multum a calore ex aquoſo humore ſuperatum eſt, cum nimirum circa oſſa & prope medullam (ſpinalem) conſiſtat; his procedente tempore, magis (afficiuntur) quæ (prope) ſunt, ac primum quidem locus ipſe, deinde quod ipſi vicinum eſt; & ſane ulterius depaſcitur, & alvus, quum calida ſit, eum ſuſcipit: deinde tum alvus, tum lædens humor, hunc magis calefacit.

Craſſus autem humor incaleſcens, primum is diffunditur, qui affligenti vicinus eſt; diffuſus vero lædenti aquoſo humori commiſcetur: deinde in corporis concretione magis vacuatur; & quamdiu aquoſus humor reliquo humori (permiſcetur), tamdiu rigor detinet. Quinetiam febris hoc modo generata ſit: quæ enim moleſta ſunt, ad locum inhærentia, corpus incaleſcens in ſe febrem contrahere cogunt; & a lædente, & ab alvo calefactum, reliquum aquoſum humorem ſuperat. Atque ita quidem febris poſt frigus fit, ſi copioſior humor in aliquam corporis partem decubuerit: quod ſi convolvatur, hoc modo oritur. Poſt frigus febris convolvitur, quæ circa alvum tum ſuperiorem, tum inferiorem ma-

xime laboribus afficit: ibi enim ampliſſima eſt loci capacitas. Quum autem ea volvitur, primum incaleſcunt propinqua, tum viſcera, tum quæ in ventre calida ſunt; poſtea etiam alius humor diffuſus calorem excipit, & aquoſo humori admiſcetur, febriſque poſt rigorem hic oritur, quum quod moleſtum eſt, minime convolvitur; ſed ad aliquam corporis partem adhæſerit.

Atque iſta a me dicta ſunt, quomodo & unde morboſus rigor fiat; & unde, & quomodo, & ex quali neceſſitate febris poſt ipſum incidat; & quænam ſint morborum principia, quemque morbum eorum unumquodque corpori inducat, quaque ratione, & cur morbi diebus imparibus judicentur, & unde homines ſani ſint; & unde ægrotent; tum etiam bilis, tum pituita copioſior & minor fiat: multa quoque alia, quæ in ipſo & natura humana inſunt, quæque hæc exigebat oratio, demonſtravi: & hæc quidem ita commemorata finem habent.

CAPUT XVI.

De lumbricis latis ac teretibus; lumbricos teretes parere, latos non parere, ſed abrumpi; lumbricorum latorum ortus, ſpecies, & ſigna diagnoſtica & prognoſtica.

AT nunc de lumbricis latis dicendum. Eos enim in puero, dum adhuc in utero eſt, procreari aſſero: non enim ubi ſemel utero egreſſus eſt, tanto tempore ſtercus in alvo manet, ut ex eo putrefacto & diutius permanente,

tantæ magnitudinis animal in ea concreſcere poſſit. Homo namque, ſi ſanus futurus ſit, heſternum ſtercus ſemper cunctis diebus excernit: tale vero animal non generaretur, etiamſi per plures dies homo non egerat. Multa enim, dum puer in utero manet, hoc modo gignuntur.

Ubi ex lacte, & ſanguine computreſcente ac redundante, quod nimirum dulce ſit, pus æſtuoſum factum fuerit, illic animal generatur: teretes vero lumbrici iſthic eodem modo naſcuntur: eamque rem ita ſe habere hoc eſt indicium. Quum pueri in lucem ſunt editi, ipſis mulieres hæc medicamenta cibando exhibent, quo ſtercus ex inteſtino exeat, neque aduratur, ſimulque inteſtinum dilatetur: quum cibos in os inſeruerunt, multi ſane pueri, tum rotundos, tum latos lumbricos, una cum primo ſtercore per alvum excreverunt: quod ſi non excreverint, etiam in ventribus gignuntur. Et teretes quidem pariunt, lati vero non amplius, etſi eos parere dicunt: quicunque enim homo latum lumbricum habet, quale cucumeris ſemen alias atque alias cum ſtercore dejicit, & ſunt homines, qui hoc lumbrici partus eſſe affirmant: mihi vero qui talia proferunt, haud recte dicere videntur: neque enim ab uno animali tot pulli naſci poſſunt, neque tanta eſt in inteſtino capacitas, ut partus educare queat. Increſcente autem puero, lumbricus etiam ex his, quæ in ventriculum ingeſta ſunt, in inteſtino creſcit; & his quidem cum pubertate, quibuſdam etiam poſterius, aliis vero paulo ante, inteſtino æqualis evadit. Et ubi inteſtino adæquatus fuerit, ſimiliter augeſcit, & quo major evaſerit, per rectum inteſtinum cum ſtercore excernitur, & velut cucumeris ſemen excidit, plerumque etiam major. Nonnullis vero iter

facientibus, aut vehementer laborantibus, & ventre incalescente, deorsum prodit, ipsisque ex recto intestino inflatus prominet, idque facit, & ex ano excernitur, aut retrocedit.

Quod vero non pariat, sed velut ego dico, se res habeat, hæc signa sunt: si quis hominem lumbrico laborantem curet, & medicamentum aut potionem dederit, si quidem homo probe præparatus fuerit, totus rotundus ut globus prodit, & homo sanus evadit: si vero ad medicamentum prodeat, statim lumbricus duorum aut trium cubitorum longitudine abrumpitur, aut etiam longe major: quumque abruptus fuerit, multo tempore cum stercore signa nulla se produnt: postea vero augescunt. Atque hæc argumenta sunt, lumbricum non parere, sed circumcirca abrumpi.

Est autem ejus species, velut album intestini ramentum: hæc vero habet signa: alias atque alias velut cucumeris semen dejicit; & ubi homo jejunus fuerit, alias atque alias ad hepar impetu fertur, & dolorem excitat. Interdum autem, ubi ad hepar irrumpit, sputa ad os affluunt, interdum vero minime. Nonnullis quoque, ubi ad hepar vehementer proruperit, vocis defectionem inducit, & ex ore sputa admodum multa fluunt, quæ paulo post sistuntur, subindeque tormina multa in ventre excitantur: quandoque etiam ad dorsum dolor incidit; illuc enim etiam incumbit: interdum vero ista lumbrici lati signa sunt. Hoc vero etiam contingit. Ei, qui hoc animalculum habet, toto quidem tempore nihil grave metuendum accidit; quum vero infirmus evaserit, ægre reficitur: lumbricus enim eorum, quæ in ventriculum ingeruntur, partem aliquam assumit. Si igitur, ut convenit curatus fuerit,

convalescit; si vero non curetur, sua sponte foras non prodit: mortem tamen non infert, sed una consenescit. Atque hæc quidem a me de lumbrico lato dicta sunt, unde ortum ducat, quæque morbi ipsius signa sint.

CAPUT XVII.

De calculi ortu ex lacte, caussis, signis quinque, symptomatis, & generationis ejus locis & modis.

AT vero calculi morbo principium ex lacte oboritur, ubi puer lac impurum ex mamma sugit: lac autem nutricis impurum redditur, quum pituitosis alimentis, tum cibis, tum potibus impuris nutrix usa fuerit. Quæ enim in ventriculum incidunt omnia, in ea lacti conferunt.

Sic autem etiam se res habet. Si nutrix minime sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac quoque puero pravum generatur: conferunt enim corpus & ventriculus; plurimum vero ei ad lac confert, quod ipsa plurimum in se habuerit. Ac puer si de nutrice lac sugat minime purum, sed (velut dixi) biliosum, morbosus & debilis evadit; & quamdiu lac pravum & morbosum sugit, in præsentia maxime afficitur. Atque ubi lac minime purum, sed terreum ac pituitosum suxerit, venasque a ventriculo ad vesicam tendentes amplas & attrahentes puer habuerit; potus autem & lac ex nutrice in pueri ventriculum concedit, quale a ventriculo de lacte trahit, in totum ei simile,

quod venæ in ventriculum detrudere potuerint. Et si quid in lacte non purum fuerit, id, quo fruitur, in vesica lapis fit eo modo, quo in aqua minime pura, in calyce vel vase æneo turbata & deposita, confertim in medio sedimentum consistit. Sic & in vesica, quum urina impura est, neque emittitur, nimirum quum in cavo sit, & maxime coacervata, præ dolore per mictionem non trajicitur, & a pituita cruda concrescit: pituita enim sedimento permixta in gluten vertitur. Ac primum parva lanugo accrescit, deinde quod accedit arenosum adjungitur, quum pituita, quæ de lacte in vesica remanet, pro glutine sit, & increscit; & quicquid humoris quidem in conglutinatione accesserit, per urinam redditur: rursus autem sedimentum solidum aut lapidosum efficitur, quemadmodum ferrum ex lapidibus & terra, dum simul aduruntur, fit. Ac prima quidem in ignem injectione, ad ferri recrementum lapides & terra inter se agglutinantur: sed ubi secundo ac tertio in ignem conjecta fuerint, recrementum quidem liquescens ex ferro foras prodit, idque fieri oculis cernitur; ferrum autem in igne relinquitur, & cedente recremento, subsidet, solidumque ac densum redditur. Sic etiam sane sedimentum in vesica; dum pituita gluten fit, quod ab urina liquescit, cum ea excernitur: ipsum vero (sedimentum) subsidet, densatur, ac solidescit velut ferrum. Ubi autem subsederit ac solidatum fuerit, sursum ac deorsum in vesica agitatur, vesicamque feriens dolorem affert, quumque vehementer feriat, ac ulceret, ab ea aliquid aufert. Quod vero adjicitur, adhuc majorem eo, quod decessit arenoso, concretionem efficit; & ad hunc modum calculus in vesica ex lacte gignitur. Inter-

dum vero oritur, ſi cum adhuc puer eſt, ex eo anxietas quædam contingat: ſubinde enim quum mingit, celeriter urethræ manus injicit. Quod ſi jam adulto puero, calculus gignatur ex terræ eſu, non ante ei dolor accidit, quam ipſe ſibi cibum deligat. Et hæc quidem a me de hoc dicta ſunt.

Hic autem morbus quinque habet ſigna. Quum urinam reddere vult, dolore afficitur; & urina paulatim, velut urinæ ſtillicidio laborantibus, effluit; ſubcruenta eſt, nimirum veſica a calculo exulcerata; & veſica inflammatur. Verum hoc ſignum abditum eſt, indicio tamen eſt ſumma præputii pars. Interdum arenoſa per urinam reddit, verum ab his quæ ego dicam; interdum vero duos aut plures calculos per urinas excernit; alii autem parvi (gignuntur) ea, qua de uno dixi, ratione.

Fiunt etiam ad hunc modum. Quum concretus fuerit calculus, & alte in veſica ſubſederit, arenaque ſeparata fuerit; & accedentem arenam calculus ad ſe non adjunxerit, ſed gravior & copioſior ſit reddita, ita ut ipſa in ſe non concreſcat; etiam ſic duo calculi gignuntur: fiunt vero eodem modo plures, quibus inter ſe colliſis, in agitatione comminuitur, & per urinam excernitur arenoſum: quod interdum etiam (contingit), ubi arena ad veſicam deſcenderit, neque coaluerit.

CAPUT XVIII.

Potum non in pulmonem, ſed in ventriculum deferri, & ex hoc in univerſum corpus, octo argumentis probat.

AT quidam dicunt, quod bibitur, id in pulmonem deferri, ex eoque in reliquum corpus. Hi autem, qui hæc dicunt, ex eo quod dicturus ſum, falluntur: quod pulmo cavus ſit, eique inſit fiſtula. Quod ſi pulmo cavus non eſſet, neque ei adhæreret fiſtula, animalia nullam vocem ederent: vocem enim ex pulmone edimus, quod cavus ſit, eique adhæret fiſtula: vocem autem labra & lingua articulatam efficiunt. De hoc autem a me exactius dictum eſt in peripneumonia. His igitur hominibus, qui potum ad pulmonem ferri exiſtimant, adverſabor. Sic autem ſe res habet: potus in ventriculum concedit, a ventriculo vero in reliquum corpus exhauritur.

Hæc vero animadvertere oportet, quæ dicturus ſum: ſermonis autem argumenta, quod potus in ventriculum, non in pulmonem concedat, hæc ſunt. Si enim potus ad pulmonem ferretur, ubi pulmo oppletus eſſet, homo non facile reſpirare, neque loqui poſſet: neque enim pulmone pleno eſſet, quod reſonaret. Et hoc quidem unum eſt argumentum. Deinde ſi potus ad pulmonem procederet, cibi in nobis ſicci non ſimiliter coquerentur. Hæcque duo ſunt argumenta. Sed & medicamenta alvum ſubducentia ubi potaverimus, extra ventriculum feruntur. Sic autem ſe res habet: quæ medicamenta ſurſum aut deorſum, aut utroque modo

purgant, omnia valde urunt; & ex his quidem vehementia, si forte tenellam aliquam corporis partem contigerint, eam ulcerant: blandiora vero turbationem corporis excitant, quodcunque exercuerint. Quod si aliquod ex his medicamentis ad pulmonem veniat, magnum aliquod malum mihi excitaturum esse videtur: pituita enim ex capite veniens, cum parvo admodum tempore exulcerat; tenera namque & rara res est pulmo, & si exulceratus fuerit, is homo sane multis de causis non bene habebit. Ventriculus autem a medicamento non exulceratur, quod res robusta sit, quemadmodum corium scilicet: & Libycorum plerique pecorum pellibus pro vestibus, & ventriculis pro loculis utuntur. Ventriculus enim robusta res est. Præterea ubi homines vino nigro inebriati fuerint, nigra dejiciunt. Hæc autem omnia argumenta sunt. Ac ubi alia, aut aliud gravis odoris edulium comederimus, urinam edulium odorantem excernimus.

Et hæc quidem argumenta, tum ea, quæ dicturus sum, spectanda sunt. Si quis cyceonem biberit, aut farinam coctam, aut aliud quid hujusmodi sorbuerit, idque ad pulmonem perveniat, hunc ne minimum quidem temporis victurum arbitramur: ubi enim paucum quid pituitæ ad pulmonem, aut ad ejus fistulam venerit, multa & valida tussis, convulsioque oboritur. Si igitur utique vixerit homo, qui cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbuerit; ubi sane concocta sorbitio fuerit, copiosum & vehementem calorem multumque dolorem corpori excitari censeo, ac si probe alvum purgaret, aut ad pulmonem veniret. Hæc autem septem argumenta sunt.

Præterea qua ratione lac pueros enutriret, si

ad pulmonem defcenderet; hoc autem aliud mihi argumentum. Atque in his ad orationem nullum ejufmodi argumentum adduxiffem, nifi adeo multi homines potum ad pulmonem concedere exiftimarent. Ac neceffe eft eum, qui velit, auditorem à priftina fententia deducere, fuifque verbis fidem facere, ad ea, quæ firmiter in opinione inhærent, multa argumenta adferre. Atque ob id potus non ad pulmonem, fed ad ventriculum fertur, quod ei annexa fit hominis gula, quæ femper hiat, & ad hanc tendit; fimulque pulmonis fiftulæ tanquam hederæ folium ita incumbit, ut fi ad eum feratur, in devorando minime in fe demittat. Atque de his hactenus a me dictum eft.

CAPUT XIX.

De tribus morborum fpeciebus ab hydrope, feu aqua factis, eorumque ortu, locis affectis, caufis, fignis, fymptomatis, ac prognofticis.

IN ventriculum autem etiam potus fertur, quo quum expletus fuerit, ab eo lien recipit, & ad venas & omentum diftribuit, & ad declive deorfum, ad fcrotum, ad crura, & ad pedes: quumque morbus fupervenerit multæ aquæ, hæc procedit ex ventriculo, ac femper ex potu, ubi homo biberit, ad lienem fertur. In hoc autem morbo contingit, ut non alia de caufa in ventriculo febris excitetur, quam quum homo fitierit, fi vero vefica & ventriculus non recte tranfmittant, neque conveniente victus ratione homo utatur. Lien vero fubægrotans, potum ex ven-

triculo trahit; morbus autem ſuboritur, & ſcrotum pellucidum evadit, & jugulum, cervix, & pectus extenuantur; nam ab hoc morbo colliquantur, & humor in ventriculum defluit, & inferiora aquæ plena ſunt; ventriculus cibum averſatur, ac interdum quidem valde comprimit, interdum vero defluit, neque veſica probe tranſmittit plerumque; frequens horror corpus pervadit, interdumque febris prehendit; & quibuſdam facies intumeſcit, quibuſdam minime; nonnullis vero, ubi morbus diuturnus exſtiterit, tibiæ rumpuntur, indeque aqua effluit; incidunt & vigiliæ, corporiſque imbecillitas, præcipueque lumborum; & ubi quid comederit, aut biberit, etiam paulo plus lien laborat, crebrumque ſpiritum ſemper emittit.

Atque iſta hydropis ſigna ſunt; ſunt etiam circa ventriculum ſolum, ſive febris detinuerit, ſive non, & venter magnus evadit; cruraque aqua implentur, ſuperiores vero corporis partes extenuantur iis, qui ita affecti exiſtimantur; ſigna tamen omnia debiliora ſunt, ſimulque in cruribus aqua minime ſuboritur; & tanto minor labor eſt.

At vero circa ventriculum ſolum hydrops iſtam ob cauſam exoritur. Etenim ubi acervatim (aqua) acceſſerit, neque per exordia ad inferiores partes via pateat, ſed coacervata in venulis intercludatur, nimirum quæ reſpirationem non habeat, neque ſurſum, neque deorſum, firmam ſedem habet. Quemadmodum ſi quis magnum vas anguſti oris ſubito convertat, deinde ſenſim operculum ab ore detrahat; etſi id fecerit, aqua foras non effluet; quum perſpirationem non habeat, ſed a ſpiritu, qui intus eſt, intercludatur: ſpiritus enim internus vas opplet, & externo ſpi-

ritui obluctatur, neque aquæ excursus datur, quum spiritus vas impleat, simulque aër superincumbat: at si quis vas sensim inclinarit, aut in fundo perforarit, spiritus e vase efferetur; egresso vero spiritu, aqua etiam foras concedit. Ita sane in hydrope; si quidem sursum aut deorsum perspiratio per venas fiat per morbi initia, ad crura & pedes aqua fertur; sin minus, isthic solum circa ventriculum volutatur. Ac de his quidem sic a me dictum est. Quinetiam in utero mulieribus hydrops contingit, & in ventre, & in cruribus, reliquaque signa eadem habet. At ea de re inter morbos muliebres a me dictum est. Atque tres hæ sunt ab hydrope morborum species. Hi autem omnes morbi celeriter difficiles fiunt, celeriterque omnes crudescunt: longe vero graviores fiunt, si corpus alio morbo tabefactum, ad hunc delapsum fuerit. Si igitur subito hominem morbus corripuerit, moritur, quum nimirum morbus (alter) admodum diuturnus fuerit: quod si etiam alvus fluida fuerit, admodum celerrime, tum sentiens, tum loquens, moritur. Atque hæc mihi de hydrope, & ejus ortu, & quod ipsius hæc signa sint, dicta sunt.



HIP-

HIPPOCRATIS DE MORBIS MULIEBRIBUS LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Incerti auctoris, neque HIPPOCRATIS, *etsi passim seipsum citat ex libro* εκ της του παιδιου φυσεως εν τω τοκω, *a quo vicissim liber muliebrium citatur. Nimis enim numerosam habet medicamentorum farraginem, eadem nimis composita, & ipsam quamdam faciem minus antiqui operis. Fusissime autem mulierum morbos recenset, etiam fusius quam ullus recentiorum: pertinent ii ad menses suppressos, nimios, aut vitiosos: ad molam, abortum, partum difficilem, suppressa lochia, uteri inflammationem, sterilitatem. Medicamenta acerrima fere præscribit. tum drastica purgantia, tum glandes & pesses Major, quam in aliis* HIPPOCRATIS *operibus, est plantarum & fossilium medicamentorum numerus, iisque vires sæpe a recepta opinione diversissimæ tribuuntur. Citat etiam* παρθενια

Subjiciuntur notha aliqua, quæ mihi ejusdem auctoris videntur, & ad infantum morbos, oculorumque, & ad clysmata spectant.

Ex amplissimis est operibus HIPPOCRATICIS.

SECTIO I.

DE muliebribus morbis sic sentio. Mulierem, quæ non peperit, gravius, & citius e mensibus ægrotare, quam eam, quæ peperit. Quum enim peperit, venulæ fluidiores sunt ad menses. Fluidas autem ipsas facit purgatio illa, quæ fit a partu. Et ubi hæc erumpit, vicinæ maxime ventri, ac mammis corporis partes discinduntur. Discinditur item reliquum corpus; a quo vero hoc fiat, dictum est a me in natura pueri in partu. Disciffo autem corpore, necesse est venas magis aperiri, & ampliores, ac fluidiores ad menses fieri, itemque uteros magis aperiri, nimirum puero per ipsos egresso, qui & vim, & dolorem induxit, & quum hæc sic se habeant, mulier purgationem a partu experta, minus laboriose mensibus decurrentibus purgatur.

Si vero etiam affectio aliqua mulieri, quæ jam peperit, accidat, ut menses venientes probe purgari non possint, facilius dolorem feret, quam si non peperisset. Assueti enim sunt uteri, & corpus idoneum, ut impleatur, utpote in ventre habenti, & simul multa amplitudo, in corpore est. Major autem fit etiam amplitudo, ubi peperit, nimirum corpore disciffo, & corpus in amplitudine exsistens, minus dolore affligitur, si non venæ superimpleantur, & nimium doleant. At vero ei, quæ non peperit, quum corpus non assuetum sit, si impleta fuerit, & fortius, ac solidius, & densius sit, si purgationem a partu experiatur, & quum uteri ægrius aperiantur,

menſes laborioſe prodeunt, & affectiones plures accidunt, ut propterea menſes obturentur, ſi prius non peperit. Habet autem res ſe hoc modo, velut etiam prius a me dictum eſt.

Dico mulierem rariore carne præditam, & teneriorem eſſe, quam virum, & hæc res ſic ſe habet: a ventre trahit humiditatem, & citius, & magis corpus mulieris, quam viri. Etenim ſi quis ſuper aqua, & per regionem aquoſam, duobus diebus, ac duabus noctibus, molles lanas ponat, & veſtem puram, & contextam æquali ad lanas pondere, ſublatis utriſque, & ponderatione facta, multo graviores lanas comperiet, quam veſtem. Fit autem hoc ex eo, quod ſemper ab aqua ſurſum decedit in vaſa ampliora oſcula habentia, & lanæ quidem tamquam raræ, & molles ex decedente amplius ſuſcipiunt. Veſtis autem, ut quæ plena eſt, & ex contextu obturata, explebitur, non multum ex decedente aqua ſuſcipiens. Sic ſane etiam mulier, velut quæ rarior eſt, ampliorem a ventre humiditatem corpori attrahit, & citius quam vir, & tamquam teneriori carne præditæ mulieri, ubi corpus ſanguine repletum fuerit, ſi non ab ipſo ſeceſſerit, carnibus impletis, ac calefactis, dolor oboritur. Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt, quam vir. Si vero amplior accedens ſanguis ſeceſſerit, dolor non fit a ſanguine, neque calor. Vir autem, ut qui ſolidiore carne præditus eſt, quam mulier, neque in ſuperna ventris parte adeo ſanguine ſuperimpletur, ut niſi aliquid ſanguinis ſingulis menſibus ſecedat, dolorem fieri neceſſe ſit, & ſanguinis, quantum ſatis eſt, ad nutrimentum trahit, & quum corpus ipſi non ſit tenerum, non dolore affligitur, neque ſuperincaleſcit a plenitu-

dine, velut mulieri. Multum autem confert ad hoc viro, quod magis laborat quam mulier. Nam labor aliquid humoris abducit.

Poſtquam igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menſes, & viam foras reperire non poterint, morbus fit. Hoc autem contingit, ſi uterorum os concluſum fuerit, aut diſtortum, aut aliqua pudendi pars contracta. Si enim horum quid fuerit, menſes exitum invenire non poterint, priuſquam uteri ad ſanam naturam redierint. Fit autem hic morbus his maxime, quæ anguſtos uteros habent, aut cervicem ultra pudendum ſitam. Si enim horum alterum fuerit, & mulier viro non miſceatur, & venter magis, quam oportet, evacuetur, ab hac affectione uteri obtorquentur. Neque enim humidi in ſe ipſis ſunt, utpote muliere non coeunte, & amplitudo ipſis ſpatioſa eſt, utpote quum venter magis vacuus exiſtat. Quare obtorquentur, dum ſiccior, & levior eſt venter, quam convenit, & aliquando dum ipſi obtorquentur, etiam os ipſorum diſtorqueri contingit, nimirum cervice ultra pudendum ſita. Si enim humidi fuerint uteri a coitu, & venter non evacuetur, non facile diſtorquentur. Hæc igitur cauſa eſt, ut ipſi ſint concluſi, nimirum a venere abſtinente muliere. In tertiis porro menſibus optime afficietur, ſi quæ prius inſunt, progreſſa fuerint educta. Sin minus, mulier hæc patietur. Suffocatio alias atque alias in ipſam irruet, & febris alias atque alias corripiet, ac horror, & lumborum dolor. Hæc patietur in tertiis menſibus, ſi ipſi non prodierint. In quartis vero, ſi non egreſſi prioribus exitum fecerint, etiam tunc tertii menſis afflictionibus omnibus magis affligetur, & maxime tempore men-

ſium. Deinde minus. Sæpe vero etiam a dolore libera ſibi eſſe videbitur. Erunt autem in quartis etiam hæc ſigna. Urinam multam, ac craſſam ejiciet alias atque alias. Et venter ipſius durus erit, & major quam prius, & dentibus fremet, & cibum averſabitur, & vigilabit. Hæc patietur in quartis menſibus. Si vero curetur, etiam in his ſana evadit. Et in quintis, ſi non multi menſes deſcenderint, dolor adhuc fortior accidit. In ſextis vero jam incurabilis eſt, & juxta priora quidem ſigna magis dolebit. Deinde ad ea etiam hæc aderunt. Anxia erit, & alias atque alias ſe ipſam jactabit, & animo deficiet, & pituitam vomet, & ſitis fortis ipſam corripiet, nimirum dum exuritur venter ab uteris ſanguine plenis, & ad contactum dolebit, maxime pectinem. Et alias atque alias acute febriet, & uteri alias atque alias murmurabunt, dum videlicet ſanguis in ipſis commovetur, ac diſcurrit, & venter conſueto modo non ſecedet. Neque veſica urinam excolabit, maxime quum uteri ad ſtomachum, qui nervoſus eſt, mulieri allapſi fuerint, & ad ventrem irruerint, dolet ſpinam, & totum dorſum, & lingua ipſius refrenatur, & hanc non claram habet, & animi deliquium adeſt. Aliquibus etiam vocis privatio, & ſtomachus mordetur, & flava bilis exit, & ſpiritus offendens, & anxia eſt, & jactat ſe ipſam, & ardet.

Poſtquam autem tranſmutati fuerint, & veſica tenuem ſanguinem ab uteris trahet, tunc urina mingitur rubra. Et dolet quidem reliquum corpus, maxime vero collum, & ſpinam, & lumbos, ac inguina. Et ipſi ad hoc progreſſæ, & venter attollitur, & crura ſupra modum intumeſcunt, & tibiæ, ac pedes, & mors ſuccedit.

Et circa hanc quidem ſic finiunt menſtruæ purgationes ad ſex menſes occultatæ, fiunt item hæc. Quibuſdam mulieribus menſes bimeſtres in uteris exiſtentes multi ad pulmonem procedunt, & ubi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tabe dicta ſunt, & non eſt poſſibile ipſam ſupereſſe, fiunt & hæc. Quibuſdam ſuppurati fiunt menſes, ubi per duos, aut tres menſes moram traxerint. Hoc autem maxime fit, ſi a febre fuerint combuſti. Signa vero ſunt, ſi ſuppurati fuerint; dolores enim incidunt in pectinem, & pulſationes fortes, & contactum non ſuſtinet, & ſi melius habitura eſt, menſes ipſi erumpuntur in pudendum, & procedit pus, ac ſanguis, & procedit graveolens ad ſeptem, aut octo, aut novem dies. In priore vero tempore dolet, velut dictum eſt antea. Poſtquam autem depurgata fuerit, optimum quidem eſt, ſi non fiant ulcera. Si vero reliquantur ulcera, ampliore curatione opus habebit, quo ulcera non putreſcant, & graveolentia fiant. Sterilis autem evadet, etiamſi melius habebit, ubi magna ulcera fuerint, quæ in uteris facta ſunt. Si vero non continget, ut menſes ipſi in pudendum procedant, ſuppurati facti, ad partes ſupra inguen, juxta lateris mollitudinem erumpent, citra tuberculum, utpote pure rupto, & illa parte purulenta graveolentia procedente, & ſi hoc fiat, mulier non ſuperſtes manet. Si vero etiam ſuperſtes maneat, ſemper ſterilis erit.

Hac enim parte de cætero via fit menſibus, ut foras prodeant. Nam os uterorum ad hunc locum allapſum eſt. Fit & hoc. Quibuſdam, ubi bimeſtres, aut trimeſtres, aut diuturniores fuerint menſes, & ad lateris mollitudinem illapſi fuerint, quum non ſuppurati ſunt menſes, ve-

lut tuberculum fit ſupra inguen, ſine capite, magnum, rubrum, & vulgus medicorum, ignarum quid hoc eſſet, jam ſæpe ſecuerunt, & ſic in periculum induxerunt. Cæterum id, quod velut tuberculum fit, tali modo fit. Fruitur ſanguine caro ipſa, utpote oſculo uterorum lateris mollitudini adjacente, & impletur caro ab ipſo, & inſurgit, ac eminet, velut ſanguine repleta. Et aliquando ſi tranſmotum fuerit os uterorum, & ad pudendum converſum, & menſes proceſſerint per pudendum, id, quod circa lateris mollitudinem eminuit, ſedatur. In uteros enim diſtribuerit; hi vero foras láxantur. Si vero non converſum fuerit os uterorum ad pudendum, circa lateris mollitudinem ſuppuratur, & hac parte tranſitus fit menſibus, & eadem pericula ſunt, quæ prius ſunt relata. Sed & ad vomitum convertitur, & quibuſdam in ſedem, velut in virginum morbis a me dictum eſt, & ſigna, & dolores eoſdem oſtendit, quos iſthic retulimus. At hanc viam minus faciunt menſes mulieribus, quam virginibus.

Quum menſes fuerint occultati, dolor habebit imum ventrem, & onus quoddam incumbere videtur, & lumbos, & laterum mollitudinem mirum in modum dolet. Si vero omnino non procedunt, præ morbo aut craſſi, & viſcoſi, aut glutinoſi fiunt. Primum igitur ventrem purgare oportet ſurſum, ac deorſum. Deinde uteros ſubdititio medicamento, a quo ſanguis purgatur. Atque ita quieſcere, & potandum dare pharmacum, a quo ſanguis prodeat. Bibat etiam crethmon in vino tædaceo. Si vero fluxus ipſi non fiat, continget, ut prægnans eſſe videatur, & dum cum viro coit, doleat, ut putet quid incumbere, & gravitas fit in ventre, & ventre prominet,

& desideriis similibus afficitur, velut in ventre habens, & stomachi dolore afficitur, maxime ubi quinquaginta dies præterierint. Et dolor alias atque alias tenet ventrem, & partem circa umbilicum, & collum, & inguina, & lumbos. Et postquam menses duo, aut tres præterierint, quandoque menses acervatim ipsi in pudendum erumpunt, & quæ prodeunt, velut carnem esse putat, quemadmodum ex fœtus corruptione, & nigra sunt.

Quibusdam etiam ulcera fiunt in uteris, & opus habent diligenti animadversione. Multis vero contingit, ut putent se sex mensibus in utero habere, aut etiam paulo breviore tempore, & venter prominet, & alia sibi fieri putat, velut in ventre habenti. Postea sunt & quibus menses suppurati eruperunt supra inguen simul cum quinto, aut sexto mense, & viam ea parte patefecerunt. Quibusdam autem ulcera fiunt in uteris etiam infra sub inguine, & periclitatur mulier de vita. Si vero etiam superstes maneat, sterilis erit. Quibusdam etiam in pudendum erumpunt, & prodeunt ipsi putrefacti, ac purulenti. Et ab his ulcera fiunt in uteris, & periclitatur. Et oportet, ut ne antiqua fiant ulcera, cum attentione mederi. Sterilis autem & hæc fit, etiamsi fuerit curata.

Si vero non eruperint menses sex mensibus intus conclusi, omnia patietur velut ea, quæ non peperit, in qua menses viam invenire non possunt. Et si quidem curata fuerit, sanus erit; sin minus, etiam ad octo menses durans moritur. Multis vero contingit, ut menses pituitosi ad multum tempus prodeuntes, etiam pauciores sanis sint, sana autem talis fit, si convenienti cura fuerit sanata.

Si vero menſes mulieri prodeant quidem, verum pauciores quam convenit, utpote oſculo uterorum paululum a pudendo emoto, aut nuper concluſo ad hoc, ut prodeant quidem, verum obturentur ab ipſis etiam tranſitus, per quos penetrant, ubi ad uteros deſcendunt, moderati ſane paulatim prodeunt, ſanguine ſemper perfecte oſculo incumbente. Et poſtquam dies præterierint, quibus purgari ſolet, & concluſus fuerit ſanguis in uteris relictus, & alii menſes ſubdeſcendentes non expulerint concluſum ſanguinem, ſed ſemper paulatim gravant, & primis menſibus duobus, aut tribus non valde prodeunt. Poſtquam autem plures menſes præterierint, adhuc magis dolebit, & non habet in ventre, quamdiu ſane ſic habuerit, & febris corripiet ipſam debilis; maxime in diebus, quibus purgari ſolet.

Veriſimile eſt etiam, & in intermedio tempore ipſam febrire, & horrere, & ſtomachi dolore vexari, & ad multitudinem addere ſingulis diebus. Et dolet alias atque alias corpus, & maxime lumbos, & ſpinam, & inguina, & articulos manuum, ac pedum. Verum his locis non ſimul dolet, ſed alias atque alias, qua parte ſanguis diſcretus, & in uteris eſſe non potens, impetu ſuo gravarit, & qua ſane corporis parte incubuerit, tumor eſt, fitque etiam convulſio fortis articulorum corporis. Et alias aliud ex relatis antea ſignis ipſi apparet. Hæc ſi quidem juxta debitum modum curata fuerit, ſana evadet; ſin minus, morbus ſeptimeſtris, aut diuturnior factus, lethalis fuerit, aut claudam faciet, aut artes aliquas impotentes efficiet, ſi præ rigore, & cibi faſtidio ſanguis circa nervos compactus fuerit, quemcumque tandem locum occupaverit. Hic au-

tem morbus magis fit his, quæ virum non habent.

Si vero morbi jam relati, aut quicumque postea referentur, incidant in eam, quæ partum non sit experta, diuturniores erunt, & minus dolorosi. Verum signa eadem, & iidem fines tum ei, quæ non peperit, tum ei, quæ puerperia experta est, contingunt, si non curentur. Oportet autem statim curationem facere; sin minus, statim comparent morbi.

Si vero menses plures, quam oporteat, prodeant, & crassiores: nimirum corpore natura fluido existente, & osculo uterorum prope pudendum sito, & ad hæc multo cum viro coitu utatur, & convivetur: semel aliquando multi descendentes, & cumulate prodeuntes, os uterorum impetu suo magis dilatant; & si ad hæc non incidat vasorum evacuatio, sed rursus multus accesserit calor, & os amplum faciunt, & corpus: utpote dum convivante, & voluptatem, ac consuetudinem viri consectante muliere, facili fluxu ad uteros etiam calor defertur, & decolor erit, quamdiu sic habuerit, & si postea morbus aliquis, aut affectio inciderit, ut corpus affligatur, & uteri similiter juxta solitum morem ampli sunt, & corpus facili fluxu in ipsos præditum est. Et post hæc febris habet, & cibum aversatur, & anxia est, & tenuis, ac debilis, & lumbos ex mensibus dolebit, & progressu temporis, si non curata fuerit, omnia ipsam magis affligent in intermedio tempore, & periculum ipsi imminet, ne sterilis fiat, aut a tempore, & morbo vexata, si alius morbus coincidat, ex hoc moriatur. Prodeunt autem menses crassiores, & plurimi in intermediis diebus; incipientes autem, & desinentes, pauciores, & tenuiores. Mo-

derati vero ſunt menſes prodeuntes in omni mu-
liere, ſi ſana ſit, ut duarum heminarum Atti-
carum menſura ſecedant, aut paulo plures, vel
pauciores, atque hoc ad duos, aut tres dies.
Longius autem tempus, aut brevius, morboſum,
& ſterile eſt.

Conjectare porro oportet, mulieris corpus in-
ſpiciendo, & interrogare, collatione ad priora
facta, an ſemper morboſa vivat, aut non. Si
enim pauciores, aut plures dies, quam ſolent,
prodeant, aut ipſi pauciores, aut plures fuerint,
morboſi ſunt. Niſi natura ipſa morboſa, & ſte-
rilis fuerit. Si vero fuerit, & ad ſalubriorem
ſtatum tranſmutetur, melius eſt, procedit au-
tem ſanguis, velut a victima, & cito congela-
tur, ſi ſana fuerit mulier. Quibus vero in natu-
ra eſt, ut plures quam quatuor dies purgentur,
& menſes valde multi prodeunt, hæ tenues fiunt,
& fœtus ipſarum tenues, & emarceſcunt. Qui-
bus autem purgatio infra tres dies fit, aut pauci
menſes ſecedunt, hæ craſſæ ſunt, & bene colora-
tæ, virileſque, ac partus immemores, & neque
concipiunt.

Si ſuffocatio derepente acceſſerit, fit autem
maxime his, quæ cum viris non coeunt, & ſenio-
ribus magis, quam junioribus. Leviores enim
uteri ipſarum ſunt, fit autem potiſſimum tunc,
ubi mulieri vaſa evacuata fuerint, aut plus ſoli-
to laborarit, reſiccati a labore uteri convertun-
tur, ut qui vacui ſunt, ac leves. Eſt enim ip-
ſis locus ſpatioſus, ut convertantur, utpote ven-
tre vacuo exiſtente. Dum autem convertuntur,
impetunt hepar, & juxta conſiſtunt, & ad præ-
cordia irruunt. Currunt enim, & progrediuntur
ſurſum ad humiditatem, tamquam a labore, ma-
gis quam opportunum eſt, reſiccati. Hepar au-

tem humidum eſt. Poſtquam autem impetiverint hepar, ſuffocationem faciunt, derepente perſpirationem circa ventrem intercipientes, & aliquando ſimul incipiunt hepar impetere, & a capite pituita defluit ad præcordia, velut ab eo, quod ſuffocatur, & aliquando ſimul cum pituitæ defluxu deſcendunt ab hepate ad locum ſuum, & ceſſat ſuffocatio. Deſcendunt autem detrahentes humiditatem, & gravati. Stridor autem ab ipſis fit, dum ad ſuam ipſorum ſedem procedunt; poſtquam autem eo devenerint, aliquando venter poſt illa humidior fit, quam ſuperiori tempore. Laxat enim jam caput pituitam in ventrem.

Ubi vero apud hepar, & præcordia fuerint uteri, & ſtrangularint, mulier albas oculorum partes ſubvertit, & frigida fit. Sunt autem & quæ lividæ fiunt. Quædam etiam dentibus frendunt, & ſalivæ ad os fluunt, & ſimiles ſunt his, qui ab herculeo morbo detinentur. Si vero diutius moram traxerint uteri apud hepar, & præcordia, mulier ſtrangulatur. Quandoque vero, ubi mulier vaſa evacuata habuerit, & inſuper laborarit, uteri converſi ad veſicæ ſtomachum allabuntur, & urinæ ſtillicidium inducunt. Aliud autem nihil mali habet, & curata cito ſaneſcit, quandoque etiam ſponte. Quibuſdam vero ex labore, aut inedia, ad lumbos, aut ad coxas allapſi, dolores exhibent.

Si mulier corpore male habuerit, & menſes bilioſi prodierint, ex hoc quoque cognoſci poſſunt. Nigri ſunt valde; quandoque vero nigri, aut ſplendidi, & pauciſſimi prodeunt, & citiſſime congelantur, & ſemen amborum, & maris, & fœminæ evaneſcit, & non habet in ventre; & incipiente quidem morbo, purgatur diebus,

quibus ſolita fuit, non pluribus; progredientibus autem menſibus, pluribus diebus purgatur, & menſes pauciores ſingulis diebus apparent. Et febres ſuccedunt erroneæ acutæ, cum horrore, & cibi faſtidio alias atque alias, & ſtomachi dolor, & dolebit maxime, ubi menſes ipſi appropinquarint. Poſtquam autem purgata fuerit, & ad modicum tempus, ſuperiorum reſpectu melius habuerit, poſtea rurſus ad idem perveniet. Dum autem curatur, cito ſana fit. Si vero non curetur, & tempus procedat, omnia prius relata valde ipſum affligent, & dolor corripiet nunc ventris partem infra umbilicum, nunc inguina, nunc lumbos, & coxendicum ad ſedem juncturam, nunc collum; aliquando vero ſtrangulatio fortis accidet, & caligo ante oculos obverſabitur, & vertigo, utpote purgatione ſurſum vergente, ac aſcendente.

Si enim corpus male habuerit, mulieri menſes pauciores fiunt, & quibus corpus plenum fuerit, his menſes plures prodeunt. At vero bilioſæ ſi menſes prodeant, puſillanimitas incidit, & cibi faſtidium alias atque alias, & anxietas, ac vigilia, & eructat frequenter, & non vult deambulare, & triſtis eſt, & non videre ſibi videtur, & timet. Et ſi curetur, ex his ſana erit. Si vero tempus proceſſerit, adhuc magis dolebit. Optime autem cum hac agetur, ſi vomitus bilioſus ſuccedat, aut venter turbetur, non fortiter, & ſubeant bilioſa, & ſi fluxus ſuccedat ipſi non fortis. Si enim quid ex his forte inciderit in corpus afflictum, periclitabitur. Si vero leniter depurgetur aliquid bilioſi, aut totum id, quod moleſtum eſt, ſana fiet. Si vero neque curetur, neque quicquam horum fiat, moritur mulier: plerumque tamen contingit, ut fluxus incidat

biliosus ex hoc morbo, & si fluxus fiat, primum quidem pauca sunt, quæ comparent, per omnes autem dies omnino plura contingunt. Temporis autem progressu plerumque etiam morbus acutus fit, & uteri a purgatione biliosa prodeunte mordentur, ac exulcerantur. Sed & in hoc adhuc sana fit, si curetur, & fluxus compescatur.

Si vero uteri ab ulceribus fuerint inflammati, adhuc acutior morbus erit, & multa graveolentia, ac purulenta prodibunt, ab ipsis uteris jam egressa, & semper velut aqua de carnibus, & prius relata omnia ipsam magis affligent, & ulcera adhuc magis efferatiora erunt, donec ipsam vincant. Si vero etiam sanata fuerit, sterilis erit a cicatricibus.

Si mulier corpore male habuerit, & pituitosi menses prodierint; cognosci autem possunt: si pituitosi prodeant. Pelliculosi enim apparent, & velut araneorum casses distenduntur, & subalbidi sunt. Hoc autem contingit, si corpus, & caput ipsi pituita repleta fuerint, & hæc non subpurgetur neque per nares, neque per sedem, neque per urinæ meatum. Sed in mensibus, & in turbatione sanguinis, una cum purgatione foras exit. Et si hæc sic habuerint, ad duos quidem, aut tres menses nihil ægrotat; postquam autem amplius tempus progressum fuerit, & non curetur, magis dolebit, & febris erronea corripiet, & cibum alias atque alias fastidiet, & stomachum dolebit, & maxime dolebit, ubi menses appropinquarint. Quum vero purgata fuerit ad modicum tempus, superiorum respectu melius habebit, postea ad idem relabitur, & si non curetur, sed tempus procedat, fient ipsi omnia, quæ ei, cui biliosi menses prodibant, donec fluxus sistatur. Consequitur etiam, ut hæc fluxum

pituitosum habeat, aut alia, quæ ego dicam paulo post. Et si quidem fluxus succedat, semper procedunt per omnes dies nunc acervata, nunc pauca, & quandoque velut a carnibus aqua prodit, quandoque velut sanies, & in hoc ipso multi sanguinis grumi insunt, & radit terram velut acetum, & mordet, ubicumque mulierem contigerit, & uteros exulcerat. Et ubi ad hoc pervenit, reliqua quidem similiter patitur, velut prior. Minus vero, quam illa, caput dolebit, & ulcera neque deformia, neque magna, neque purulenta, neque graveolentia, similiter velut illi fiunt, sed minus huic. Si vero curetur, sana evadit, etiam ubi morbus progressum fecit, & non valde moritur. Verum prægnans esse non potest, quæ sic habet.

Quæcumque viro cohabitantes in ventre habere non possunt, interrogandæ sunt, an ipsis menses prodeant, aut non, & an purulenti sint, aut frigidi. Si quidem igitur responderit, interrogetur, an statim exeat genitura, an postera die, aut tertia, aut sexta, aut septima. Si igitur dixerit statim exire, ubi coivit, uteri osculum rectum non est, sed distortum, & genituram non capit. Si vero dixerit, postera die, aut tertia, uterus perhumectus est, & semen eluitur. Si vero sexta, aut septima, semen computrescit; putrefactum vero exit. Si igitur ab initio non suscipiat semen, os uteri primum curandum est, ut rectum sit. Si vero eluatur postera, aut tertia die, uterus, & caput. Si vero computrescat, & exeat, & uterus, & totum corpus curetur. Atque hæc singula sic cognoscere oportet.

Quali vero purgatione opus habeat, hoc modo cognoscit. Quum menses prodeunt, linteum

complicatum palmi magnitudine ſuper tenuem cinerem expandito, deinde ut quæ exeunt, ſuper hoc defluant, curato. Præſtat autem duo eſſe lintea, utrumque ſeorſim, alterum diurnum, alterum nocturnum; & diurnum quidem poſtera die lavare oportet, nocturnum vero, ubi per diem, ac noctem ſuper cinere ſitum fuit. In lotura vero conſiderare oportet, qualianam fiant lintea lota, ubi in ſole fuerint ſiccata. Optimum tamen eſt in tenebricoſo loco ea reſiccari. Si quidem igitur pituita fuerit, quæ conceptionem impedit, mucoſa lintea erunt. Si vero propter ſalſuginem, & bilem impeditur, fulva, & ſublivida.

His igitur conſideratis, & diligenti animadverſione expenſis, totum etiam corpus inſpicito, an multa purgatione opus habeat, aut ſecus, ita ut & ad colorem, & ætatem, & robur, & anni tempus, & qua diæta utantur, reſpicias. Curatio vero & totius corporis eſt, & uteros, ac oſculum ipſorum ſanare, & ſi hoc concluſum fuerit, aperire. Si vero illi diſtorti fuerint, dirigere oportet. Si autem humidi fuerint, reſiccare, & alia quoque facere contraria. Ferme autem omnibus multa curatio eadem eſt, excepta menſium detractione. Nam quibus nihil prodit, his detrahere oportet. Immo quicquid in menſibus mali ineſt, hæc auferre oportet: quum videlicet pituitoſi ſunt, & pelliculoſi, & ſanioſi, & tenues, & albi, & grumoſi, & quum nigri ſunt, & carbunculoſi, aut caliginoſi, aut acres, ſalſi, turbati, purulenti. Hæ omnes cauſæ tollendæ. Prohibent enim in ventre conceptum. Quibuſcumque igitur menſes pituitoſi, ac pelliculoſi ſunt, hæ carnoſæ ſunt, & his os humectum eſt, & ſaliva multa, ac viſcoſa.

Et

Et ſi acidum, aut acre quid guſtarint, ſputum in ore liquidius erit, & inſulſum, & ad omnia, quæ ederint, aut biberint, turbatio ſequitur, & ſupprimitur ipſis, ac attollitur venter, & nauſea adeſt, & anxietas, ac jactatio multa. Et a capite fluxus defluit, & omnia obducit, & multam humiditatem inducit, & partes ſub oculis lividæ ſunt, ac inflatæ. Has totas fovere oportet, & frequenter vomere & a cibis, & jejunas. Infernum autem ventrem mollire, ſed pharmacis omnino levibus, quæ minime bilem ducunt, & ſemel in die cibum capere, & frequenter exerceri. Et cibo ſiccilſimo uti, & potu pauciſſimo meraciore. Melius autem eſt, ut venter facile ſolubilis conſervetur. Verum uteros, ſi ad hanc diætam non paruerint, pharmacis ſubdititiis non mordacibus purgare oportet. Fomentum tamen ſemper purgationibus præmittendum eſt, prius id quod ex fœniculo paratur, deinde quod ex ſuffimentis. Fomento vero, & ſubditiones medicamentorum facito, conjectura facta, ut omnia fiant, & pro ratione adhibeantur, quo tempore menſes prodeunt. Si quidem igitur puri, & ſinceri, ac cruenti fiant, ita ad virum accedat, incipientibus menſibus. Optimum autem, deſinentibus, & adhuc euntibus, magis quam ubi diſparuerunt.

Quum autem ad virum itura eſt, ſuffimentum quoddam ex adſtringentibus ſuffiat, atque hoc per caniſtrum, & arundinem, pharmaco calido cineri inſperſo. Quum vero inſperſeris, & caniſtrum, ſive operculum circumponito, & per arundinem inſidenti fomentum adhibeto. Ubi vero opus fuerit ipſam ſuffiri, plumbea fiſtula utere, ut aperto oſculo ſuffiatur. Deinde quum ſurrexit, rurſus in lecto plumbeam fiſtulam apponat. Dein-

de ea ſubtracta, cum viro coeat. Et ſi ea, quæ a viro prodeunt, non fuerint ei manifeſta, extentis, & alternatim poſitis cruribus quieſcat. Jejunium autem utile eſt in hac die, præterquam ſi cyceonem velit non ſalſum in aqua. Hunc autem tunc bibat, quum vult ſuffiri. Si vero ubi cum viro coivit, poſtridie detineat genituram, & neque altera die exeat, a cibis quidem, & balneis prohibeatur. Bibat autem polentam in aqua non ſalſam bis, ac ter in die. Atque hæc diæta ſit per ſex dies, aut quod melius eſt, ſeptem, ſi non exierint ea, quæ a viro ſuſcepit, dum cum ipſo coivit. Illota vero maneat per omne tempus, & det operam, ut motus vitet. Si vero deambulare velit, deambulet in loco plano, & levi, nequaquam acclivi, neque declivi. Deſideat etiam ſuper mollia, ſi conceperit. Reliquam vero diætam eamdem faciat uſque ad dies triginta. Illota autem ſit, aut ſi lavari opus habeat, pauca, & non valde calida lavetur. Caput vero ne madefaciat. Cibis autem utatur, & panibus, & maza, ſi velit: ex carnibus autem, palumbe, & ſimilibus, ex marinis his, quæ alvum ſiſtunt: prohibeatur ab oleribus acribus. Vino vero nigro utatur. Carnibus autem aſſatis potius, quam coctis, tum manſuetis, tum ferinis. Et hæc quidem ſi conceperit, hoc modo facere oportet. Si vero non conceperit, ſed ſecunda, aut tertia die exeunt ea, quæ a viro immiſſa ſunt, fluentia cum multa humiditate, manifeſtum eſt, quod uteri ſint humidiores.

Curare itaque oportet juxta relatum modum, donec ſicci fiant. Quum autem ſicci eſſe videbuntur, ſic curato. Optimum eſt pharmacum mollitorium, & retro, & anteriori parte ipſi adhibitum, donec uteri ad naturam ſuam redeant, &

rursus ad virum accedat, quum menses non amplius multi, sed pauci, & bene colorati fuerint, & ad libidinem concitatur. Sed & in aliis diebus cum viro consuetudinem habere oportet, si optime habuerint uteri. Quum autem in relatis diebus consuetudinem habuerit cum viro, si probe parati fuerint uteri, & si genituram ad decem, aut duodecim dies detinuerit, ne adeat virum. Si vero non concipiat, uteri autem sani sint, contingit enim & hoc plerisque, quum debiles existentes uteri, ab affectione macilenti fiunt, aut præ medicamentis, & fomento multo genituram ferre non possunt, priusquam assueti fiant, & convalescant. Hoc autem sic cognosci potest. Quum ab ipsa exierint, secunda, aut tertia die exeunt, aut adhuc prius, crassa, & compacta velut mucus, nisi mali quid sit, & propter alium uterorum morbum genitura discedat.

Quum igitur talia apparuerint, curatione quidem uterorum non est opus, verum reliqui corporis cura habenda est, quo hujusmodi bonus habitus sit ipsi, ut contractum simul sit corpus, & justa mole præditum, ex paucorum balneorum, plurium vero, & levium laborum usu. Ab acribus autem, & salsis prohibeatur. Vomitibus utatur ante dies, quibus menses fieri solent, & rursus fame maceretur, & alia perficiat, quæ dicta sunt. Atque hæc quidem harum curatio est. Quibus autem statim ubi coiverint, diffluunt ea, quæ a viro sunt immissa, his os uterorum caussa est. Curare vero sic oportet. Si quidem valde conclusum fuerit, tædis, & plumbeis fistulis immissis, aperito, & molli fomento ex fœniculo foveto, & subdititiis, quæ uteros attenuant, & in directum redigunt, purgato. Post purgationes

autem, & fomenta, ea infundito, quæ caussæ sunt contraria.

Quibus vero os distortum est, & ad coxam allapsum; fiunt enim etiam talia prohibentia, ne uterus semen suscipiat. Quum igitur tale quid acciderit, odoratis fomentis fovere oportet, post fomentum autem per digitum avulsum a coxa detrahito. Quum autem discesserit, tædis, & plumbeis fistulis immissis juxta priorem rationem in rectitudine dirigito, ubi vero rectificati, ac aperti fuerint uteri, medicamentis subdititiis purgato, & alia facito juxta relatam rationem.

Quum autem magis quam oportet, aperti fuerint uteri, purgatione opus habet, post purgationem autem collutionibus, & suffimentis. Si vero propiores sint, quam oportet, vomitibus uteri opus habent, & fomento fœtido, donec ad suum locum redeant. Diæta vero utendum est relata. Si vero os pingue fuerit, & crassum, & propterea non concipiat, sinapi coctum jejuna edat, & meracum insuper bibat. Apponat autem nitrum rubrum, & cuminum, ac resinam. Optimum autem fuerit nitrum vino ammiscere, & resinæ una cum cumino, & unguento albo. Aut cornu cervi urito, & duplum crudæ hordeaceæ farinæ cum vino admisceto. Si vero non melius habeat, porrum coquito, & ipsam insidere facito. Aut phagum, id est glandem tritam apponat. Et allio recenti vescatur, & aqua mulsa insuper pota, vomat.

Quibus porro intus manet viri semen, & computrescit, & turbationem facit, his atriplicis semen, aut succum cum melle, aut cum cumino delingendum dato. Quum autem a viro immissa graveolentia fuerint; non concipit. Portulacam igitur, & adipem anserinum misceto, & appo-

nito. Quibus vero ſexta, aut ſeptima die a viro immiſſa prodeunt putrefacta, his veriſimile eſt ab utriſque fieri, & bilis, & ſalſuginis influxu. Curare autem ſic oportet, per veratrum, aut ſcammoniam, aut peplium. Hæc enim ſurſum, ac deorſum pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt. Ante purgationes autem fomentis utendum eſt ex ſuffimentis.

Ubi vero fomentum adhibueris, per ſubdititia purgato eodem modo velut in prioribus. Et poſt ſubdititiorum, ac purgationum uſum, mollitoriis utere, & ſubditio medicamento ex mercuriali, & artemiſia herba, & anemona, & veratro albo, aut nigro. Atque hæ quidem medicationes hoc modo his conducunt. Diætam vero reſpectu ad totum hominis corpus facto conſtituere oportet, ſive ſiccior, ſive carnoſior mulier eſſe videatur. Et ſi quidem ſiccior fuerit, balneis pluribus, & obſoniis omnibus coctis, tum marinis, tum carnibus utatur. Vino vero aquoſo, & oleribus coctis, & pinguibus omnibus, ac dulcibus. Hæc enim plerumque faciunt, ut humiditas ſit tum in reliquo corpore, tum in uteris. Si vero humidior fuerit, tales uteri nullo ex his opus habent, ſed vice verſa, neque contrectare, neque lavare recenti motu facto oportet, neque ſuffire. Nam ad periculum hæc procedere ſolent. Et ſi magis quam pro natura fuerint humectæ, ſiccare ſane, ac ſuffire oportet. Si vero bilioſa in ipſos confluat, medicamentum dare, quod bilem purgat. Si vero ſalſuginoſa, lac aſininum, & vinum, & alia auxiliaria.

Morborum porro vires conſiderare oportet, & cauſſas, ex quibus morbi fiunt, exquirere, atque ſic ad alia procedere, & morbos circa locos curare, & quæ quidem ob cauſſam oſculorum hian-

tium prohibentur, ut ne detineant in ventre, horum oſcula præparare, ut probe diducta ſint. Quum vero humiditas prohibuerit, hanc inſpicere, ut ne impediat, totis mulierum negotiis expenſis, ſive ex toto corpore quid moveri videatur, ſive ex ipſis uteris, ſive ex utriſque.

Uteros autem ſic curare oportet, ut neque humidi ſint, neque valde ſicci. Imo ſicciores quidem, tanto magis bono ſucco, quanto ſunt ſicciores, ejuſmodi humiditate, ut pingues magis fiant, quam graciles. Humectos vero, & madidos ſiccare, ita ut relinquas, quo humidi ſint, & non valde reſiccentur. Exceſſus enim in his valde ſunt vitandi. Concipit autem in ventre, neque ea, quæ humiditatem habet, neque quæ reſiccata eſt, niſi quid horum in veteri natura fuerit. Cæterum virum adire ipſam oportet poſt adhibitam curationem, deſinentibus, aut inchoantibus menſibus. Optimum eſt etiam, ubi quieverint. Maxime vero in his diebus experiendum eſt, an prægnans fieri poſſit, hi enim ſunt opportuniſſimi. Si vero non ſtatim concipiat, & reliqua bene habeant, nihil prohibet etiam aliis diebus cum viro coire. Nam hæc exercitatio alacritatem ipſi inducit, & venulæ hinc laxantur, & ſi ea, quæ a viro prodeunt, concurrerint ſecundum rectitudinem cum eo, quod a muliere, citius concipiet. Hæc enim cauſſa eſt his, quibus ſive ſtatim, ſive poſteriore tempore exeunt. Atque hæc quidem de his dicta ſunt.

Si vero humidius fuerit os uterorum, genituram attrahere non poſſunt. Utendum autem eſt medicamentis ſubdititiis acribus. Commorſus enim, & inflammatus ſtomachus, ſolidus, ac firmus quandoque fit, & aliquo modo accommodatur. Sed & ſi in callum indurati fuerint, præ-

ſtat acria apponere, quæ mordeant. Quæ enim tenuia, & fervida ſunt, calli duritiam diffundunt. Si vero mollitus fuerit callus, mollibus curato, & his, quæ non mordent. Quod ſi diu non concipiat, menſibus non apparentibus, quum tertia, aut quarta dies aderit, alumen tritum, unguento dilutum, & lana exceptum apponito, & habeat per triduum. Quarta vero die fel bubulum ſiccum in oleo fervefacito, & lanam teneram eo imbutam ſubdito, & habeat per triduum. Poſtridie autem eximat, & cum viro coeat.

Si genituram non ſuſcipiat mulier, menſibus ſecundum naturam prodeuntibus, membrana præpoſita eſt. Fit etiam ex aliis cauſſis; cognoſces autem, ubi digito obicem contigeris. Facito autem medicamentum ſubdititium, reſinam, & æris florem cum melle ſubacta in linteo apponito quam penitiſſime, filo ad extremitatem alligato; ubi vero hoc extraxerit, myrtum in vino coquat, & vino tepido perluatur, præſtat autem membranam auferre.

Sunt autem mulieres, quæ facile quidem in ventre concipiunt, geſtare vero non poſſunt, ſed fœtus ipſis corrumpuntur aut tertio, aut quarto menſe, nulla cauſſa accedente, neque cibo incommodo ingeſto, & hæc eſt cauſſa, quæ relata eſt, & maxime quum uteri augmentum fœtus dimiſerint, aut venter ipſis turbetur. Debilitas autem, & febris vehemens, & cibi faſtidium incidit eo tempore, quo fœtus corrumpunt. Eſt autem & hæc cauſſa, ſi uteri fuerint leves aut natura, aut ulceribus in ipſis innatis. Si enim leves fuerint, quandoque continentes ipſum pelliculæ, minus quam oportet, cohærent, ut pote quum uteri ipſi pleni exiſtant; cognoverit autem quis hæc ſingula, ſi de his exacte interroget. De levi-

tate vero cognoverit, ſi alia mulier contigerit, dum uteri vacui ſunt. Non enim hoc tempore manifeſtum fit. Si vero menſes prodierint, his acervatim prodeunt. Quibuſdam tamen ipſarum contingit, ut fœtus edant. Et ſi qua curetur, ſpes partus adeſt, & de his quidem ſic habet.

SECTIO II.

SI mulierem puerperam facere velis, alias concipere nequeuntem, menſes conſiderare oportet, an pituitoſi ſunt, aut bilioſi. Cognoſces autem ſic. Arenam tenuem, ac ſiccam ſubjicito, & quum menſes prodeunt, in ſole ſanguinem ſuperfundito, ac ſiccari ſinito. Et ſi quidem bilioſa fuerit, ſanguis in arena ſiccatus pallidus erit. Si vero pituitoſa fuerit, velut mucus. Utrum igitur horum fuerit, ventrem purgato, ſive ſupra opus habuerit, ſive infra; poſtea uteros purgato. Si vero concipere voles, hederæ grana ſeptem, aut folia, ſingulis menſibus in vino veteri, ceſſantibus menſibus, bibenda dato. Et malicorium in vino odorato meraco coquito, & glandem ex hoc factam in meridie ſubdito. Aut alumen Ægyptium tritum lanæ illigatum apponito. Quum autem ſol occiderit, eo detracto, vino odorato perluatur. Hæc autem ceſſantibus menſibus facere oportet. Sed & hoc ſic habet. Quum purgatæ fuerint mulieres, maxime in ventre concipiunt cum viro conſuetudine habentes, & genitura ipſis corroboratur, ſi quando oportet, coiverint. Et ſemen viri facile admiſcetur, & ſi prævaluerit, illi accommodatur, ac appropriatur. Tunc enim maxime os uterorum hiat, & diſtentum eſt, poſt purgationes. Et venæ ge-

nituram attrahunt. At in priore tempore & os uterorum conclusum est, & venæ magis sanguine plenæ exsistentes, non similiter genitur amattrahunt.

Si vero genitura jugi cursu defluat, mulier viro misceri non cupit, & si misceatur, non concipit, & lumbi, ac coxendices doloribus vexantur, & febris debilis corripit, & impotentia, ac animi deliquium succedit, & aliquando uteri in suo loco non sunt. Si quidem igitur præ plenitudine defluat, sinere ipsam optimum est. Si vero uterus laxus fiat, diæta sit alica, caro suilla, aut palumbis, & vinum nigrum; potiones vero, quæ ad fluxum describentur.

Nunc porro dicam de morbis earum, quæ in ventre habent. Pronuncio autem de muliere in ventre habente duos, aut tres menses, & ultra, si menses statim prodeant singulis mensibus, necesse est tenuem ipsam fieri, ac debilem. Quandoque etiam febris ipsam corripit his diebus, quamdiu menses prodierint. Et dum prodeunt, & postquam prodierint, pallida fit. Sed & pauci prodeunt. His uteri magis, quam opportunum est, hiant, & augmentum fœtus dimittunt. Descendit enim, quum mulier in ventre habet, sanguis paulatim in uteros a toto corpore, & in orbem circa id, quod in uteris est circumstans, illud auget. Si vero hiarint uteri magis, quam oportet, sanguinem singulis mensibus, velut procedere solet, dimittunt. Et quod in uteris est, tenue, ac debile fit. Si vero curetur mulier, melior & fœtus, & mulier evadit. Si vero non curetur, fœtus corrumpitur. Sed & ipsa periclitatur, ne diuturnum habeat morbum, si purgatio, plus quam oportet, prodeat. Quia &

post corruptionem periculum imminebit, nimirum uteris magis apertis.

Si vero mulieri in utero habenti caput pituitosum fuerit, & pituita acris in ventrem descenderit, & a capite ventrem perrumpit, & febris debilis ipsam corripit, & palpitationes quibusdam debiles subexsolutæ, augescentes acutæ. Si vero etiam cibi fastidium, & impotentia corripiat, periculum est, ne brevi fœtus corrumpatur. Sed & ipsa in periculum adducetur, si non curetur; ubi vero effugerit, utpote ventre fluido exsistente, statim concludere, ac constringere oportet. Multa vero etiam alia sunt pericula, in quibus fœtus corrumpuntur. Nam si mulier in ventre habens ægrotarit, aut debilis fuerit, aut onus levarit, aut percussa fuerit, aut saltarit, aut cibum fastidierit, aut animi deliquio correpta fuerit, aut amplius, aut minus nutrimentum accipiat, aut timeat, & consternetur, aut vociferetur, aut intemperanter vivat, fœtum corrumpet. Nam & cibus corruptionis caussa est, & potus multus. Sed & ipsi uteri naturas habent, quibus abortum faciunt, quum sunt flatuosi, densi, magni, parvi, & alia his similia.

Si mulier in utero habens, ventrem, aut lumbos doleat, formidare oportet, ne fœtum per abortum edat, pelliculis, qui ipsum continent, ruptis. Sunt etiam, quæ fœtus corrumpunt, si acre quid, aut amarum ederint, aut biberint præter consuetudinem, dum adhuc parvus intus est puerulus. Si enim puero quid accidat præter consuetudinem, & si parvulus adhuc fuerit, moritur. Et si ejusmodi edat, aut bibat, velut diximus, ut necesse sit ipsi turbari ventrem, dum adhuc parvus est puer. Percipiunt enim, & concitantur ipsi uteri, fluxione ex ventre secedente.

Et ſi laborarit mulier pluſquam oportet, & venter ipſius concludatur, aut magnus fiat, etiam ſic puer corrumpitur, velut a labore calefactus, & a ventre preſſus. Plerumque enim, dum parvi ſunt, debiles ſunt. Quidam vero etiam magni corrumpuntur. Quare mirari non oportet mulieres, quod invitæ corrumpunt. Nam cuſtodia, & ſcientia multa opus eſt, ut in uteris geſtent puerum, & enutriant, & ut evadant ab ipſo in partu.

Si vero mulier in ventre habens, corpore male habeat, & fuerit bilioſa, & doloribus vexata, & alias atque alias febricitet, & os examareſcat, & lingua cum virore pallida fiat, oculi velut morbo regio affecti, ungues bilioſi, urina acris: hæc tum alias, tum ſi febricitet, alias atque alias ipſi accident: poſtquam vero etiam purgationem contigerit bilioſam eſſe, plane timendum eſt etiam pueros debiles fore: hæc ſi bilioſa per ſeceſſum egerat (id, quod valde contingit) melius deget. Et ſi bilioſa, aut valde nigra ſunt partus purgamenta, etiam ut plurimum pinguedo ſuccedit, & prodeunt paulatim, & non cito congelantur, & primo quidem tempore levius fert, poſtea vero gravius, & minus purgatur, quam oportet. Si enim corpus male habuerit, etiam partus purgamenta pauciora, ac deteriora ipſi procedent. Patietur autem & hæc omnia, etiam ſi menſes prodeant bilioſi. Verum breviori tempore ægrotabit. Et morbus ad eadem pericula, & ſigna, & tranſmutationes deveniet. Aut enim ipſis vomitus bilioſus, aut purgatio per ventrem in hoc morbo fit, & uteri exulcerantur. Multa vero cuſtodia mulier opus habet. Quum igitur tale quid factum fuerit, ut ne moriatur, ſterilis erit. Si vero nihil horum fiat, & non curetur, ſed partus

purgamenta fuerint ipſi occultata, in triginta & una diebus ut plurimum moritur. Huic pharmacum in potu exhibendum eſt, quod bilem ducat. Prodeſt & aniſum, & quæ ad urinam ciendam dantur. Vomat autem, & ſudores eliciantur, & alvus ſucco ptiſanæ, & melle, & ovis, & malvæ aqua infuſa eluatur.

Quibus in ventre habentibus circa ſeptimum, aut octavum menſem derepente mammarum, & ventris plenitudo collabitur, & ubera gracileſcunt, & lac non apparet, his dicendum eſt, puerum aut mortuum eſſe, aut vivere, & debilem eſſe. Si enim in ventre habuerint, & apparuerint menſes, aut abortus fiunt, ſi plures fuerint, & male olentes, aut fœtus morboſi fiunt.

Si mulier in ventre habens, pituitoſa fuerit, & caput dolet, & alias atque alias febrit, & in capite obvolvitur pituita. Et gravitatem exhibet, ac frigus, & in corpus procedit, & in venas, quum caput fuerit repletum. Fit etiam colore plumbeo ſimilis, & vomit pituitam: lingua alba eſt, & urina communiter exalbeſcit, frigida eſt, turbatio adeſt, & æger motus. Ubi vero pepererit, procedet ipſi purgatio pituitoſa, & apparebit pelliculoſa, & velut araneorum caſſes in hac diſtenti erunt, & patietur quidem eadem omnia etiam ea, cui menſes pituitoſi prodeunt, verum breviore tempore ægrotabit, & eadem pericula, & ſigna, & tranſmutationes morbus habebit. Continget enim ipſi vomitum pituitoſum fieri, & affectiones ſimiles velut illi accident. Dependent enim eodem modo partus purgamenta, & menſes pituitoſi, verum purgamenta partus breviore tempore quam menſes, & niſi eruperit ipſa purgatio, quæ diu moram traxit, moritur in quinque & quadraginta diebus, etiamſi pituito-

ſum partus purgamentum ipſi prodierit. Curata autem mulier, ſana fiet, & inſtabitur ab initio, ſi ſanata fuerit. Gravis enim erit hic morbus. Huic dare oportet pharmacum, quod pituitam ducit, & lac caprinum coctum cum melle miſcere. Si vero ſæpe non obediat, naſturtium, aut cnicum, aut cneorum, aut polypodium, aut ſerum, aut medicamentum ex ſale compoſitum exhibeto, & quæcumque pituitam laxant, ac educunt.

Si vero mulier in utero habens, lienoſa ſit a relatis affectionibus, in hoc morbo menſes hydropi ſimiles, & pituitoſos demittit, & partus purgamenta procedent hydropi ſimilia, & prodibunt modo multa, modo pauca, & fiunt quemadmodum aqua a carnibus, velut ſi quis carnes cruentas abluat. Aliquando vero paulo craſſiora, & non congelantur. Et patietur eadem omnia etiam ea, cui menſes aquoſi procedunt, & pericula eadem, ac tranſmutationes morbus habebit. Continget enim ipſi fluxum aquoſum fieri, aut purgationem occultari, & ad ventrem converti, & ad crura, aut ad pectus, aut aliquam harum partium, & pericula erunt eadem, quæ prius ſunt relata.

Si prægnans intumeſcat, urticæ ſemen plurimum, & mel, & vinum dilutum odoratum potandum dato bis in die. Si prægnantem bilis vexet, ptiſanæ ſuccum dato, rhoe rubro inſperſo, aut eo, qui ex moris paratur. Sorbeat autem frigidam, & ſiſtetur. Si ſuffocatio derepente accidat prægnanti; fit autem hoc maxime, ubi mulier laborarit, & cibum faſtidierit, uteris a labore calefactis, & pauciore humore fœtui accedente. Et quum uterus, ac venter inanior ſit quam oportet, procedit fœtus ad hepar, & præ-

cordia, ut quæ ſunt humecta, & ſuffocationem fortem derepente inducit. Intercipit enim perſpirationem circa ventrem, & mulier voce privatur, & albas oculorum partes ſubvertit, & reliqua patitur omnia, quæ relata ſunt, ſi mulier non prægnans ab utero ſuffocetur. Quin & ſuffocatio fieri incipit mulieri in ventre habenti, quum a capite defluit pituita ad præcordia, utpote corpore reſpirationem trahere non potente. Et ſi quidem una cum pituitæ deſcenſu fœtus redierit ad ſuum locum, velut qui humorem attraxit, & a pituita delatus ſit, mulier ſana fit. Stridor autem fit, fœtu locum ſuum occupante. Et venter mulieris utplurimum humidus fit. Si vero non brevi redeat fœtus in ſuum locum, duo jam fiunt, quæ fœtum affligunt, pituita, quæ a capite deſcendit, gravat enim, & inſiſtens frigefacit, & loci alienitas, & fœtus periclitabitur. Et ſi non brevi quis commodiorem diætam adhibuerit, mulier ſuffocabitur. Et de his quidem ſic habet.

Si vero mulieri in ventre habenti, tempus partus jam affuerit, & dolor partus tenuerit, & ad multum tempus mulier puerum edere non poterit, omnino obliquus, aut in pedes procedit. Utile eſt autem in caput procedere. Et ſi obliquus procedat, difficilis fit affectio. Sicut enim ſi quis in vas olearium anguſti oris nucleum immittat, non proclive eſt extrahere ipſum obliquatum. Sic ſane etiam mulieri gravis affectio eſt, ubi fœtus fuerit obliquatus. Difficile eſt enim ipſum exire. Grave autem eſt etiam, ſi in pedes proceſſerit, & ſæpe aut matres pereunt, aut pueri, aut ambo. Eſt autem & hæc magna cauſſa, ut non facile exeat, ſi mortuus, aut ſideratus, aut duplicatus fuerit.

Quum mulier in ventre habuerit, tota fit cum

virore pallida, quoniam purus ipſius ſanguis ſemper quotidie ex corpore deſtillat, & in fœtum deſcendit, & augmentum ipſi accedit. Et quum paucior ſanguis ſit in corpore, neceſſe eſt ipſam eſſe pallidam, & ſemper alienos cibos appetere, & ſanguinea in ventrem intrare. Et debilior fit, quoniam ſanguis minuitur. Aſſero porro mulierem, ubi pariet, frequentem ſpiritum emittere. Et ſi purgatio inceperit, venter plenus eſt, & calore preſſus. Maxime vero frequenter reſpirat, ubi partus appropinquat. Et tunc maxime lumbos dolet. Nam & lumbi a fœtu colliduntur. Dolet autem ſtomachum, ſive ventriculi oſculum in intermedio tempore alias atque alias, utpote dum venter; maxime vero uterus, circum fœtum obvolvitur.

Et ſi puerperæ uterus infletur, oviculæ, aut capræ hepar cinere obruito, deinde coquito, & hoc edat, ac vinum meracius vetus, ſi nihil prohibuerit, bibat ad dies quatuor, ſi longius aberit a partu. Si vero lumbos doleat, aniſum, & cuminum Æthiopicum bibat, & calida lavetur. Si vero anhelatio corripiat, ſulphuris magnitudinem fabæ, & cardamomi tantumdem, & rutæ, ac cumini Æthiopici tantumdem. Hæc terito, & vino diluta jejunæ bibenda præbeto. Et a cibis frequenter abſtineat.

Si in partu purgatio multa prodierit, uterus contrahitur, & veſica, & inteſtinum, & neque ſtercus continent, ſed & urinam emittunt. Ova igitur ſorbenda dato, & panem cinericium edendum, & reliqua, quæ ſcripta ſunt.

Si vero ea, quæ in partu eſt, ſicca fuerit, & difficulter humectetur, oleum bibat, & locos oleo calido cum malvæ aqua irriget, & cerato liquido illinat, & anſerinum adipem cum oleo infundat.

Si vero parere non poterit, resinam, aut cuminum, aut pinus corticem suffito.

Quicumque vero tumores uteri in partu, aut ex partu fiunt, eos adstringere non oportet, velut medici faciunt; verum pharmaca optima exhibeto. Cuminum Æthiopicum, quantum tribus digitis capi potest, & anisi, & seselis grana quinque, aut sex, pæoniæ radicis, aut etiam seminis testam conchæ majoris dimidiam. Hæc in vino albo odorato maxime, jejunæ exhibeto. Aut dauci Æthiopici radicem, seseli, pæoniæ radicem, eodem modo. Aut hipposelini, aut dauci Æthiopici semen, eodem modo. Aut crethmi radicem. Aut cuminum Æthiopicum quatuor obolorum Atticorum pondere. Aut piper, anisum, daucum, pæoniæ Atticæ radicem, hæc in vino terito, & bibenda dato. Aut myrtidani ramulos duos, aut tres, & cuminum Æthiopicum, & pæoniæ radicem. Aut etiam lini semen similiter, quo etiam pueros tussientes nutriunt, cum ovi assato vitello, & cum sesamo tosto.

Si prægnanti pudenda superficiario, ac fervido ulcere affecta sint, amygdalas tritas, & medullam bubulam in aqua coquito, & modica farina adjecta, pudenda illinito, & aqua a coctis myrti baccis perluito.

Nunc vero dicam de puerperii purgamentis, & his, quæ post partum exeunt. Quum mulieri aut partus purgamenta non fuerint purgata, aut menses non prodierint, aut etiam uterus durus fuerit, dolor habet lumbos, & lateris mollitudinem, & inguina, & femora, & pedes amare dolet, & venter attollitur, & horrores per corpus discurrunt. Ex talibus autem febres fiunt acutæ. Hanc ita habentem, si quidem sine febre fuerit, balneis curato. Caput autem oleo anthino inungito.

Malvam

Malvam autem coquito, & oleo cyprino in aquam ejus infuso, mitigandi gratia insidere jubeto. In omnibus autem morbis, in quibus fomentum auxiliatur, melius est postea oleo ungi. Si vero febris habeat, a balneis abstinere, fomentis autem, & tepefactoriis imum ventrem, & lumbos curare. In potu autem exhibere pharmaca uterina, aut sepiæ ovis, aut castorio admixtis; post hoc vero farinam cum ruta coctam, aut ptisanæ succum sorbendum dare.

Si vero mulieri cum puero in partu non prodierit humor, velut oportet, sed si quidem in capite habuerit humorem a calore attractum, in partu, & ante, caput dolebit. Si vero in ventrem acervatim descenderit, ubi concitatus fuerit, ipsum turbabit. Et non oportet longe progredi sinere, sed auxilium ferre, ut ne ex partu ventris profluvium succedens, corpore male habente, ipsam dolore affligat. Si vero a capite delatus fluxus ad puerperii purgationem vertatur, & multum concitetur; melius habebit. Si vero plus moderato, curam adhibeto. Si vero in ventrem, facilior utique exitus puero contigerit.

Si vero purgatio modica mulieri prodierit, dolor fortis corripit lumbos, & omnem circa pudenda locum, & ea sedes intumescit, & femora ardent. Et ex ore, ac naribus pituita fluit fortiter aquosa, & dolet caput, & febris habet, & horror, & tumet, & dentes stridunt, & venter, & vesica constringetur, & oculos subvertit, & caliginosum visum habet.

Quum mulieri puerperæ purgatio non facile procedit, velut uteris inflammatis, & osculo ipsorum concluso. Obtorquetur enim stomachus uteri post pueri egressum. Si enim quid horum fuerit, purgatio non procedet. Si vero non processe-

rit purgatio, continget ipsam febrire, & horrorem habere, & ventrem magnum esse, & si ipsam attigeris, totum corpus dolere, maxime si quis ventrem adtingat, & alias atque alias stomachi dolore vexatur, & lumbos dolet, & cibi fastidium, & vigiliæ, & punctura adest, postea quinto, aut septimo die quandoque venter turbatur, & secedunt nigra, & valde graveolentia alias atque alias, & urina velut asinina. Et si secesserint, videtur sibi melius habere, & curata, brevi sana fit; sin minus, periclitabitur profluvio ventris forti ipsi illapso. Et puerperii purgamenta ipsi occultabuntur. Si vero venter ipsi non turbetur, neque purgatio prodeat sua sponte, neque ea, quæ commoda sunt, brevi exhibeantur, tempus autem progrediatur, multo magis ex prædictis affligetur. Et insuper periclitabitur, ne livida fiat velut plumbum, & in aquam intercutem incidat, & umbilicus exstabit ipsi, ab uteris elevatus. Et circumcirca nigrior erit, & ubi hæc facta fuerint, fieri non potest, ut mulier superstes maneat. Pereunt autem aliæ alio tempore, pro corporis & adfectionis ratione. Verum unam & vicesimam diem non excedunt, id quod plerumque sic contingit. Si vero purgatio ipsi eruperit sive a pharmacis, sive sua sponte: fit enim & hoc, si uteri os laxarint, a sanguine acervatim derepente delato coacti; & si eruperit, graveolentia purulenta depurgantur, quandoque etiam nigra, & melius habebit, & curata sanescit.

Fiunt autem & ulcera in uteris, utpote puerperii purgamentis putrefactis. Si vero fiant, majore cura opus erit, ut ne ipsi ulcera magna, & putredinosa fiant: periculum est autem, ne aut moriatur, aut sterilis fiat. Signa vero hæc fiunt, si ulcera intus fuerint. Quum purgatio ipsi pro-

dierit, velut ſpina per uteros tranſire videtur, & calor ipſam corripit, ac maxime ventrem invadit. Et ſi adtingatur, partem infra umbilicum dolet, velut ſi purum nervoſum ulcus contingat. Poſt dolores fortes alias atque alias in uteros incidunt. Et febris aliqnando ad contractum manus debilis, & alias atque alias puerperii purgamenta procedunt, maligna, purulenta, graveolentia. Hæc ſunt ſigna, ſi ulcera in uteris fuerint, & multa cura opus habent. Atque hujus quidem morbi tot fines exſiſtunt.

Si vero purgatio puerperii primis tribus, aut quatuor diebus proceſſerit, verum poſtea derepente evaneſcit, femina eaſdem adfectiones conſimiles priori patitur; ſed minus, & ſi tranſmutetur morbus, in idem tranſmutabitur. Diuturnus autem, & debilior priore erit. Si vero curetur mulier, ſuperſtes erit, ſi cito curetur, & de hoc morbo ſic habet.

Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura. Et febris habet, & rigor corripit, & dolores proſiliunt ad lumbos. Aliquando etiam ad viſcera. Et perfrigeratur, & febris habet, pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & alias attolluntur, alias deficiunt. Hæc patitur incipiente morbo, & ſic habet. Temporis autem progreſſu cavæ faciei partes rubeſcunt. Quum ſic habuerit, leves cibos exhibeto. Et ſi turget, pharmacum infra purgans bibendum dato, ſi biliosa fuerit, quod bilem purgat. Si pituitoſa, quod pituitam. Poſtea vero uteros odoratis foveto, & mollitorium in die apponito. Si vero oſculum ſolidum fuerit, tota die foveto, & mollitoria apponito. Deinde calida aqua lavato, & plumbeas fiſtulas indito, poſtea ſalis grana, & myrrham in linteum illigato, & picem coctam

ammixtis aromatis lana excipito, & singulorum pares portiones ad gallæ parvæ figuram efformato, & per diem, ac noctem apponito. Deinde vero intermissis tribus diebus, iisdem foveto. Et grana cnidia decorticata duarum potionum mensura, & piperis grana trita, oleo Ægyptio albo, & melle optimo admixto, in lanam infarcito, & pennæ obvoluta, tota die, ac nocte apponito. Et si tibi purgata esse videatur, melius est sinere.

Si vero purgatione opus habere videatur, duobus diebus interpositis, rursus id, quod ex cucumere sylvestri paratur, per diem, ac noctem subdito. Deinde netopon, & oleum rosaceum odoratissimum, & adipem cervi liquefacito, & die una in lana subdito, & multa calida, quantum ejus fieri potest, leniter lavato. Statim autem ubi purgatoriis, & calida, fuerint purgata loca adfecta, adipe anserino, & myrrha, & resina tepida os uterorum illinat, & foveat; uteros vero postridie vino, & oleo narcissino eluat. Aut si narcissinum non sit, vino solo. Atque hæc die uno ante menses faciat. Postquam autem menses prodierint, primis diebus atramentum, hoc est spodium cyprium terat, & salis granum addat, & hæc lana excepta paululum in corpore habeat. Et jejuna vinum meracum odoratum absorbeat. Ubi vero quieverint menses, per diem id, quod ex pulegio paratur, apponat, & virum accedat. Et si in ventre conceperit, sana evadit. Cibis autem in purgatione utatur. Ad hæc commodat, mercurialem coquere, & porrum, allium, brassicam, & grana mali punici admiscere, & succum sorbere. Aliis autem obsoniis marinis, potius quam carnibus utatur. A dulcibus vero, & oleosis prohibeatur. Bibat autem semper jejuna id, quod ex

tæda paratur, donec purgetur. Et menſibus prodeuntibus idem valde bibat.

Si vero paulo pauciora, quam oportet, prodierint mulieri puerperii purgamenta, velut uteris anguſto ore præditis, ac diſtortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit concluſa ab inflammatione; mulier acute febrit, & ſtomachi dolore vexatur, & dolet totum corpus, & moleſte fert, & ad articulos manuum, ac crurum, & lumborum dolor procedit, & locum circa collum, & ſpinam, & inguina dolebit, & quædam corporis partes impotentes fient. Poſtea calor quietus erit, & horror valde manifeſtus. Vomunt autem & pituitoſa, amara, acria, & de hac ſic habet, & continget, ut ſi curetur, ſana fiat. Sin minus, clauda, & quarumdam corporis partium impotens erit. Non autem valde ſterilis eſt hic morbus. Si quidem ulcerati fuerint uteri, & puerperii purgamenta non prodierint, velut oportet, omnia dolebit, & ſi non magna fuerint ulcera, curata brevi ſaneſcit. Oportet autem curationem ulcerum in uteris exacte facere, ut quæ in tenera, & ſubtili ſenſu prædita ſint parte, & in nervoſa cavitate. Multæ autem ſunt partes, cum quibus ſocietatem habet, ſinciput, ſtomachus. Mens percellitur, & improba fit, & non facile intelligit.

Si vero uteri anguſti oris ipſi fuerint, & puerperii purgationem non emiſerint, inflammantur; & ſi non curetur brevi, omnia magis ipſam affligent. Et odor malus erit, & exitus intumeſcit. Et ſi non inflammati fuerint uteri, ſua ſponte exit malum graveolens, & lividum, aut nigrum grumoſum, & mulieri puerperii purgamenta purgantur. Quandoque vero non exit, ſed mulieri mortem portendit, niſi quis brevi venam ſecet, aut ventrem emolliet, præſtat autem etiam clyſterem

adhibere. Si vero ad vomitum facilis fuerit, etiam vomitum inducere. Melius autem eſt lotium ciere, & exſidare. Verum in his occaſio optima eſt, quum opus his fuerit. Si vero ex partu purgata mulier fuerit, paulo plura, quam oportet. Contingit enim hoc, ſi uteri amplioris oſculi fuerint, & venæ quædam ruptæ ſint, quæ ſub uteros tendunt, præ violentia egreſſus ipſius fetus: febris, & rigor habebit ipſam tenuis, & calor per totum corpus. Aliquando etiam horror, & cibi faſtidium, & omnino abominabitur, & tenuis erit, ac debilis, & pallida, & tumida, & cibum averſatur. Si vero quid edat, aut bibat, non coquitur. Quibuſdam vero etiam alvus, & veſica erumpit, & horror magis obtinet. Et de hac ſic habet.

Si vero puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit, jam enim etiam hoc cognovi, ſi ulceratum fuerit os pudendi, ubi ſane ulceratum fuerit, in partu a pueri exitu violatum, ſimile quid fit ulceri ſuperficiario, ac ferventi, & valde inflammatur. Et labia præ inflammatione inter ſe coincidunt, & ſe mutuo contingunt, utpote quæ ſunt exulcerata. Sed & frigus fit, & ambo labia clauſa ſunt, conſtringentia purgationem relictam. Si vero prodiret purgatio, ulcera non concluſa eſſent. Nunc autem influit, & aliena carne craſſeſcunt. Proinde ea ſanare oportet, velut in reliquo corpore, & ad cicatrices perducere. Locus autem levis, & concolor reddatur. Mulier quædam patiebatur eadem, quæ patiuntur uteri, dum a puerperii purgamentis non purgantur, & ad hæc dolebat pudendum. Et ex contactu cognovit, quod obturata eſſet, & narravit, & curata depurgata eſt, & ſana evaſit, ac fecunda. Si vero curata non fuiſſet, neque purgatio ipſi ſponte erupiſſet, ulcus majus feciſſet, & malo non re-

mittente, periclitata fuiſſet, ne ulcera cancroſa fierent.

Si vero proceſſerit mulieri puerperii purgatio ad caput, thoracemque, ac pulmonem; fit enim & hoc, moriuntur ſæpe ſtatim, ſi detineatur, ac firmetur. Si vero probe exeat per os, aut nares, ſana evadit. Si vero morbus[1] paulo diuturnior fiat, patietur ſane mulier ea, quæ dicta ſunt de virgine, cui menſes primum comparentes, ſurſum impetum fecerunt. Verum mulier longiore tempore ſuperſtes erit, quam virgo, & adfectiones debiliores erunt, donec pulmo purulentus fiat. Si vero puerperii purgatio non exeat per os, ſed ſurſum tamen impetum fecerit, occultabitur, & non procedet juſto modo. Et tuſſis corripiet, & anhelationes. Et impleto pulmone a ſanguine, valde dolebit latus, & dorſum. Et quum tuſſiet, ſicce tuſſiet. Aliquando vero ſpumoſum exſpuet. Temporis autem progreſſu ſputum apparet ſubnigrum, & turbatum. Et calor pectora tenet, magis quam reliquum corpus, nimirum ſanguine ipſa calefaciente. Et febrit mulier, & venter ipſi coarctatur, & cibum faſtidit, & vigilabit, & abominabitur, & non ſuperſtes manet, ſed moritur plerumque viceſima prima die.

Si vero purgatio ſurſum progreſſa per os non exeat, neque in pulmonem vertatur, convertetur ipſi ad faciem; & erit hæc valde rubicunda, & caput grave, quod neque movere poteſt abſque doloribus, & oculi valde rubicundi erunt, & ex ipſis ſanguis tenuis fluet. Et quibuſdam ex naribus ſanguis manat. Et ſi hic exierit, diuturnior morbus fit. Et aures non acute audiunt in hoc morbo, & ſtomachi dolore vexatur, & eructat, & mente alienatur, & deliria fiunt furioſa. Quibuſdam autem adeſt oculorum diſtentorum fero-

citas. Et reliqua omnia perpetietur, velut si purgatio ad pulmonem vertatur. Verum non tussiet, neque exspuet ejusmodi, neque dorsum similiter dolebit. Curata vero, sana fit. Non multa vero spes est de vita ipsius. Et si etiam superstes maneat, surditas, aut cæcitas omnino ipsi accedet. Atque hic est hujus morbi finis.

Si ex partu fluxus corripiat, & cibi in ventre non maneant, uvam passam nigram, & mali punici dulcis grana terito, & vino nigro dilutis utitor, ita ut caseum, caprinum derasum, & polentam tritici torrefactam inspergas, & bene temperata bibenda præbeas. Si ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula sauciata est, & dolor ad viscera procedit, & cor convellitur. Hanc multa calida lavare oportet, & tepefactoria, quæ maxime admiserit, adbibere, & lac asininum ad dies septem, vel quinque bibendum dare; postea vero vaccæ nigræ lac bibendum præbere, ita ut sine cibo degat, si fieri poterit, ad dies quadraginta. Ad vesperam vero sesamum tritum bibat. Morbus hic est periculosus. Quomodo autem lac fiat, dictum a me est in pueri partu in nativitate, & alia similiter.

Si lac fuerit extinctum, porrum tritum, & aqua dilutum bibendum dato. Et calida lavetur, & in cibo porrum, ac brassicam edat. Sed & cytisi folia simul coquat, & succum sorbeat. Bibat etiam fœniculi succum, & de radicibus fœniculi. Et hordeum mollitum, ac butyrum simul coquito, frigefacito, ac bibenda præbeto. Bonum est, & hippomarathrum, & hipposelinum, & cytisus. Hæc omnia simul multum lac faciunt, & augent. Capræ item Scyriæ, casei autem maxime commodi sunt. Sed & salviam coquat. Aut a juniperi baccis, aut cedri fructu succum diffundat, & vino

affuſo bibat, & reliqua oleo affuſo edat, & ab acribus, & ſalſis, & acidis, & crudis oleribus omnibus prohibeatur. Naſturtium vero in vino potum commodum eſt. Nam lac purgat, & calida lavetur, & ſubcalidam bibat. Viticis item fructum in vino bibendum dato, & betæ ſuccus potatus multum lac fuerit. Seſamum quoque recens, & hordeum trimeſtre, in mortarium conjecta terito, & ſuccum per linteum exprimito, & mel, aut amamelidas ammiſceto, deinde in vino nigro bibenda dato.

Quum mulier peperit, & a ſecunda non fuerit liberata, præſtat dare ea, a quibus maxime purgantur puerperii purgamenta: alia cocta, aut aſſata in vino, & oleo, cum polypis, ac ſepiolis ſuper prunis toſtis, quidquid tandem ex his voluerit. Caſtorium vero, aut nardum bibat. Bibat etiam rutam in vino nigro dulci jejuna, aut ſine vino. Si vero vinum non fuerit dulce, melius eſt mel ammiſcere. Edat etiam braſſicam coctam cum ruta, & mercuriali, & ſemen aliquod utero commodum bibat. Si vero puerperii purgamenta in grumos fuerint coacta, & dolor in imo ventre fiat, porrum coctum, & quæcumque ſylveſtria, ac hortenſia olera dato, verum omnia pinguia facito, & per tertium quemque diem ſub clementi cœlo lavetur. Frigus enim his inimicum eſt. Et poſt balneum inungere melius eſt, & non multa calida uti.

Quum ſecunda non ſtatim exierit poſt partum, imi ventris dolores fiunt in laterum mollitudine, & rigores, ac febres. Et ſi diſceſſerit ſecunda, ſanatur etiam mulier. Sæpe vero putreſcit, & diſcedit ſexta, aut ſeptima die, aut etiam prius. Huic autem dare oportet pharmaca, quæ ego deſcribam, & ſpiritum continere jubere. Omnium ve-

ro optimum novi artemisiam herbam, & dictamnum, & violæ albæ florem. Et silphii succus optimus est fabæ græcæ magnitudine in aqua potus. Et si secundas excludere non poterit, a cibo abstineat. Et postea viticis folia in vino, & melle, oleo affuso, tepefacito, & heminæ mensuram bibendam dato, & exibunt.

Si mulieri secunda in uteris relicta fuerit, hoc sic contingit. Si per vim ruptus fuerit umbilicus, aut ab obstetrice umbilicoseca per imperitiam resectus, quæ videlicet umbilicum pueri prius incidit, antequam secunda ex uteris exiisset, & uteri sursum retrahunt secundam, utpote lubricam, & diffusam, & in se ipsis detinent. Nam secunda ex umbilico pueri hæret, & umbilicus postremus ex uteris exit. Si enim prior exiret, non accederet per ipsum puero nutrimentum, quoniam ex ipso dependet.

Quum in ventre habens fetum corruperit menstruum, aut bimestrem, & secundæ exire non poterint, (fuerit autem tenuis) hujus corpus tunc purgare oportet, ac pinguefacere. Non enim prius exeunt fetus putrefacti, nisi fortes fuerint uteri, & probe compacti. Si mulieri secunda relicta fuerit, si non ampli fuerint uteri, purgatio ipsa minus, quam oportet, procedit, & venter durus fit, ac magnus. Et frigus detinet, & febris acuta, & dolor per totum corpus, & ventris maxime partem eam, quæ est infra umbilicum, & gravitas fit in uteris, & tormen, velut fetus insit. Et curata, secundam brevi ejicit putrefactam, & sana evadit. Si ex partu uterus ulceratus fuerit, rosarum floribus curato. Sed & acerbis infusis colluatur. Si vero os ejus ulceratum fuerit, ac inflammatum, myrrham, & adipem anserinum, & ceram albam, & thus pilis leporinis

ſub ventre enatis miſceto, & ſimul trita in lana apponito.

Si ex partu uteri fuerint inflammati, febris debilis corpus tenet, & caligo adeſt. Ex ventre vero nunquam deficit calor, & ſitit, & coxas dolet, & venter imus fortiter intumeſcit, & alvus turbatur. Seceſſus autem eſt malus, & olidus; & calor vehemens corripit, & cibum averſatur, & dolor juxta ſinciput eſt, & ventris ſtomachus non poteſt trahere cibos, ac potus, & concoquere nequit, & niſi curentur ſtatim, plurimæ moriuntur. Venter autem eſt in cauſſa. Sambuci igitur folia tenerrima, in craſſiore tritici recentis farina cocta, leviter tepida ſorbeat. Dato & aquam mulſam, & vinum aquoſum. Et pectinem cataplaſmatis frigefactoriis integito. Cibum autem quammi-nimum edat, & venter ſiſtatur, & caput curetur, præcordiis vero, & uterorum loco cataplaſmata adhibeto. Quum doluerit ſedem, aut aliud quid, juniperi baccas, aut apii, & urticæ ſemen terito, ac bibendum dato. Si ex partu doleat, reſinam terebinthinam, & mel, & vinum tepidum ſorbenda dato. Et ſi inflammati fuerint uteri, inde ſedantur. Si vero non doleat uterorum locum, amygdalas amaras tritas, & oleæ folia tenera, & aniſum, & irionem, & origanum, & nitrum. Hæc miſceto, terito, & uterorum collyria efformato. Si vero inflammati fuerint, & dolor habuerit, roſarum folia, cinamomum, & caſſiam ſimul terito, & netopo affuſo, placentulas, ac paſtillos drachmales formato, eaſque in ollam novam fictilem igne candentem mittito, circumlocataque muliere, ac veſtibus contecta, in uteros ſuffito. Hoc dolores ſedat.

Si vero ex partu uteri doluerint, calor debilis habet, verum venter imus intus igne ardet, & ad

coxendicem aliquando intumeſcit, & dolor habet imum ventrem, & laterum mollitudinem. Et ſeceſſus bilioſi ſunt, & graveolentes, & ſi non ſiſtatur venter, derepente moritur. Quum igitur ſic habuerint, ventrem frigefacere oportet, cavendo, ne horreſcat. Bibat autem, ſi non ſiſtatur, aquam de craſſiore tritici farina in ipſa macerata, & panis farinam edat. Sorbeat autem mali punici vinoſi ſuccum aqua dilutum, farina lentium inſperſa. Et hoc coquito, miſce lentem, & cuminum, & ſalem, & oleum, & acetum, atque hanc ſorbitionem frigidam exhibeto. Lenticulam item acidam dato, & vinum vinoſum pramnium inſuper ſorbendum. Ab aliis autem cibis abſtinere oportet, donec febris ſolvatur. Si vero viſum fuerit, etiam lavetur. Si vero debilis fuerit, polentam bibendam dato. Et ſi imbecillior, ſit, ex aqua frigida. Cibum autem exhibeto levem, qui non evacuet, ubi calor remiſerit. Morbus hic acutus eſt, & lethalis.

Si inflammati fuerint puerperæ uteri, venter ardet, & magnus fit, & ad præcordia ſuffocatio habet. Quum ſic habuerit, muſcum marinum, quem ſuper piſces injiciunt, pro cataplaſmate adhibeto. Verum in mortario miſceto, ac tundito, crudam hordeaceam farinam, & cinerem ſarmentitium, & lini ſemen toſtum; & hæc oleo, & aceto ſubigito, & velut cyceonem craſſum facito, deinde coquito, donec velut farinæ ſubactæ maſſa fiat, atque ita quamcalidiſſima imponito, & ſi opus fuerit, etiam inſidere facito. Si puerperæ inflammati fuerint uteri, intumeſcunt, & ubi puerperii purgamenta intus manſerint, occulte diſtenduntur, diſtenduntur autem, ubi condenſati fuerint a frigore. His, ſiquidem perfrigerentur, calefacere conducit. Si vero inflammati fue-

rint, & frigus difcefferit, medicamentum, fubdititium facere, quod inflammationi adverfatur, & fimul lavare, ac fovere, & pharmaca adhibere, quæ ego defcribam, & vaporem in os, ac nares attrahere. Si vero fuffocent, lentes in aceto, & fale, & origano multo coquere, & attractionem facere. Et mercurialem edat, & in fucco ejus tenuem farinam forbeat, & quamcelerrime, ac prius quam dolor corripiat, pharmaca dato, quæ uterorum dolores fedant, & cibos per alvum fecedentes affumat, & fi venter fit inflammatus, clyftere adhibito quamcitiffime fubluatur.

Si uteri pituita fuerint impleti, flatus in uteris fiunt, & menfes procedunt pauciores, albi, pituitofi. Quandoque etiam fanguis tenuis, fincerus, pelliculis plenus. Quibufdam etiam conturbatur, & ter in menfe comparet, & præ humiditate cum viro commifceri non vult, neque libidine ad hoc faciendum concitatur, & tenuis fit. Dolor autem imum ventrem, & lumbos, & inguina; & fi mordeat id quod effluit, & exulceret ofculi uteri circumferentiam fummam, fluxionem diuturnam fore pronunciato. Et fi non multa fuerit fluxio, lenticulæ decoctum cum veratro exhibeto ad vomendum. Deinde in nares infundito, & pharmacum deorfum purgans bibendum dato. A cibis autem acribus prohibeatur. Si vero gravetur, & frigeat, & torpedo habeat, lac præbeto, & vinum odoratum. Bibat autem jejuna hypericum, apii femen, falviam in vino odorato aquofo, & uteros medicamento ex vini fece colluat, & fi ulcerati fuerint, interpofitis diebus duobus, aut tribus, pharmaco ex grano cnidio eluat, & poftea cum acerbis lavet, myrti, ac lauri decocto, & medicamento ex flore argenti

illinat. Morbus autem eſt gravis, & paucæ effugiunt.

Si vero acetabula pituita plena fuerint, menſes fiunt pauciores, & ſi in ventre habuerit, corrumpit, ubi fetus fortior factus fuerit. Non enim corroboratur, ſed defluit. Cognoveris autem hinc. Humida fit, & quod defluit mucoſum, & viſcoſum, velut a ventre defertur, & non mordet, & in menſibus, poſtquam ſanguine purgari deſierit, per duos, aut tres dies muci ex uteris prodeunt, & horror tenet, & calor non acutus, verum non deficit. Hanc ſucco groſſorum colluito, a quibus omnis aqua purgatur, & hoc iterum atque iterum. Poſtquam autem purgata fuerit, de cætero acerbis utatur. Apponat autem mollia, a quibus pituita purgatur, & foveat uteros medicamento ex lauro, & colluat pharmaco ex aceto, & aromatis ſuffitum faciat, poſtquam menſes ceſſarint; poſtea vero a cibis, & balneis abſtinere oportet. Coeat autem cum viro, & cibos, ac vinum parce ſumat, & calide degat, & tegumenta cruribus circumdet, & oleo illinat.

SECTIO III.

SI aqua intercus in uteris naſcatur, menſes pauciores, & pravi fiunt, & ante tempus deficiunt, & imus venter intumeſcit, & mammæ ſolidæ, molles fiunt, & lac malum. Et putat ſe in ventre habere; & ex his cognoſces, quod aqua intercus eſt. Sed & in uterorum oſculo ſignificationem de ſe præbet. Ad tactum enim gracile, & humidum apparet, & rigor, ac febris corripit. Quanto vero magis tempus proceſſerit, tanto magis dolor habet imum ventrem, & lumbos, &

laterum mollitudinem, ac inguina. Hic morbus ex abortu fit. Sed & ex aliis caussis, & quum menses fuerint occultarti. Hanc multa calida lavare oportet, & tepefactoria adhibere, si dolor habuerit. Postquam autem sedatus fuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & uteros medicamento ex bubulo stercore fovere. Deinde id, quod ex cantharide paratur, apponere, & biduum, aut triduum intermittere. Et si robur adfuerit, netopo colluere, & si venter mollis fiat, & febres cessent, & menses secundum rationem prodeant, cum viro dormiat, & in medicamentis subdititiis perseveret, & interposita die crethmi corticem bibat, & pæoniæ grana nigra quinque, & sambuci fructum in vino jejuna. Et mercurialem quamplurimam edat, & allium crudum, ac coctum, & mollibus ad somnum utatur, & multa potione, & aliis mollibus, & obsoniis marinis, potius quam carnibus; & si pepererit, sana evadit.

Si hydrops in uteris fiat, menses pauciores fiunt, ac deteriores, & per longius tempus, & pauciores, quam oportet, aut paulo plures, & venter intumescit, & locus supra pectinem, & tibiæ, & lumbi. Ubi vero multum temporis processerit, & in ventre habuerit, corrumpit, ac ejicit, & aqua cum ipso fetu effunditur, & mulier plerumque moritur. Sanguis autem corrumpitur, & aquosus redditur. Huic lac bibendum dato, & peplum album potandum, donec fetus moveri poterit. Quin & ante hoc utplurimum fetus corrumpitur, & per abortum ejicitur, & uteri sanguine, & aqua manant. Hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quam aliter. Cognoscere vero poteris, quod hydrops est, ex di-

giti contactu. Deprehendes enim osculum ipsorum gracile, & plenum humiditare.

Si vero fetus in ipsa non circa initia, sed jam bimestris corrumpitur, ac suffocatur, tunc & venter imus intumescit, & ad contractum dolet, velut ulcere præsente, & febris magna ipsam, ac dentium fremitus corripit, & dolor acutus, & vehemens pudenda, & imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, & coxas. Quum sic habuerit, calida ipsam lavato, & si dolor habuerit, tepefactoria adhibeto, experimento facto de eo, quod maxime admittat, & pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Intermissione vero facta per tempus, quamtum tibi satis esse videbitur, & colluito, & foveto, & cyclaminum melle subactum, ac linteo exceptum, ad os uterorum apponito. Et cupressi ramenta in aqua madefacta, eodem modo apponito. Verum hæc breviore tempore, & per longius temporis intervallum, quanto magis mordent, & lancinant. Et specillum stanneum paratum immittito, & digitum eodem modo. Potiones quoque bibendas dato, quascumque maxime libenter admiserit, & cum viro dormiat, maxime opportuno tempore præsente. Si enim genituram conceperit, & prægnans facta fuerit, ac pepererit, subpurgantur, & ea, quæ prius in ipsa fuerunt, una cum ipsis puerperii purgamentis subeuntia. Atque sic maxime sana fieri poterit.

Si mulier aqua intercute laborarit, splene ipsius magno, & aquoso exsistente. Fit autem splen aquosus ab hac adfectione, quum febris habuerit, & non dimiserit hominem, & sitis ipsum corripuerit fortis, & biberit, ac non revomuerit. Nam quod in vesicam penetrat, per urinam ejicitur. Reliquum vero splen capit, abstrahens a ventre ad

ad ſe ipſum, ut qui rarus eſt, & ſpongiformis, & ſecundum ventrem ſitus. Et ſi his ita ſe habentibus non exſudarit, neque alvus laxetur, ab hoc ſplen attollitur, & hoc magis, ſi aqua fuerit potus, & ſi quis ipſum contingat, mollis eſt, velut molliſſima pluma, ſive lana: quandoque vero etiam renititur. Elevatus autem, & impletus, diſtribuit per venas corpori, & maxime in omentum, & locos circa ventrem, & crura. Altera enim pars ad alteram delegat in corpore, ubi ſingulis plus, quam oportet, adfuerit, & continere non poterint. Succedit autem ex hoc ſemper hydrops, ubi ſplen ad ſe ipſum trahere conſueverit, quum natura rarus ſit, ac mollis.

Quibuſdam vero hoc morbi principium fit ſine febre, ſi calor quidam in ventre conſtiterit, velut pituita in ipſum collapſa, & ſi homo ſitim non continuerit, neque veſica, neque venter, urinam, & ſtercus juſto modo excolarint, neque commoda diæta homo utatur. Si vero hydropica fuerit, prodeunt menſes multi derepente, quandoque vero pauci. Et fiunt aliquando velut aqua a carnibus, ſicut ſi quis cruentas carnes abluiſſet; aliquando vero paulo ſpiſſiores, & non congelantur, & anhelatio ipſam corripit, priuſquam menſes prodeunt, & dolor in ſplene, & magis ſi quid dulce ederit; & venter attollitur, ac magnus fit. Et ubi plura, quam ſolita eſt, ederit, dolet ventrem, & lumbos alias atque alias dolor vexat, & febris ipſam paulatim corripit. Poſtquam autem depurgata fuerit, melius ſibi habere videtur ſuperiorum reſpectu; poſtea ad idem relabitur, & ſi curetur, velut convenit, ſana evadet; ſin minus, & fluxus comparet, & per omne tempus ſemper fluet paulatim velut feroſa ſanies, & ampliore curatione opus habet.

Si vero fluxus non ſuccedat, ſed uteri a prioribus menſes non laxarint, tunc & venter ipſi magnus erit, & gravitas intus erit, velut in ventre habenti, & velut puer in ventre ipſius moveri videbitur, nimirum dum uteri aqua pleni ſunt, & aqua movetur. Alias enim atque alias fluctuat in ipſis aqua velut in utre, & pars infra umbilicum ad contactum dolet, & claviculæ, & thorax, & facies, & oculi attenuantur, & mammæ attolluntur. Quibuſdam vero & venter, & crura aqua implentur. Quibuſdam autem alterum horum, & ſi quidem ambo impleta fuerint, nulla ſpes eſt de feminæ vita. Si vero etiam alterum horum, modica ſpes eſt, ſi curetur, & non valde fuerit attenuata. Diuturnus eſt autem hic morbus. Et fiunt omnia magis his, quæ non pepererunt, fiunt autem ſæpe his, quæ pepererunt. Periculoſa vero ſunt, velut dictum eſt, & plerumque acuta, & magna, & intellectu difficilia, eo quod mulieres participant morbis, & aliquando neque ipſæ ſciunt, quod ægrotant, priuſquam morbos experiantur a menſibus, & ſeniores factæ fuerint. Tunc autem & neceſſitas, & tempus ipſas morborum cauſſam docet, & quandoque non cognoſcentibus, ex quo morbo ægrotent, morbi incurabiles fiunt, antequam doceatur recte medicus ab ægrotante, ex quo morbo ægrotet. Verentur enim narrare, etiamſi ſciant, & præ imperitia, ac ignorantia, turpe ſibi id eſſe putant. Sed & medici ſimul peccant, non exacte cauſſam morbi percunctantes, ſed velut viriles morbos ſanantes, & multas novi jam hujuſmodi adfectionibus corruptas. Quare ſtatim cauſſam exacte interrogare oportet. Multum enim differt muliebrium morborum, ac virilium curatio.

Si uteri fuerint ulcerati, sanguis, & pus purgatur, & fœtor gravis oboritur, & dolor acutus corripit lumbos, & inguina, & imum ventrem, & dolor sursum procedit ad laterum mollitudinem, & ad costas, & ad scapulas. Aliquando etiam ad claviculas pervenit, & mordetur, & caput vehementer dolet, & delirat. Progressu vero temporis tota intumescit, & debilitas ipsam corripit, & animi deliquium, & febris tenuis, & perfrigeratio. Intumescunt autem maxime crura. Morbus autem corripit ex abortu, si qua corrupto, ac putrefacto intus puero non fuerit expurgata, & calor totum corpus tenet. Corripit etiam ex fluxibus, & si in ipsis acria fuerint, & biliosa mordeant. Si in hoc modo habentem incideris, ubi quidem dolores habuerint, multa calida lavato, & tepefactoria adhibeto, qua parte fuerit dolor, & si quidem superne fuerint dolores & mulier fortis est, totam fomentato, & pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & ubi tempus anni fuerit, serum coctum insuper bibendum præbeto per dies quinque, si id facere poterit. Si vero non fuerit serum, lac asininum coquito, & per dies tres, aut quatuor bibendum dato. Post lactis autem potum, cum aquis ipsam reficito, & cum cibis commodis, carnibus ovillis teneris recentibus, & volucrium, & beta, & cucurbita. Abstineat autem a salsis, & acribus, & marinis omnibus. Et a carnibus porcinis, & bubulis, ac caprinis. Edat autem panes. Si vero animi deliquia teneant, & non valida sit, & perfrigeretur, sorbitionem accipiat. Sunt autem quidam, qui his caput dolentibus, lac bibendum præbent, quia caput dolent. Alii aquam, quia animo linquantur. Ego vero vice versa, si caput dolent, & mente percellantur, aquam commodam puto.

Quum autem mordentur, & acria ſunt, quæ pungunt, lac his lenitatem inducit. Ubi vero tibi valida eſſe videbitur, uteros colluito primum medicamento ex vini fece, poſtea interpoſitis diebus tribus, aut quatuor, eo quod cum braſſicæ decocto tepido paratur. Et rurſus intermiſſis diebus tribus, eo quod cum butyro paratur, eluitur. Et ſi ubi hæc feceris, ſaneſcant uteri, eo quod cum malicorio paratur, colluito. Super ulcera vero argenti florem, & gallam, & myrrham, & thus, & ſpinæ Ægyptiæ fructum, & œnanthem ſylveſtrem, & chryſocollam, & ſquamam æris, & loti ramenta, & crocum, & alumen Ægyptium combuſtum illinito. Horum ſingulorum una æqualis ſit portio. Alumen vero, & gallam, & crocum, una omnium portione ſumito. Hæc omnia trita, & permixta in vino albo dulci diluito, deinde coquito, donec mellis craſſitudo fiat, & dato, ut cum hoc pharmaco bis in die ulcera inungat, ubi aqua tepida prius lavit. Coquantur autem in aqua, & hedera, & ſalvia. Et ubi tibi hæc facienti melius habere viſa fuerit, lac caprinum coctum præbibendum una die dato. Poſtea vero lac bubulum præbeto eodem modo velut in prioribus, poſt lactis autem potum, per cibos quammaxime craſſefacito, & ut in ventre habeat, facito. Sana enim fiet. Plerumque vero ex hoc morbo evadunt, & ſteriles fiunt. Senioribus autem non valde quid horum accidit; poſtea vero bibenda ſunt pharmaca, lini ſemen torrefactum, & ſeſamum, & urticæ ſemen, & pæoniæ radix amara, hæc in vino nigro odorato trita bibat.

Si uteri ulcerati fuerint, & ſanguis, & pus, & ſeroſa ſanies fluit, putreſcentibus enim uteris, morbus ab ipſis fit, & venter imus elevatur,

& attenuatur, & ad contactum dolet, velut ulcere præsente. Et febris, ac fremitus ipsam occupat, & dolor acutus, ac vehemens invadit pudenda, & pubem, & imum ventrem, & lateris mollitudinem, & lumbos. Morbus autem maxime corripit ex partu, si quid in ipsis divulsum computruerit. Itemque ex abortu, & alias sua sponte. In has si incideris, aqua multa calida lavato, & qua parte dolor habuerit, tepefactoria adhibeto, & spongiam ex aqua calida expressam, & colluito acribus, & acerbis vitatis, mollioribus vero admixtis, prout tibi tempestivum esse videbitur, & lini semen, ac sambuci fructum tundito, & admixto melle pharmacum facito, atque hoc utitor, calida vero aqua lavato. Et acceptam spongiam, aut mollem lanam in aqua calida tingito, & pudenda, ac ulcera expurgato. Deinde in vino meraco rursus spongiam, aut lanam tingens, eodem modo utere. Et postea pharmaco hoc inunge, quoties tibi tempestivum esse visum fuerit. Postea resina, & adipe suillo mixtis simul illito sæpe interdiu, ac noctu; postea vero lini semen torreto, tundito, ac cribrato, & peplum album in polenta tundito; ac cribrato, & caseum caprinum assato, & sordes, ac salsuginem deradito, & pinguitudinem ejus, & polentæ pollinem admisceto. Sit autem una pharmaci mensura, & casei, & polentæ. Hæc bibenda dato mane jejunæ in vino austero diluto. Ad vesperam autem misceto, & crassum cyceonem præbeto, & quicquid muliercula maxime libenter admiserit, bibendum dato. Et donec quidem sanguis multus fluxerit, & dolores acuti habuerint, & modico tempore intermiserint, hæc facito. Postquam autem ulcus minus fuerit, & dolores debiles apprehenderint, & per longius tempus

pharmaca bibenda dato, a quibus purgetur deorſum magis quam ſurſum, & intermiſſo tempore, quantum opportunum eſſe viſum fuerit, lenibus fomentis foveto, muliere in alto collocata, prout tempeſtivum eſſe videbitur. Hæc ſi fecerit, ſana evadet. Morbus autem eſt lenior, & lethalis, & paucæ ipſum effugiunt.

Si vero vehementer exulcerati fuerint, ſanguis, & pus purgatur, & odor fit gravis. Et quum dolor apprehenderit, velut a partus dolore fiunt ea, quæ circa fluxum contingere ſolent. Et quum tempus affuerit, crura, & pedes intumeſcunt. Et curant medici hunc morbum velut hydropem, verum hic talis non eſt. Hanc ſi curandam acceperis, primum calida lavato, & calefacito. Et acribus, ac mollibus, & acerbis, & aqua, & vino colluito. Et polycarpon, & polycnemon, ac mel ſimul coquito, deinde lanam in his tingito, & pudenda illinito. Et reſinam, ac mel, & pinguedinem ſuillam illinito. Et bibendum dato ſemen lini, ac ſeſamum torrefactum, & butyrum, & caſeum caprinum, & polentam in omnibus. Bibat autem in vino jejuna. Ad veſperam vero plurimum mellis affundito. Et donec quidem ſanguis purgetur, & dolores acuti habuerint, & modico tempore intermiſerint, hoc facito. Quum autem ipſi minus prodierit, & dolores debiliores per longius tempus tenuerint, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, ac ſinito. Hæc ſi fecerit, ſana evadet. Sobolis autem ſpes non adeſt.

Quæcumque ulcerationes in uteris fiunt ex abortu, aut alia quadam cauſſa, eas omnes reſpectu ad totum corpus facto curare oportet, quacumque curatione opus habere viſæ fuerint, ſive ex univerſo corpore hominem curandam eſſe putaveris, ſive ex ipſis uteris. Cognoſces autem,

an ab ipſis uteris ſint, hoc modo. Quæ enim ulcerationes ab ipſis uteris ſunt, purgationem exhibent purulentam, & compactam; quæ vero non ab ipſis, tenuem, & ſanioſam. Quum igitur tenues ſunt fluxiones, cum pharmaco eas curare oportet, & dare, quod & ſurſum, & deorſum purget. Primum autem ſurſum. Et ſi quidem poſt pharmaci potionem fluxiones pauciores fiunt, ac faciliores, intermiſſione facta, rurſus eodem modo medicari oportet. Poſt pharmaci vero potionem talem victum præſcribito, ex quo homo ipſa quamſicciſſima fiat. Id autem continget, ſi toti ipſius corpori per tertiam, aut quartam diem fomentum adhibueris, & a fomentis ſtatim vomitus feceris. Poſt vomitus autem, & fomenta, diætam conſtituito ex illuvie, & aquæ potu, & panis cibo, nullo vero obſonio, quam vino nigro meraco. Nullo item olere. Quum vero vomitum præparas, multis, & acribus oleribus opus habes, quibus ipſam impleas, multis etiam cibis, & obſonio quodcumque voluerit. Et ut impleas ipſam multo vino aquoſo, & ut a fomentis ipſam laves multa calida. Atque hæc quidem curatio eſt hujuſmodi fluxionum. Melius tamen eſt, ut utraſque pharmacis cures, & vomitum procures, & ſurſum trahas. Diæta vero ſiccatoria melior eſt, & illuvies.

Cæterum uteros hoc modo curare oportet; primum quidem fovere ſambuci foliis in aqua coctis. Deinde poſt fomentum ſmegmate ex vini fece colluere. Et ſi quidem putredo in ulceribus fuerit, & quæ exeunt graveolentia, ſmegmate meraciore. Si vero nihil tale, aquoſiore, poſt fecem autem cum aqua, in qua cocta eſt myrtus, & ſalvia. Poſtea vero cum vino colluere meraco, albo, tepido. Quum autem mordetur

jam a collutionibus, tunc jam pura ſunt ulcera, colluere igitur oportet fece aquoſiore, & vino nigro, poſt vinum vero adipem ſuillum recentem liquato, & pinguedinem anſeris ſi affuerit; ſin minus, aliam, maxime gallinaceam, aut ex volucrium gente. Si vero neque hæc adſit, oleum vetus ex olivis admiſceto, atque hoc tepido colluito poſt vinum, per alium clyſterem in os uteri infuſo. Et ſi fuerit ulceratum, linamenta ex mollitoriis facta, apponito. Et ſi hæc ſubdita ardorem induxerint, his ademptis mulierem aqua tepida lavari jubeto, tali quali colluebatur.

Si vero ad hanc diætam fluxiones non diſcedant, pauciores tamen fiant, & vehementer mordeant, & ea, quæ effluunt, bilis fuerint, ac falſugo, & non ſolum internas partes, ſed etiam externas exulcerent, diætam tranſmutare oportet, & totam humectare, quo fluxiones quamaquoſiſſimæ fiant, & minime mordaces, balneis multis calidis, maza, oleribus coctis omnibus pinguibus, piſcibus cartilagineis, cum cepis, & coriandro, in muria dulci coctis: coquantur autem pingui modo: carnibus coctis omnibus, excepta bubula, & caprina. His enim percoctis cum anetho, & fœniculo, vino mellei coloris, fulvo, aquoſo, uberiore lactis potu cum vino dulci. Reliqua vero de collutionibus juxta relatum modum facito. Atque hæc quidem eſt ejuſmodi fluxionum curatio. Quum vero purulenta, & compacta exierint, harum quidem totum corpus non movere oportet; verum colluere, & per collutiones totam curationem facere. Colluere autem oportet cum iiſdem infuſis, quæ prius dicta ſunt, eodem modo. Conſcribentur tamen etiam aliæ collutiones.

Ulcerum curatio. Cervinum adipem recentem,

ac viridem ſubdito. Omnia vero ſtatim vino ſiræo, ſive ſapa colluere oportet. Optimum autem eſt ceruſſa, ſi ulcera fuerint, & oleo narciſſino. Cibis autem molliſſimis utatur, & non acribus. Si vero ſordida fuerint, & proſerpant, ac proximum locum mordeant, purgato, & novam carnem producito. & carnem ad cicatricem perducito, facile enim reſolvuntur, & maligna fiunt, & frequenter lavato.

Si vero mulier ex abortu vulnus accipiat, aut ex medicamentis ſubdititiis uteros exulceretur; qualia multa ſemper mulieres faciunt, ac medicando excitant; & fetus corruptus fuerit, & mulier non purgetur, ſed uteri inflammati fuerint vehementer, ac concluſi, & purgationem emittere non poterint, niſi primum emittant ſanguinem, qui eſt in fetu. Hæc ſi quidem curetur, brevi ſana evadet, verum ſterilis. Si vero puerperii purgamenta ipſi ſua ſponte eruperint, & ulcera ſanata fuerint, etiam ſic ſterilis erit. Si vero purgatio quidem ipſi fiat, ulcera autem non purgentur, periculum eſt ea putredinoſa eſſe. Si vero purgatio prodierit ipſi jam afflictæ, ac extenuatæ, moritur. Quin & ſi in partu uteri valde fuerint exulcerati, fetu non ſecundum naturam exeunte, eadem patientur, quæ patitur ea, quæ ex corruptione fetus uteros ulceratos habet. Et tranſmutationes, ac fines eoſdem morbus habet, ſive ex fetus corruptione, ſive ex partu uteri fuerint ulcerati, & ſi puerperii purgamenta omnia prodierint, minus dolebit, niſi magna ulcera fuerint. Et ſi curetur, brevi ſaneſcit. Oportet autem curam cito adhibere, ſi ulcera in utero fuerint. Nam ut quæ in tenero loco ſunt, cito augeſcunt, & brevi putreſcunt. Curare vero oportet ulcera, velut etiam ea, quæ in reliquo corpore ſunt. Nimirum ut inflammationem ar-

ceas, & repurges, & repleas, & ad cicatricem perducas. Danda eſt autem aqua in potum, vinum minime, cibos item paucos, ac minime multos exhibeto.

Quicumque abortus facti diſcedere non poſſunt, dum aut toti, aut partes fetuum ſunt majores, aut minores, & obliqui, ac impotentes, tales ſi quidem ſecundum naturam ſiti fuerint, pharmaco aliquo dato ex his, quæ ego referam, expellito, ubi multa calida prælaveris. Et ſi prodire volentes, non facile exeant, quum ſiti ſint ſecundum naturam, talibus ſternutatorium admoveto. Apprehendito autem naſum, & os comprimito, ac ſic ſternutet, quo ſternutatio quammaxime efficax ſit. Utatur item concuſſionibus. Sic autem concuſſionem facito. Lectum altum robuſtum, ac inſtratum ſumito, & mulierem ſupinam reclinato; pectus vero, & axillas, ac manus faſcia, aut molli lato loro ad lectum alligato, ac cingito, & crura incurvato, & malleolis apprehenſam detineto. Quum autem ſic diſpoſueris, ſarmentorum mollium faſcem, aut aliquid huic ſimile parato, tantum quantum ſufficit, ut lectum non negligat excipiendo ipſum, dum in terram projicitur, quo non pedibus juxta caput terram contingat. Poſtea vero ipſam manibus lectum apprehendere jubeto, & lectum ad caput ſublimem habere, ut declivis ſit in pedes, animadverſione habita, ne prona ſit ipſa. Ubi vero hæc facta fuerint, & lectus ſublimis fuerit, retro ſarmenta ſupponito, maxime autem dirigito, quo pedes terram non contingant, dum lectus projicitur, & ut ſint intra ſarmenta. Elevent autem duo viri ex utroque pede hinc atque illinc, quo in directum lectus cadat plane, ac æqualiter, & convulſio ne fiat. Concutiendum

eſt autem maxime una cum partus dolore. Et ſi quidem diſcedant, ſtatim quieſcendum; ſin minus, interſtitio facto rurſus concutito, & in lecto geſtatam attollito, ac agitato. Atque hæc quidem ſic facienda ſunt, ubi recte, & ſecundum naturam diſcedant. Oportet autem cerato liquido præillinere, quod in omnibus hujuſmodi circa uterum affectionibus optimum eſt, & malvæ aquam affundere, & fœnigræci, aut potius ptiſanæ triticeæ ſuccum. Oportet autem uſque ad inguina, ſedem, & pudendum fovere, & inſidere, ubi partus dolores maxime infeſtarint, & nihil aliud mente verſare, eam vero, quæ medicatur, oſcula mollibus aperire oportet, & leniter hoc facere. Umbilicum vero una cum fetu attrahere.

Quicumque vero fetus duplicati complicantur, & in oſculo uterorum incumbunt, eos, ſive vivi fuerint, ſive mortui, rurſus retro protruſos vertere oportet, quo ſecundum naturam in caput exeant. Quum autem retrudere voles, aut vertere, ſupinæ ipſi feminæ reclinatæ molle quiddam ſub coxas ſubſternere oportet, & ſub lecti pedes, quo altiores ſint hi a pedibus, ſemper aliquid ſupponere. Sed & coxæ altiores capite ſint, & ut nullum cervical ſub capite ſit, provideto. Quum vero retruſus fuerit fetus, & hinc atque illinc obvolvitur, ut ſecundum naturam conſtituatur, & quicquid ſub lecti pedes ſuppoſuiſti, ac lapides, & quicquid ſub coxas ſubdidiſti, ſubtrahito. Capiti vero pulvinar ſubjicito. Atque talia hoc modo curato.

Quicumque vero fetus vivi manum, aut crus foras præmittunt, aut etiam ambo, eos oportet quamcelerrime, ubi exitum ſignificarint, prædicto modo intra retrudere, & in caput vertere, & ad viam reducere. Et quicumque fetus com-

plicantur, ad lateris mollitudinem, aut coxam in partu collapsi, eos dirigere, ac vertere oportet, & mulierem in aquam calidam desidere facere, donec refocilletur.

Quicumque vero fetus mortui aut crus, aut manum foras protendunt, eos optimum quidem fuerit, si id fieri posset, intro retrudere, & ambas has partes in caput vertere. Si vero hoc fieri non poterit, verum intumescit, secare hoc modo. Dissectum per scalpellum caput cum contusorio instrumento, ut ne in ramenta findatur, contundito, & ossa per ossium volsellam, aut tractorium instrumentum juxta claviculam immissum, prout habuerint, extrahito, non multis simul, sed paulatim exemptis, ac rursus ablatis. Quum vero hæc foras extraxeris, & in ipsis humeris fueris, ambas manus in articulis cum ipsis humeris secato. Et ubi hæc extraxeris, si quidem fieri poterit, ut exeant, etiam reliqua facile extrahito. Si vero non obediant, totum pectus usque ad jugulum findito. Verum caveto, ne in ventrem seces, & aliquid de intestino denudes. Exit enim venter, & intestina, & stercus. Si vero horum quid excidat, majoris negotii jam res fit. Contundito autem costas, & scapulas contrahito. Et facile postea reliquum fetus procedet, nisi jam ventrem tumidum habuerit. Si enim tale quid fuerit, melius est ventrem fetus leviter perforare. Flatus enim solum a ventre exit, & sic facile prodibit. Si vero exciderit manus, aut crus, immortui fetus, si quidem fieri poterit, ambas partes retrudito, & fetum rite dirigito. Hoc enim optimum fuerit. Si vero fieri non poterit, ut hoc facias, quicquid sane foris fuerit, quantum potes penitissime resecato, & reliquum profunditate intus explorata protrudito, & fetum in caput

vertito. Quum autem vertere, ac secare puerum voles, ungues de manibus tuis resecato. Scalpellum vero, quo dissecas, incurvum potius sit, quam rectum, & hujus caput occultato per indicem digitum, eodemque interna explorato, ac deducito, ita ut caveas, ne uterum contingas.

Cæterum molæ conceptus hæc caussa est. Quum multi menses modicum, & morbosum semen conceperint, neque conceptus rectus fit, & venter plenus est velut prægnantis. Nihil autem in ventre movetur, neque lac in mammis generatur. Mammæ autem turgidæ sunt. Hæc igitur ad duos annos, sæpe etiam tres sic habet, & si quidem una caro fiat, mulier perit. Neque enim fieri potest, ut superstes maneat. Si vero plures, erumpit ipsi per pudendum sanguis carnosus plurimus, & si hoc moderate fiat, servatur. Sin minus, a fluxu correpta perit, & morbus quidem talis est. Judicare vero oportet ex plenitudinis mole, & quod in ventre non movetur. Nam mas trimestris, femina quadrimestris motum habet. Postquam igitur tempore hoc prætergresso, non movetur, nimirùm hic morbus est, est autem hoc magnum signum, quod lac in mammis non generatur. Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione. Et primum quidem totum corpus foveto. Deinde per sedem clysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat. Fortassis enim quod compactum est, commoveris, id quod fetus esse putatur, muliere a pharmaco concalefacta. Sed & uteros colluito, quo sanguinem educas. Sin minus, subdititiis utatur fortissimis e bupresti. Et dictamnum creticum in vino bibat; sin minus, castoris testem. Et retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinem affigito, & plurimum sanguinem detrahito. Atque hoc maxime,

rerum, ac virium ipſarum conjectura facta, facito. Et hactenus quidem dictum eſt de morbis a puerperii purgamentis fientibus. Sunt autem pericula in ipſis non parva. Acuti enim ſunt, & cito tranſmutantur, & magis affliguntur primiparæ, quam quæ ſunt partuum expertæ.

Prodeunt autem puerperii purgamenta ſanæ mulieri ſufficienter, primum ſeſquiheminæ menſura, aut paulo plura. Poſtea adhuc pauciora juxta hanc rationem, donec ceſſent. Prodeunt autem velut ſanguis a victima, ſi ſana, velut dixi, mulier fuerit, & ſana futura eſt, & cito congelantur, ac purgantur, & poſt partum plerumque ſanæ mulieri contingit, ut poſt puellæ partum in quadraginta duobus diebus diuturniſſima purgatio fiat. Extra periculum autem eſt, etiam ſi vigintiquinque diebus purgetur. Poſt maſculi vero partum purgatio diuturnior fit in triginta diebus, extra periculum eſt etiam, quæ in viginti diebus contingit, & in his, quæ fetus corruperunt, ſecundum horum dierum rationem purgatio contingit, & in junioribus, quæ corruperunt, paucioribus diebus. In ſenioribus autem, pluribus. Eædem vero ſunt affectiones ex puerperii purgamentis & ei, quæ corrupit fetum, & ei, quæ peperit, ſi menſtruum corruperit fetum, & quæ corruperunt, magis periclitantur. Corruptiones enim (abortus) graviores ſunt, quam partus. Non enim fieri poteſt, ut citra violentiam fetus corrumpatur; aut pharmaco, aut potu, aut cibo, aut ſubdititiis medicamentis, aut aliqua alia re. Violentia vero malum eſt. In hujuſmodi enim periculum eſt, ne uteri exulcerentur, aut inflammentur. Hoc autem eſt periculoſum.

At vero lac quomodo fiat, dictum eſt a me in natura pueri in partu. Poſtquam autem prægnans

ſuerit mulier, menſes non valde prodeunt, præterquam quibuſdam pauci. Dulciſſimus enim humor ex cibis, ac potibus ad mammas vertitur, ac exſugitur. Et neceſſe eſt etiam reliquum corpus magis evacuari, & minus ſanguine plenum fieri. Atque hoc ita contingit. Sunt autem, quæ natura ſine lacte ſunt, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ vero natura ſolidæ ſunt, & denſæ carnis, & propterea ſufficiens humor non penetrat a ventre in mammas, quum via ſit denſa.

Ad menſes detrahendos. Elaterii potiones duas ſumito, & adipem ovillum de renibus pari elaterii portione admiſceto, & non conterito, verum duas glandulas ſubdititias facito. Aut melanthium ex tritico terito, & aqua ſubigito, & duas glandulas formato, atque has ante dies, quibus affuturi ſunt, apponito. Si enim non prodeunt, rigores, ac febres inducunt. Mollitoria, a quibus aqua, & arena purgatur, ducunt etiam menſes, ſi non fuerint diuturni, & oſculum emolliunt. Narciſſum, myrrham, cuminum, thus, abſinthium, cyperum, ſingula æqualibus portionibus ſumito, narciſſi vero ſolum quatuor portiones, & pulvillum ſtupæ, dum pectinatur, crudum linum admiſceto, & hæc cum aqua origani cocti terito, ac glandem formato, & ſubdito. Aut cyclaminum magnitudine tali, & æris florem magnitudine fabæ terito, & cum melle glandem formato, ac apponito. Aut pulegium, myrrham, thus, fel ſuis, ac bovis cum melle ſubigito, & glandem efformato. Si menſes non prodeant, adipem anſeris, & netopum, ac reſinam permixta, ac lana excepta apponito.

Medicamentum ſubdititium, purgatorium, mollitorium. Caricam percoctam, ac expreſſam leviſſime terito, & in lana ſubdito cum roſaceo unguen-

to. Aut acris braſſicæ, & rutæ, utriuſque dimidium terito, ac utitor eodem modo.

Purgatorium. Medullam anſeris, aut cervi magnitudine fabæ affuſo unguento roſaceo, & lacte muliebri terito, velut pharmacum teri ſolet, & cum hoc os uteri illinito.

Aliud ſubdititium molle. Medullam anſeris magnitudine nucis, ceram magnitudine fabæ, reſinæ lentiſcinæ, aut terebinthinæ magnitudinem fabæ. Hæc cum roſaceo unguento ad lentum ignem liquefacito, & velut ceratum efficito, deinde ex hoc tepido os uteri illinito, & pectinem irrigato.

Aliud purgatorium. Farinam recentem, myrrhæ obol. iij. croci tantumdem, caſtorii obolum, hæc trita cum unguento irino apponat. Aut urticæ ſemen, & malvæ ſuccum, ac anſeris adipem ſimul permixta ſubdat.

Aliud ſubdititium purgatorium, ſi menſes non compareant. Styracem, & origanum terito, & permixtis adipem anſerinum affundito, ac apponito.

Aliud, quod uteros expurgat, ac ſanguinem evacuat. Abſinthii radicem tritam, melle, ac adipe anſerino admixtis, apponito.

Aliud purgatorium. De bupreſti caput & pedes, & alas tollito, & reliquum ipſius terito, ac ficus internam partem admiſceto. Sit autem pinguitudinis ficus portio dupla. Hoc uteros inflat. Hoc etiam deſperatis optimum eſt. Aut mercurialis folia trita ſubdito. Hoc tenuem bilioſam purgationem ducit. Sed & artemiſia facit velut mercurialis, & melius purgat. Veratrum quoque nigrum cum aqua tritum, velut aquam a carnibus ducit. Sed & alumen, ac reſina idem facit. Cyperum, abſinthium, ariſtolochiam, cuminum, ſalem, mel. Hæc omnia ſimul terito, ac apponito. Et veratrum cum vino dulci, & farina lolii,

lii, ac tritici, melle ſubacta in lana ſubdatur.
Subdititia, ſi catapotia non purgarint. Mercurialem, myrrham, violam albam, cepam acerrimam, & melanthium, ac mentham, ſi ſufferat, permixta apponito. Subdititia acria ſanguinem ducentia. Cantharidas quinque demptis pedibus, ac capitibus, & myrrham, ac thus ſimul miſceto, & mel addito. Deinde in oleum roſaceum, aut Ægyptium tinctum per diem ſubdat, & ubi mordet, tollat, & rurſum in lac muliebre, ac unguentum Ægyptium tingat, & hoc per noctem apponat, & aqua odorata perluat, & adipem ſubdat. Conduxerit & bupreſtis, ſi quidem parva fuerit, ſine alis, & pedibus, ac capite. Si vero magna fuerit, non commiſceto eadem, quæ cantharidibus, ſed ſolam ſumito, ac ſimiliter apponito. Si vero molliore opus habuerit, ad bupreſtim vinum, & cuminum Æthiopicum admiſceto, uvam item paſſam, & pollinem ſeſelis, ac aniſi, & vinum ferveſacito, eoque affuſo reliqua, & paſtillos drachmales efformato, eoſque apponito, myrrha, ac thure admixtis. Facito autem eodem modo velut cum cantharidibus. Aut melanthium ex tritico, tritum, ac melle ſubactum apponito. Aut hoc ipſum melanthium cum melle tritum velut glandem efficito, circum pennam autem obducito. Subdititium efficax. Succum mandragoræ, & cucurbitæ ſylveſtris cum lacte muliebri apponito. Aut fecem ſiccam ex vino veteri albo urito, & vino exſtinguito, ac ſubdito. Cucurbitam item ſylveſtrem, mercurialem, nitrum, & irionem. Citius detrahit & mandragoræ radix, cantharis, ſerpyllum, lauri fructus, unguentum irinum, laurinum. Tithymali ſuccum permiſceto, ac agitato, & detracto viſco, ervi magnitudine

exhibeto. Optimum eſt & glandem ſubdititiam ex eo facere. Si vero amplius prodierit, vino proluatur. Aut æs uſtum diſſolvito, & tepidum lana excipito, ac apponito.

Medicamentum ad conceptum. Cedriæ acetabulum, adipis bubuli drach. iiij. ſimul terito, & talorum figuras efformato, quas jejuna apponat, & dum appoſitas habet, per diem jejunet. Apponat autem bis, mane, & veſperi, poſt menſes, poſt cœnam vero lavetur, & cum viro dormiat. Aut melanthium contundito, & in linteum illigato, & adipe anſerino addito, ſubdendum dato.

Aliud ad conceptum. Quo cures mulierem, ut in ventre concipiat, urinam ſumito veterem, & ferri recrementum tantum, ut in fragmenta reſolvere poſſis, poſtea mulierem in ſella collocato, & corpore, & capite velato, pelvique ad pedes ſuppoſita, ignita recrementi ferri fragmenta tria pro una vice injicito. Sit autem vetus hæc urina congii menſura, & cum his triginta fomentis ipſam foveto. Dum autem fomentum adhibes, caput lavato, ita ut donec fota fuerit, rurſus lapides illos recrementi ferri in urina exſtinguas, & fomentum rurſus calefacias. Poſtea vero caput lavato plurimum, polio, & viticis foliis quamplurimis in aqua coctis. Hæc autem facito ad dies ſeptem. Ter vero per ſingula hæc fomenta ſuffito, antequam laves. A balneo vero oleo laurino inungatur, poſt cœnam autem, ubi cepas melle tinctas comedit, & aquam mulſam tepidam quatuor heminarum menſura bibit, & paululum continuit, vomat, & ſupina reclinata, rutam habeat auribus, & naribus inditam. Et panem fermentatum ſexta chœnicis parte, in juſculum volucris confringat, habet autem hoc juſculum apii chemam, & ſic aſſumat, & rurſus tantumdem in

cœna dato. Et hoc per dies ſeptem facito. Poſtea vero ventri per dies ſeptem clyſterem adhibeto. Sit autem infuſum clyſteris, reſinæ drachmæ quatuor, mellis acetabulum, olei platæenſium tantumdem, furfurum recentium ſuccus, ſpuma nitri, ova tenuia. Sit autem infuſum heminæ octo, & ex his tres ſucci ptiſanæ. Obliquæ vero clyſterem adhibeto, & parum lavato. Apponat etiam glandes ſeptem in die, & detineat, donec fuerint liquefactæ. Sint autem ex thure, nitro, galbano, melle cocto. Cibo vero eodem utatur. Suffito autem aſini albi pilos, & lupi ſtercus. De his plurimum prunis injice, ipſamque circumlocatam, ac contectam ſuffito, cavendo, ne comburas.

Si vero mulier parere nequeat, quæ prius peperit, nitrum, & reſinam, & myrrham, & cuminum Æthiopicum, & unguentum ſimul terat, & apponat. Aut pulegium ſiccum in linteo ſubdat. Bibat autem pulegium, ubi dormire volet.

Aliud ad conceptum. Victus rationem mulieri conſtituere oportet, quæ prægnans fieri cupit, & ad edendum, ac bibendum exhibere ipſi, quæ libenter admittit. Viro autem mulieris reliqua dato, præter allium, & cepam, & legumina freſa cocta, & ſilphii ſuccum, & quæ inflant. Ab his ſane abſtineat. Medicamentum, quod ſimiliter infunditur, ſi non concipiat. Lac mulieris maſculum alentis, grana mali punici recentis terito, ac ſuccum exprimito, & teſtudinis marinæ partem inter anum, & pudendum comburito, ac terito, & hæc in pudendum muliebre infundito. Aliud, quod ſimiliter infunditur non concipienti. Lac, & reſinam, & mali punici dulcis ſuccum. Hæc omnia melle admixto infundito. Aliud ad conceptum. Bulbi albi ſemen, aut florem cum melle terito, & lanæ involutum per triduum ad ute-

rum apponat. Quarta vero die malvam ſylveſtrem latifoliam terat, lacte muliebri admixto, & lanæ involutam apponat, deinde cum viro dormiat, præſorbeat autem pulegium in farina coctum, & bibat pulegium tenue in vino. Si vero huic non obediat, conyzam odoratam contundat, & expreſſum ſuccum vino mixtum jejuna bibat. Aliud. Aſparagi ſemen ſimiliter in vino bibat. Aliud. Secundam mulieris, & vermium carnium capita, & alumen Ægyptium cum adipe anſerino diluito, & in lana ad os uteri apponat. Aliud. Æruginem, florem æris, utrumque oboli dimidii pondere, thuris maſculi, aluminis ſciſſi, fructus vitis ſylveſtris, gallæ, myrrhæ, malicorii, reſinæ, polii, ſingulorum obolum, in melle tritum, per triduum bis in die apponat. Si vero fortaſſis acrius fuerit, anſeris adipem, ac nitrum toſtum admiſceto. Vinum autem exhibeto, fortitudinem in ipſo vitans.

Aliud ad conceptum. Vermem carnium, qui caudam habet, accipito, & de ipſo tres, aut quatuor partes ſumito, & origanum tenuem ſimul cum roſaceo unguento terito, & hoc ad uteri os apponat. Aliud. Portulacam cum adipe anſerino, & myrrha, & porri ſemine, & felle bubulo terito, & lanæ involuta ad os uteri apponito.

Si menſes quidem fiant multi, non concipit autem, floris æris obolos duos, & aluminis ſciſſi tantumdem cum melle terito, & lana excipito. Illiget autem mulier lanam in linteum cum filo, & ſibi ipſi ſubdat, ita ut filum extra promineat. Deinde quum probe purgata fuerit, extrahat, & vino odorato myrti foliis injectis fervefacto proluat, & virum accedat.

Subdititium ad conceptum. Mel, myrrham, myricæ fructum, reſinam liquidam, adipem an-

ſerinum, omnia ſimul trita lanæ involuta apponat.

Aliud, quod uterum valde aperire poteſt, quum concluſus eſt, & concipere non poteſt, & ad aquam expurgandam. Accipe anchuſam parvam, & lentiſcum, & cuminum, & cyperum, & cucurbitam ſylveſtrem, & nitrum rubrum, & ſal Ægyptium, & anchuſam magnam. Hæc omnia trita per linteum rarum excernito, & acceptum mel ad lentum ignem coquito. Poſtquam vero efferbuit, ceram, ac reſinam admiſceto. Deinde etiam aliis omnibus admixtis oleum affundito, ac ab igne tollito, & tepida lanæ convolutæ involuta utero apponito, donec purgata fuerit. Aliud. Si mulierem concipere velis, ad purgatoria quibus utitor, etiam virum accedere oportet. Et baccas lauri nigras decem, thuris pugillos tres, & cumini modicum, cum melle trita in lanam ſuccidam involvat, & ſemel in die ſubdat, & ſemel auferat, ad quatuor dies, & iiſdem diebus a cibo abſtineat.

Conceptum impediens. Si vero concipere non oporteat, miſyos magnitudinem fabæ aqua diluito, ac bibendam dato, & per annum, ut ita dicam, non concipiet.

Partum accelerans ægre parienti. Lauri radicem deraſam, aut lauri baccas dimidii acetabuli menſura in aqua calefacta bibendas dato. Aliud partum accelerans. Dictamni obolos duos tritos in aqua calida bibat. Aut abrotoni drachmam, & lauri baccas, & aniſum in vini dulcis veteris cyatho terito, & aquæ cyatho affuſo bibendum dato. Hoc bonum eſt, ſi ante partus dolores fuerit datum. Aut dictamni obolum, myrrhæ obolum, aniſi obolos duos, nitri obolum. Hæc cum vini dulcis cyatho uno terito, & aquæ calidæ cyathis duobus affuſis bibenda dato. Dein-

de calida lavato. Aliud partum accelerans. Resinam terebinthinam, mel, oleum duplum horum, vinum odoratum quamsuavissimum. Hæc mixta tepefacta sæpe ebibenda dato. Oportet autem & uteros sedare, si fuerint inflammati.

Aliud. Cucumeris sylvestris quicumque albus fuerit semen ceræ, infarcito, deinde lanæ rubræ involutum, lumbis alligato. Si vero prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non possit, sed diebus pluribus ex partus doloribus laboret; sit autem juvenis, in vigore, & multo sanguine referta; secare oportet venas in malleolis, & sanguinem detrahere, virium respectu habito, & postea calida, lauri corticibus incoctis, lavato. Viticis autem semen, & dictamnum creticam, utrumque pari portione in vino albo, aut aqua bibendum dato. Subdititium autem medicamentum facito, galbano, & baccis lauri, & oleo rosaceo in lana involutis, ac subditis.

Aliud. Filicis quercinæ radicem tritam in vino bibendam dato, & adiantum tritum in oleo dilutum illinendum, & in vino meraco bibendum dato.

Aliud, quod puerperæ puerperii purgamenta melius purgat. Testudinis marinæ hepar viride adhuc viventis, in lacte muliebri terito, & cum unguento irino, ac vino subigito, & apponito. Aut mercurialem tritam in lana apponito. Aut artemisiam tritam similiter in lana subdito. Aut mercurialis, & cucumeris sylvestris parum terito, & vino, ac melle subactum apponito. Purgatorium puerperii purgamentorum ex partu. Triticum trimestre fractum, ac fresum, dimidium chœnicis mensura in aquæ heminis quatuor coquito. Quum autem efferbuerit ter, aut quater, sorbendum dato.

Aliud. Sambuci folia in aqua coquito, & aquam bibendam dato. Edat autem & brassicas coctas, & porrum, & fœniculum, & anethum, & polypos, & locustas pisciculos. Aut rhois folia, & erysimum ex vino, aut polentæ pollinem bibendum dato. Aut misy duorum obolorum pondere tritum, ac vino subactum apponito.

Purgatorium mensium, & puerperii purgamentorum. Ducit etiam aquam, & alia. Radicis struthii tusi triti, quantum tribus digitis apprehendi potest, melle subactum apponito. Nascitur autem in Andro in littoribus.

Aliud similiter purgans. Erysimum in aqua coquito, & ubi ebulliit, oleum affundito, ac bibendum dato. Commodum est etiam succum pro fomento adhibere per suffitum, & cibis mollibus uti.

Aliud, quod puerperii purgamenta purgat. Erysimum placide terito, & corticem difflato. Quum autem purum feceris, leviter terito, & aquam adstillato, salemque, ac oleum admisceto, & ubi polentam insperseris, coquito, ac sorbendum dato.

Aliud. Si non descenderit purgatio, aut puerperii purgamenta non prodierint, cucumeris sylvestris internam partem trium obolorum pondere sume, & artemisiam herbam, & thus oboli pondere, & hæc trita, & melle admixto, lanæ involuta, ad uteri os appone. Et hoc semper noctu, ac interdiu per dies quinque facito. Aut vitis pampinis, aut folia viridia terito, & melle admixto, lana excipito, & eodem modo subdito. Aut cupressi fructum, & thus simul trita, rosaceoque, ac melle diluta, & lana excepta, apponat. Aut abrotoni drachmam, & cucumeris sylvestris medullæ obolum, & thus cum melle terito, & in la-

na involuta apponito. Aut elaterii obolum, & myrrham cum melle terito, & lana excepta, apponat. Aut cupressi fructum, & cucumeris sylvestris internam partem, & thus, melle admixto, in lana subdat.

Purgatorium, si ex partu non purgetur. Trifolium in vino bibendum dato. Idem etiam appositum menses erumpere facit, & fetum ejicit. Purgatorium uterorum, quum puero mortuo, sanguis in hoc manserit. Cucurbitam sylvestrem tritam cum melle delingat, aut apponat. Ad omnia puerperii purgamenta, si non probe prodeant. Erysimum coquito cum polenta, & oleo affuso, ubi coctum fuerit, sorbeat, & cibis mollissimis utatur. Aut scammoniam cum lacte muliebri tritam, ac lana exceptam apponito. Aut radicem dulcem, melle, & rosaceo, aut Ægyptio unguento subactam, in lana subdat. Aut farinam lotam similiter apponat. Bibat autem crethmi, & seselis, & rutæ, & silphii semen, ita ut de singulis obolos duos simul teras, & in vino meraco, si non febricitarit, præbeas.

Subdititium, quod secundam relictam ejicit. Ex sambuci foliorum decocto prius fomentum adhibeto, & id, quod ex cantharide fit, apponito. Hoc & ea, quæ debilia sunt, sanat. Si vero lancinet, ac mordeat, statim tollito, & lanam rosaceo tinctam subdat.

SECTIO IV.

Potiones, quæ secundam educere possunt, & menses detrahere, itemque fetum enectum. Cantharidas quinque alis, & cruribus, ac capite avulsis, & tribulum ad mare natum cum radice,

ac foliis tritum conchæ menſura, & evanthemi, ac ſeminis apii tantumdem, & ſepiæ ova quindecim in vino dulci temperato bibenda dato. Et ubi dolor habuerit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat, & vinum dulce.

Alia. Ranunculi foliorum, ac floris triti, ſtateris Æginæi pondus, in vino dulci bibat. Si vero dolor habuerit, cicer album, & uvas paſſas in aqua coquito, perfrigerato, ac bibendum dato, & ubi urinæ ſtillicidium vexarit, in aqua tepida deſideat.

Aliud, quod ejicit ſecundas. Cucumeris ſylveſtris ſuccum in mazam conſperſum apponat, ubi prius ad biduum jejunarit. Hoc nullum aliud præſtantius inveneris.

Fecunditatis experimentum. Caput allii integrum deraſum appone, & vide, an per os oleat.

Aliud experimentum. Netopon modicum lana involutum apponito, ac videto, an per os oleat.

Alia ſubdititia. Scorpii marini fel, lana exceptum, & in umbra ſiccatum appone. Aut pulegium ſiccatum, & tritum, ac melle ſubactum, in lana apponito. Aut florem æris cum melle linteolo illigatum ſubdito. Aut cucumeris ſylveſtris ſemen, & teſtam combuſtam cum vino ſubigito, & leporinis pilis, ac lana excepta, ſubdito.

Aliud ſubdititium. Alumen Ægyptium lanæ involutum apponito. Aut cantharidas tritas, vinoque ſubactas ſubdito. Aut artemiſiam herbam vino ſubactam apponito. Aut melanthium cum vino tritum in lana ſubdito. Aut bulbion ex tritico tritum, & vino ſubactum apponito. Aut vini veteris albi fecem comburito, & vino albo exſtinguito, teritoque, ac in linteo apponito. Aut galbanum, & netopon, & miſy cum roſaceo unguento in linteo ſubdito.

Aliud. Elaterii potiones duas, & favum cum vino in linteo apponito. Aut butyrum, & alumen melle fubacta fimiliter. Aut fcammoniæ fuccum, & adipem cum maza mifceto, & vino imbuta in linteo apponito.

Potiones, quæ poffunt fecundam in utero detentam educere. Colocynthidis fylveftris internam partem cum lacte muliebri tritam, in linteo apponat. Ad idem. Silphium magnitudine fabæ in vino bibendum dato.

Aliud, quod fetum expellit. Mulierem fub alis apprehenfam fortiter concutito. In potu vero dato viticis folia in vino. Aut dictamnum creticum oboli pondere in aqua terito, ac exhibeto. Aut conyzæ graveolentis manus plenæ menfuram cum porri fucco diluito, & netopum chemæ plenæ menfuram addito, atque hæc trita in vino bibenda dato. Aut tædam pinguiffimam cum vino dulci coquito, trium cyathorum menfura vini affufa, & galbani obolos tres, & myrrham adjicito, & ubi cocta craffa facta fuerint, tepida bibenda dato. Aut porri fuccum, & myrrham, & vinum dulce fimul exhibeto. Aut portulacæ femen terito, & in vino albo veteri dato. Aut populi nigræ creticæ grana novem in vino trita bibat. Aut ranunculi herbæ foliorum, ac floris triti, drachmæ Ægineæ pondus, in vino dulci bibat. Si vero adhuc fecunda intus detineatur; fenectæ anguium obolum in vino terito, ac bibendum dato. Aut apii radicem, & myrti baccas coquat, & per dies quatuor bibat. Aut cuminum Æthiopicum, & caftorii obolum, & cantharidis parum, hæc in vino bibenda dato. Aut fœniculi radicem in vino, & oleo, ac melle fervefactam bibat. Si fecunda non prodierit, conyzam tritam in lana fubdito. Melius autem eft, ut bibat. Aut conyzæ

quantum manus capit, & porri ſuccum, & netopum chemæ menſura miſceat, & hæc in vino bibat.

Aliud, quod ſecundam ejicit. Holoconitidis dulcis radicem, eſt autem velut bulbus, & parva velut oliva. Hanc in vino terito, ac bibendam dato. Et ſi quidem parva fuerit, duas dato. Si vero major, una ſufficit. Admiſceto autem ex ſeminibus cuminum Æthiopicum, & ſeſeli maſſilienſe. Aut ſilphii libyci ſemen ſiccum chœnicis dimidiæ menſura, in vini heminis tribus coquat, & ad dimidias redigat, & de hoc bibat.

Aliud. Viticis ſemen, & ſeſelis pari portione ſimul cum myrrha terito, & cum aqua bibenda dato.

Alia ſecundas expellentia. Viticis albæ recentis acetabulum, in vino albo odorato tritum, bibendum dato.

Aliud. Caſtorii, aut ſagapeni obolum, bituminis drach. i. nitri drach. ij. hæc omnia terito, & in vino dulci, ac olei hemina dimidia obolos duos jejunæ bibendos dato. Et calida probe lavato.

Aliud ſimiliter habens. Erinaceos marinos tres totos tenuiter tritos, in vino odorato bibendos dato.

Aliud. Menthæ faſciculum parvum, & rutæ, & coriandri, & cedri, aut cupreſſi ſemen in vino odorato bibendum dato. Et de erinaceis ſi habuerit, plurimum ſorbeat; poſtea vero ſimiliter calida lavato.

Aliud. Aniſum, cedri baccas, ſemen apii, cuminum Æthiopicum, ſeſeli, ſingulorum dimidium acetabulum, tenuiter tritum, ex vino albo bibendum dato.

Aliud. Dictamni faſciculum, & dauci ſeminis

drach. ij. & melanthii tantumdem tenuiter terito; & in vino albo bibenda exhibeto. Et multa calida lavato. Dato autem juxta corporis robur.

Aliud. Galbanum olivæ magnitudine, in oleo cedrino tritum apponat: hoc corrumpere, & ejicere morantes ſecundas poteſt.

Aliud ſecundarum expulſorium, quod uteris infunditur. Quum ſecunda a frigore mortificata computruerit, ubi ventus frigidus fuerit, crocum leviter tritum drachmæ pondere, cum adipe anſerino infundito, & ad plurimum tempus ſinito. Potus ad idem probe conferens. Conyzam ſuave olentem, & mel, & reſinam terito, inque vino odorato, aut in ſyrmæa potione moderate purgante bibenda dato, & calida lavato.

Alius ſimilis potus ad puerum, & mala intus exiſtentia. Æruginem tritam cum melle, & ſyrmæa potione bibendam dato.

Aliud ſubdititium ad ejiciendum fetum immortuum. Æris ramenta in molle linteum indita, ad os uteri apponito, & profueris.

Aliud. Teſtam recentem, & adipem anſerinum terat, ac apponat.

Aliud. Nitrum cum reſina coctum, & in glandem efformatum, gallinaceo adipe tinctum appone.

Aliud. Charien appellatur herba, hujus radicem non multo adeo tempore ad umbilicum apponito.

Aliud. Cucurbitam ſylveſtrem, & murium ſtercus, leviter trita apponito.

Aliud, quod alligatur. Reſinam, & adipem gallinaceum, trita, ac ſimul mixta, ſuper umbilicum, ac ventrem deliget.

Aliud ſubdititium. Hederæ albæ ſemen, & cedri ramenta terat, & glandes hinc factas ſubdat.

Aliud. Teſtudinis marinæ cerebrum, & crocum Ægyptium, & ſalem Ægyptium terito, miſceto, glandes formato, ac ſubdito.

Suffimentum expulſorium, quod & ſanguinem ventris expellere poteſt. Salicis folia in ignem poſita ſuffito, & mulierem circumlocatam ſinito, donec fumus in uterum intraverit.

Abortus ſanatio. Quum mulier abortum fecerit, & puer non fuerit egreſſus, ſive putrefactus fuerit, & intumuerit, aut aliud quid ejuſmodi paſſus fuerit; porri, & apii ſuccum per linteum expreſſum, de utriſque colligito, & olei roſacei heminam, & adipis anſerini quadrantem adjicito, reſinæque obolos tres in oleo liquefacito, & ubi mulierem ad pedes altiorem feceris, in uteros infundito, ac decumbens ad plurimum tempus contineat, deinde ad dies quatuor deſidere jubeto, & egreditur puer putrefactus. Sin minus, ſalem Ægyptium, & cucurbitam ſylveſtrem viridem accipito, & melle admixto trita edenda dato. Et poſtquam ederit, hinc & hinc moveatur.

Aliud. Salem Ægyptium, & murium ſtercus; & cucurbitam ſylveſtrem ſumito, & mellis ſemicocti quadrantem affundito, & reſinæ drach. i. in mel injicito, & cucurbitam, ac murium ſtercus, omnia probe conterito, & in glandes efformato, eaſque ad uterum ſubdito, quamdiu opportunum eſſe viſum fuerit.

Aliud expulſorium, quod puerum enectum ejicit. Helxinem in vino tritam bibendam dato.

Aliud ejectorium, quod puerum lividum expellit. Veratri nigri radices tenues tritas, quantum tribus digitis apprehendere potes, & myrrham magnitudine fabæ, in vino dulci bibenda præbe.

Aliud expulſorium. Coriandrum cum radice, & netopum apponat, ac deambulet.

Aliud, quod infunditur, ſi mortuus fuerit puer, ut ipſum ejiciat. Crocum terito, & anſerinum adipem affundito, & excolata in uteros infundito, & ad plurimum tempus relinquito.

Ad fetum immobilem corrumpendum, ac expellendum. Aluminis ſciſſi drachmam unam, myrrhæ tantumdem, veratri nigri obolos três, in vino nigro leviter trita, in glandes efformato, & apponito, donec paulatim fuerit exolutus.

Collutiones uteros purgantes, ſi ex partu, aut inflammatione fuerint exulcerati. Groſſos hibernos aqua affuſa fervefacito, & excolato. Deinde oleo tepido affuſo miſce, & duas heminas ad ſummum infunde. Omnes autem collutiones non ampliore, quam hac menſura uteris infundantur. Malicorium item, & mannam thuris in vino nigro auſtero coquito, & excolatum vinum infundito.

Alia collutio. Fecem vini uſtam liquefacito, & cum aqua infundito. Deinde malicorium, myrti baccas, juncum odoratum, lentes in vino coquito, & diffuſum vinum infundito.

Alia. Butyrum, thus, reſinam, mel ſimul liquefacito, & affuſo vino, tepida infundito. Aut ſambuci fructum in aqua coquito, & excolata aqua, apium, myrrham, aniſum, thus ſimul in ipſa terito, & vinum odoratum pari aquæ menſura affundito, excolatoque per linteum, & tepefactum infundito.

Alia. Braſſicam, & mercurialem, & lini ſemen, & linum viride in aqua coquito, excolato, ac infundito. Aut foliorum myrti acetabulum, myrrham, aniſum, mel, reſinam, unguentum Ægyptium, omnia terito, ac unito, affuſiſque vini albi

odoratiſſimi heminis duabus, excolato, tepefacito, infundito. Aut lauri fructum, & pulegium in aqua coquito, & unguentum roſaceum affundito, & cum hoc tepido colluito. Aut anſeris adipem reſinæ admiſceto, affuſoque ad hoc vino, tepefactum infundito.

Alia. Butyrum, & oleum cedrinum in modico melle tepefacito, ac infundito. Aut mel, butyrum, juncum odoratum, calamum odoratum, muſcum marinum ſumito, & in vino coquito, excolato, ac infundito. Aut apii ſemen, ſeſeli, myrrham, aniſum, melanthium in vino coquito, & excolatum vinum infundito. Aut cedrum in vino coquito, & cum vino colluito. Aut hederam in aqua coquito, & aquam infundito. Aut elaterii, aut cneſtri potiones duas in aqua coquito, & duas heminas ex hac tepida infundito. Aut cucumeris ſylveſtris interioris magnitudinem digiti in duabus aquæ heminis coquito, & melle, ac oleo ad aquam affuſo infundito. Aut radicis thapſiæ potiones duas leviter terito, affuſoque oleó, ac melle, in duabus aquæ tepidæ heminis diluito, ac infundito. Aut veratri nigri potiones duas vino dulci, & aqua dilutas, infunde. Aut grana cnidia ſexaginta terito, melleque, ac oleo, & aqua affuſa infundito.

Collutio corroborans, ſi ulcera pura fuerint. Groſſos hibernos terito, & aquam affundito, & per totam diem macerato, & oleo affuſo colluito. Aut malicorium, & loti ramenta in vino nigro coquito, & infundito. Quum autem impura fuerint, & ſordes deferuntur, fecem vini uſtam cum vino, & aqua infundito. Aut malicorium, rhoem coriarium, myrtique, ac rubi folia in vino nigro coquito, ac infundito.

Collutiones, quæ infunduntur ad vetera ulcera. Succo braſſicæ cocto collue. Et mercurialem ſimiliter, ac nitrum rubrum modicum admiſce, & myrrhæ acetabulum, thus, ſeſeli, aniſi, apii ſemen, netopum, reſinam, mel, adipem anſerinum, acetum album, unguentum album Ægyptium. Hæc omnia ſimul trita, & vini albi heminis duabus diluta, tepida infunde. Aut mercurialem in aqua coque, & excola, & myrrhæ acetabulum, thus, ſeſeli, netopum, ſingulorum pares portiones adde, ac tepida infunde. Aut ſalviam, & hypericum in aqua coquito, & cum aqua colluito. Aut ſambuci fructum, & lauri baccas, æquis portionibus, in vino coquito, & cum vino colluito. Aut pulegii aqua colluito. Aut adipem anſeris in reſina liquefacito, & ſimiliter oleum cedrinum modicum affundito, & cum melle liquefacito, ac tepida infundito. Aut argenti florem in vino, & melle, ac cera liquato, & cyperum, & juncum odoratum, ac calamum (quæ ſane etiam in unguentum admiſcentur) & iridem, ac muſcum in vino coquito, & infundito. Aut apii ſemen, aniſum, ſeſeli, myrrham, melanthium in vino coquito, ac infundito. Aut cedrum creticam in vino coquito, aut in aqua, & infundito. Aut hederam creticam in aqua coquito, ac infundito. Atque hæc facienda ſunt, ſi vulnus habet, & myrrham in aqua dilutam infunde. Aut elaterii potiones duas cum aqua infunde. Aut colocynthidas ſylveſtres duas in vino, aut in lacte cocto, quatuor heminarum menſura, macerato, & excolato, ac infundito. Aut cucumeris ſylveſtris interioris, palmi magnitudinem in aquæ heminis quatuor coquito, & melle, ac oleo affuſo colluito. Aut radicis thapſiæ duas potiones, in vino dulci dilutas, cum aquæ heminis duabus

duabus tepide infundito. Aut veratri potiones duas, in vini dulcis heminis duabus dilutas infunde. Aut thlaſpios acetabulum, melle admixto, in aquæ heminis duabus dilue, & tepido utere. Aut cucumeris ſylveſtris magnitudinem palmi, & cneori potionem unam in aquæ heminis quinque coquito, & melle, ac oleo affuſo colluito. Aut grana cnidia ſexaginta, in melle, aut in oleo diluta, cum aqua infundito.

Si ex partu alvi profluvio corripiatur, bibat uvam paſſam nigram, & punici dulcis malicorium, & internum nucleum, & coagulum hœdi. Hæc vino nigro diluta, & caſeo caprino, ac polenta triticea inſperſis, bibenda dato. Triticum autem modice torreto.

Si vero ex partu ſanguinem vomat, huic hepatis fiſtula ſauciata eſt. Hæc ſac aſini bibat, deinde vaccæ nigræ, ad quadraginta dies. Et ſeſamum tritum, donec probe habeat. Bibat autem lac jejuna.

Si ex partu ſedem doleat, juniperi fructum, & apii radicem coquat, & ad dies quatuor bibat, & lactucæ ſemen cum anſerino adipe tritum edat.

Si vero ex partu uteri inflammati fuerint, ſolani ſuccum infundito, aut betæ, aut rhamni.

Si ex partu crus ab uteris claudum factum fuerit, & exſurgere non poterit, ſemen hyoſcyami chemæ menſura, in vino nigro ad triduum bibat. Si vero mente percellatur ipſa bibens, lactis aſinini poculum bibendum dato. Deinde pharmacum, a quo pituita purgatur, ex ſandaracha autem, & cerato, & pilis leporis per triduum ſuffitus fiat.

De inflammatione ex partu. Si ex partu uteri inflammati fuerint, ſolani ſuccum intra pudenda infundito. Aut apii, aut rhamni, aut betæ, aut

cucurbitæ ſuccum expreſſum, aut ſambuci medullam, ac tenerrimam partem deraſam, oblongam indito. Aut abſinthium in aqua terito, & lana exceptum ſubdito. Si vero horruerit, tollito. Aut cotyledonis folia, & porrum in craſſiore tritici farina coquito, & oleo ipſis affuſo præbeto.

Bilem ex utero purgantia. Cucumeris ſylveſtris internam partem tritam, ac melle ſubactam in glandem efformato, ac apponito. Pharmacum autem dare oportet, quod ſurſum, ac deorſum purget, & calida lavare, apponere vero aniſum, aut melanthium, aut colocynthidis ſylveſtris internam partem terito, & melle ſubactam apponito. Aut elaterii potiones quatuor, admixto adipe anſerino, aut caprino, in oblongiorem glandem redactas apponito. Aut nitrum, & cuminum, & allium, & ficum, omnia leviter trita, & melle ſubacta apponito. Calida vero lavetur, & a balneo bibat. Aut thlaſpi leviter tritum, & melle ſubactum apponito. Aut ficus veteris pinguitudinem deraſam elaterii potionibus duabus admixtis, & nitro tantum, quantum eſt elaterium, cum melle ſubigito, ac apponito. Aut peucedani tres cyathos bibendos dato. Et aniſum, ac melanthium vino diluta bibenda dato. Aut elaterii potiones quatuor, adipe ovillo admixto, apponat. Et hoc ablato, aqua odorata lavet, quæ leniter adſtringat. Aut elaterii potiones tres cum ovillo adipe in glandem circum pennam efformato, & ubi amoverit, ſufficienti aqua probe eluatur. Aut thlaſpios potionem cum melle dato.

Collutio, ſi bilioſa fuerit. Elaterii potiones duas aqua dilue, & oleum narciſſinum affunde, & cum tepido collue. Aut colocynthides ſylveſtres duas in lactis aſinini cocti heminis quatuor

macerato, & unam excolato, ac oleum narcissinum admifceto, & infundito.

Alia collutio biliofa, & pituitofa. Cucumeris fylveftris internam partem, palmi magnitudine, in aquæ potabilis heminis quatuor coque, & melle, ac oleo anthino admixto infundito.

Alia pituitam, & bilem purgans. Grana cnidia fexaginta, melle, ac oleo anthino admixto, cum aqua infundito. Aut cneftrum in aquæ potabilis heminis quinque coquito, & duabus excolatis, mel, & oleum anthinum cum narcissino admifceto, ac colluito.

Collutiones purgatoriæ. Groffi hyberni ufti in aqua macerantur, & ad aquam excolatam oleum admifcetur, ac infunditur. Poftea vero collutio fiat ex malicorio, galla, loti ramentis. Hæc autem in vino nigro coquere oportet. Aut fece vini ufta utere cum aqua. Et poftea hæc infundito, myrti folia, & rhoem coriarium. Coquantur autem in vino nigro odorato. Et poftea lentifci folia, & hypericum, & falviam cum vino nigro odorato cocta infundito. Aut cum braffic æ aqua, in qua mercurialis cocta fit, modico nitro adjecto, colluito. Aut elaterii portionem cum oleo narciffino, aut anthino, tepidam infundito. Si vero biliofa fuerit, colocynthidas duas in lactis afinini cocti quatuor heminis macerato, & cum excolato colluito, oleo narciffino, aut anthino admixto. Aut cucumeris fylveftris internam partem palmi magnitudine in aquæ potabilis heminis quatuor coquito, & melle, ac oleo anthino addito, colluito. Hæc collutio pituitofæ, ac biliofæ conducit.

Collutio pituitam trahens. Granum cnidium, & mandragoræ liquorem terito cum aqua. Nam purgatio multa, & omnis generis ex hac collu-

tione contingit. Aut allii caput integrum, nitrum, ficus internam pinguem partem, æquis portionibus, trita, ad gallæ magnitudinem efformato, ac apponito. Aut cumini folia cum vino trita, in lana ſubdito. Aut radicem albam terito, & melle affuſo fervefactam in glandem redigito, ac apponito. Aut ſilphii liquorem cum ficis emollito, & glandem efformato. Bonum eſt & cucumeris ſylveſtris ſemen ſimiliter tritum, ac præparatum. Aut fel tauri, & nitrum rubrum, & netopum, ac cyclaminum, illorum quidem gallæ magnitudinem, cyclamini vero ampliorem portionem, melle admixto, mulier, quæ curatur, apponat.

Aliud ſubdititium. Cyclamini caput purgatum aqua terito, & lana tenera exceptum apponito. Aut myrrham, ſalem, cuminum, fel tauri, cum melle eodem modo. Aut grana cnidia triginta, & Indici pharmaci oculorum, quod vocatur piper, grana tria decorticato, & rotundi item tria. Hæc autem terito, & vino veteri tepido diluta, inſtar glandis circum volucris pennam efformato, & ſic adhibeto. Aut tithymali ſuccum melle ſubactum. Aut ſcyllæ radicem longitudine digitorum ſex, duobus digitis lana obvolutis, ſubdito. Aut ipſam ſcyllam abſque radice terito, & ſimiliter lana obvolutam apponito.

Collutio, ſi pituitoſa fuerit mulier. Veratri potiones duas in vini dulcis heminis duabus diluito, & permixta infundito. Si purgatione opus habuerit, porrum coquere oportet, aut ſambuci fructum, aniſum, thus, myrrham, vinum. Hæc omnia terito, & cum ſucco horum colluito. Aut braſſicam in aqua coquito, & in hujus ſucco mercurialem coquito, & nitri parum, & excolatum infundito. Aut cneſtri potionem in melle dilutam immittito.

Verum menſes conſiderare oportet, an billioſi ſint, aut pituitoſi. Ad hoc arenam ſiccam tenuem in ſolem ſubjicito, & quum menſes prodierint, ſanguinem ſuperfundito, ac ſiccari ſinito. Et ſi quidem bilioſi fuerint, ſanguis in arena ſiccatus viridis evadit. Si vero pituitoſi, velut mucus conſpicitur. Si igitur pituitoſi fuerint, cneſtri potionem cum aquæ mulſæ hemina infundito.

Purgatorium molle aquam ducit, & pelliculas, ac ſaniem ſubcruentam. Detrahit & menſes, niſi diuturni fuerint, & uterorum os mollit. Unguentum narciſſinum, & cuminum, quod editur, myrrham, thus, abſinthium, cyperum, unguentum roſaceum. Horum ſingulorum pares portiones; narciſſini vero quatuor partes ſumito, & crudi lini pulvillo, dum a ſtupa depectinatur, admixto, omnia terito, & glandem circum pennam efformato, & linteo tenui circumdato deligato, & in oleum album Ægyptium tingito, ac apponito, & per totam diem ſinito. Et ubi lavit, & amovit, aqua odorata perluatur.

Aliud purgatorium. Ducit aquam, & pelliculas, & mucos, & ſaniem ſubcruentam. Myrrham, ſalem, cuminum, fel tauri, melle ſubacta, & linteo indita apponito, & totum diem inſita ſinito. Deinde, ubi lavit, & amovit, aqua odorata perluatur.

Aliud. Salem, cuminum, fel tauri melle ſubigito, ac ſubdito. Et ſilphium ficui admiſceto, ac apponito. Deinde unguento roſaceo illinito. Aut grana cnidia decorticato, potionemque ipſorum terito, ac in glandem efformato. Aut allium, & nitrum rubrum, & ficum, paribus portionibus melle admixto ſubdenda dato. Et ubi amoverit, cervi adipem apponat in vino liquefactum. Aut piperis grana quinque cum modico elaterio,

muliebri lacte instillato, in lana unguento tincta apponat, ac amoveat eodem modo. Aut pinguissimam ficus partem cum elaterii potione, & nitri rubri, ac mellis æquali portione, eodem modo. Aut fel tauri, nitrum, rubrum, netopum, cyclaminum, paribus portionibus eodem modo cum melle in glandem efformato. Aut fel tauri oleo Ægyptio tinctum apponat. Et eo amoto rosaceum illinat. Aut cucumeris sylvestris longi internam partem, exempto semine, cum lacte mulieris masculum alentis, & myrrham puram, & modicum mel, & unguentum Ægyptium terito, & apponito. Aut cucumeris sylvestris partem internam siccato, & sine semine tundito, & adjecto melle fervefacito, & glandem oblongam efformato, atque oleo albo tinctum subdito. Aut sylvestrem cucurbitam eodem modo. Aut elaterii potiones tres cum farinæ massa terito, & glandem formato.

Aliud similiter faciens. Grana cnidia decorticata, trium potionum mensura coquito, & melle affuso apponito. Deinde rosaceum illinito.

Quæcumque vero glandem subdunt, eas prius lanam in glandem infigere, deinde linteum tenue circumdare oportet, atque sic oleo Ægyptio tinctam apponere. Ducunt autem hæc maxime, & pelliculas auferunt.

Subdititia purgatoria fortia, quæ aquam ducere possunt, & mucos, ac pelliculas, magis quam priora. Piperis grana quatuor maxima, aut etiam parva, si opus fuerit, ad elaterii potionem admixta terito, & muliebri lacte instillato, cum modico melle subigito. Atque hæc in lanam mollem circum pennam obvolvito, & linteo circumdato apponito, ubi prius in oleum Ægyptium tinxeris. Maneant autem subdita per diem, & ubi amoverit, adipem cervi apponat.

Potiones ſimiliter purgatoriæ, quæ ſecundas ejicere poſſunt, & menſes detrahere, & fetum enectum educere. Cantharides quinque alis, & cruribus, ac capite avulſis, & tribulum ad mare natum cum radicibus, ac foliis tritum conchæ menſura, & euanthemi viridem, ſive luteam internam partem, & ſeminis apii tantumdem, & ſepiæ ova quindecim, in vino dulci temperato bibenda dato. Et ubi dolor habuerit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat, & vinum dulce.

Alia. Ranunculi foliorum, ac floris triti, æginei ſtateris pondus in vino dulci bibat. Quum autem dolor habuerit, cicer album, & uvas paſſas in aqua coquito, & perfrigeratam bibendam dato. Et ubi urinæ ſtillicidium vexarit, in aqua tepida deſideat, & vinum dulce bibat.

Subdititia purgatoria, ſi potiones non purgarint. Mercurialem tritam, ac myrrham apponito. Aliud ad omnem morbum, & aperire, & purgare potens. Myrrham modicam, & ſalviam, & aniſum terito, ac utitor.

Purgatorium, quod ſterilem purgare poteſt. Si os uteri non recte habuerit, ſtercus bubulum ſiccum tuſum, ac cribratum quatuor chœnicum menſura, & aceti heminas decem, & urinæ bubulæ tantumdem, & ſalſuginis marinæ heminas viginti pro fomento adhibeto, & ad multum tempus hoc leniter facito. Deinde lota, ubi lenticulæ decoctum, & mel, ac acetum mixta bibit, vomat. Et farinam ſorbendam dato, & vinum odoratum vetus ſub dio per noctem expoſitum, inſuper bibendum. Cibum autem ea die ne guſtet. Sequenti vero granum cnidium devorandum dato. Tertia vero pharmacum urinam ciens exhibeto, ita ut uvas paſſas, & cicer album, duarum

chœnicum menſura ſumas, & aquæ ſemicongios tres affundas. Deinde facta coctura excoles, & ſub dio per noctem exponas, & poſtera die bibendum præbeas, & ſubdititiis pharmacis utatur.

Aliud purgatorium menſium. Stercus bubulum velut conchæ teſtam efformato, & cupreſſi ramenta admiſceto, ac ſubigito, & in ſole ſiccato, & in hoc ſuffimenta injicito, ac ſuffito.

Aliud, quod infunditur ad ſimilem affectionem, ſi menſes non prodeant. Spinæ albæ folia trita, & excolata, ac tepefacta infundito.

Illitio purgatoria, quæ uteros purgat. Porri, & naſturtii ſemen tritum, & vino, ac lacte cocto dilutum, imo ventri illinito.

Illitio mollitoria. Ducit aquam, & mucos, & pelliculas. Et puerperii purgamenta detrahit, & non exulcerat. Myrrhæ optimæ dimidiam partem, & ſalis granum, & picem aromatibus conditam, contundito, ac trita miſceto. Sit autem myrrhæ dimidia pars, ad ſalem, ac picem contuſam. Hæc in linteum ad gallæ magnæ magnitudinem efformata immittito. Sint autem duo lintea, ut alterum in die, alterum nocte habeat, donec colliqueſcant. Lavetur autem calida. Et deinde ubi amovit, aqua odorata perluatur.

Si voles mulierem concipere, ipſam, & uteros purgato. Deinde jejunæ farinam edendam dato, & vinum meracum inſuper bibendum, & nitrum rubrum, aut cuminum, & reſinam melle ſubigito, & in linteo ſubdito, & ubi aqua defluxerit, nigros ſubdititios talos ad emolliendum apponito, & cum viro concumbat.

Si vero os concluſum fuerit, etiam fici ſuccum apponat, donec fuerit apertum, & ſtatim aqua eluat. Cæterum accipitris ſtercus in vino dulci terat, & jejuna bibat, & tunc viro condor-

miat. Aut ubi menfes defierint, anferis, aut vulpis ftercus in rofaceo unguento terat, & pudendum illinat, ac condormiat.

Si ulcera fuerint acria, & inflammata, hac collutione utere. Adipem anferis, & refinam mifce, & aqua tepida diluta infunde. Aut butyrum melli admixtum liquefacito, ac infunde. Aut bryoniæ albæ conchæ teftam parvam deradito, & myrrham, ac mel fimiliter. Hæc in vino nigro odorato diluito, ac tepidum infundito. Si ulcerata, aut puftulis plena fuerint fumma labra, carnem bubulam fumito, & butyrum, five adipem anferinum, & anifum, aut crocum, aut fpodium Cyprium. Hæc omnia terito, & carni oblita apponito. Si ulcera fiant, ac mordeant, bubulam carnem adipe illinito, & carnem fubdito. Et fi fordida fuerint, eluito, & fomentum ex fici radice adhibeto. Et poftea etiam de pinguedine in vino dulci bibat. Si in pudendis fiant ulcera, bubulum adipem illinito. Et myrtum in vino coquito, & cum vino perluat. Aut oleæ folia, & rubi, & mali punicæ, eodem modo. Sit autem vinum pramnium. Atque hæc quidem fic facienda funt. Et perfeæ arboris videlicet folia terito, & ad pudenda apponito. Aut anethi, & apii femen tritum illinito.

Si fervido, ac fuperficiario ulcere pudenda laborent, fic curare oportet. Carnem bubulam longitudine duorum palmorum parvorum, craffitudine vero ligni, quod in foramen bipennis immittitur, pudendi videlicet virilis forma ufque ad vefperam apponat; noctu vero auferat. Poftera die autem rurfus apponat ufque ad meridiem, & bibat vinum dulce, melle ad vinum admixto.

Collutio, fi ulcerati fuerint uteri, & fi urinæ ftillicidium vexarit. Porrum, fambuci fructum,

ſeſeli, aniſum, thus, myrrham, & vinum æquali menſura ad horum ſuccum. Hæc mixta, & fervefacta frigefacito, & moderate colluito. Aut mel, butyrum, medullam, & ceram immittito, ac illinito.

Ad ulcera, quæ in pudendo ſunt, ac enaſcuntur. Folia oleæ, & rubi, & hederæ, & mali punicæ dulcis terito, & vino veteri diluta, noctu in lana pudendis apponito, & pro cataplaſmate adhibeto. Quum autem dies venerit, detrahito, & myrti baccas in vino coquito, ac colluito. Aut anſeris adipem, & reſinam liquefacito, ac infundito. Aut butyrum, & oleum cedrinum, modico melle admixto, infundito.

Ad ulcera in utero reſiccanda. Argenti florem in vino terito, ac infundito. Aut butyrum cum melle infundito. Aut bryoniam albam, & myrrham, & mel, vino diluta infundito. Poſtridie vero vino nigro tepido eluito. Aut lentiſci folia in aqua coquito, & cum hac poſtea colluito. Si ulceratum fuerit os uterorum, butyrum, thus, myrrham, reſinam, medullam cervinam infundito. Aut lenticulam in aqua coquito, & cum excolata aqua colluito. Quum vero aqua ex uteris fluxerit, & ulcera fuerint, & lancinarint, anſeris adipem, & ovum illinito. Aut ovillum, aut ſuillum adipem, & lentem in vino coquito, & hoc pari aqua temperatum infundito. Quæ vero in pudendo ſunt ulcera, cum hoc perfundito, & mannam thuris, rubum, pini corticem inſpergito, & cum aqua horum laventur.

Expulſorium, ſi mortuus fuerit fetus. Galbanum olivæ magnitudine linteo involutum, ac oleo cedrino tinctum, ad os uteri apponat.

Aliud. Calamum odoratum, & cucumeris ſylveſtris medullam cum adipe anſerino terito. Deliget autem umbilicum, & pectinem, & de hoc

modicum lanæ inſtillatum ad os uteri apponat. Et ab hoc paulatim extrahetur.

Aliud. Rubiam, & cedri ramenta contundito, & aqua affuſa ſub dio per noctem exponito. Deinde mane ad dolores partus exhibeto.

Aliud. Silphii drachmam unam, & porri ſucci acetabulum, cedrini olei dimidio cyatho parvo admixto, bibenda dato.

Aliud. Tauri fel oboli unius, aut ſemioboli pondere, in vino terito, ac exhibeto. Aut fermento oblitum, torrefactum, devorandum dato.

Aliud. Cancros fluviatiles quinque, & rumicis, ac rutæ radicem, & fuliginem de furno, omnia ſimul trita, & cum aqua mulſa unita, ſub dio per noctem exponat, & jejuna ter bibat.

Aliud. Cucumeris ſylveſtris medullam tritam, in cedrina pice lanæ involvito, & cum filo ad pennam deligato, apponat autem intro, ita ut pennæ dura pars paululum foras promineat ex lana. Quum autem ſanguis apparuerit, amoveatur.

Aliud. Veratri nigri virgulam longitudine ſex digitorum lana obvolvito, extremam vero ipſius partem nudam ſinito. Deinde quammaxime intro apponat, & ubi extrema pars cruentata fuerit, amoveat.

Aliud. Veratrum nigrum, & cantharidas, & conyzam in aqua terito, & glandulam mollem ſex digitorum longitudine efformato, ſiccato, & ubi dura facta fuerit, lana involutam apponat. Summam autem partem cedria illinat, ſitque ipſa nuda. Quum vero ſanguis apparuerit, amoveatur.

Aliud expulſorium. Si fetus mortuus, aut ſideratus intus fuerit, ranunculum, & elaterii parum in aceto meraco miſceto, ac bibendum dato. Aut braſſicæ tener coliculus, in ſumma parte netopo illitus, immittatur.

HIPPOCRATIS DE MORBIS MULIEBRIBUS LIBER II.

PRÆFATIO.

Ejusdem scriptoris esse putes : nam & idem color est utrique, & in secundo libro multa primi, ne verbo mutato, repetuntur. Ad Gnidiorum morem varios habet fluores albos & crebros, tum uteri flatus, ulcera, callos, cancrum, symptomata hysterica, prolapsus uteri, & os ejusdem clausum, ex quo sterilitas. Porro mammarum nonnullos morbos, & vaginæ, ephelides, dentium dolores, alia sexui feminino non propria. Mirificæ etiam hic & a nostris moribus remotæ curationes reperiuntur. Uterum ad omnia fere viscera conversum admittit, columellam in utero natam describit, quam jubet resecare.

SECTIO I.

FLUXUS albus in senioribus mulieribus magis fit, quam in junioribus. Fluxus fulvus in utrisque. Fluxus ruber in junioribus. Et ruber quidem fluxus fit ex febre. Magis autem ex abortu. Fit & ex mensium interceptione, quum

conclusi derepente eruperint. Fit etiam ex partu, & febribus, & sanguis profluit valde multus, & grumi excidunt. Et dolor fit claviculatum, ac tendinum, & corporis torpor, & crurum perfrigeratio. Aliquando vero etiam nasus effundit ad dentes, si amplior sanguis discesserit, & sudor multus diffunditur. Ad hæc & stomachi morsus fiunt, & perfrigerationes, & febris bilis meracæ, ac pruriginosæ, & eadem die sæpe rigent, & rursus sudant, & aliquando a supernis locis convulsiones ipsis fiunt, aliquando ab infernis, & ad inguina dolores acuti, ac fortes irruunt, procedentes velut dolores partus. Quandoque etiam urinæ stillicidium adest, & os siccum est, & sitis premit, & lingua aspera est, & digiti pedum magni contrahuntur, & ad suras semper cum femore distenduntur. Et lumbi dolore vexantur, & manus impotentes fiunt. Quum autem hujusmodi fiunt, tunc etiam nervorum antrorsum, ac retrorsum distentiones fieri solent, a claviculis juxta jugulum, ad maxillas, & linguam. A talibus vero paulo post retrorsum, a tendinibus juxta spinam, ad lumbos, atque sic per violentiam pereunt.

Prædicere igitur oportet fluxibus inchoantibus, & diætam constituere hoc modo. Mane quidem dandum est pharmacum ad fluxiones ex his, quæ ego describam, quocumque maxime opus habere visæ fuerint. Dandum autem & ter, & quater, si multus sanguis discesserit. Diæta igitur constituatur, si quidem sine febre fuerint, ex cibis. Si vero febricitarint, ex sorbitionibus. Sunt autem ex sorbitionibus hæ commodissimæ, panicum, lenticula, farina horni, ac recentis tritici cocta, alica cocta sorbilis, zea cocta. Ex potionibus vero polentæ pollen in aqua, & ramenta a panibus

derasa contusa. Et polentæ recentes tenues in aqua madefactæ, quas etiam insulsas delingere prodest. Ex cibis vero panis exassatus in cinere. Obsonium autem sit leporis caro, & columbæ, ac palumbis & cocta, & assata. Et hœdi caro assata, nullo adscititio condimento addito, sed ut in acetum saltem intingant. Hepar item capræ, aut bovis in cinere assatum. Ovi tenue, aut ipsum luteum. Caseus insulsus. Ex oleribus autem nullum gustent, neque coctum, neque crudum. Et a balneis abstineant. Et manus ipsis deligato, ita ut lana sordida ipsas circumdes, & laqueum immittas supra cubitos, & ad poplites supra genua. Et cum cucurbitis sub mammas affixis, ipsas elevato, modo ad dextram, modo ad sinistram partem translatis. Si vero spirandi difficultas oriatur ad cucurbitæ admotionem, cucurbitam amoveto, sanguinem autem ne detrahito. Verum subdititiis utere, quæ ego describam, & ad sistendum sanguinem in talibus sunt apta.

Et si quidem ex fluxionibus mulier evaserit, ubi multus sanguis discessit, & color est exalbidus, & facies elevata, & sub oculis tumores laxi, & crura turgida, & uterus humidus, ac semper præter rationem hians. Et quæ discedunt, aquosa sunt, velut a crudis carnibus, succus. Talibus, si robustæ fuerint, vomitus ciere oportet, jejunis, & post vomitus prandium exhibere. His conducit modicus cibus. Vinum nigrum meracius. Illuvies, aut frigidæ lotio.

Deambulationes. Semel in die cibum capere, omnis resiccatio. Si vero ad hæc non sedentur, neque considant uteri, neque a fluxionibus liberentur, respectu virium corporis habito, si quidem robusta fuerit, veratrum dare oportet. Si vero non obediat, caput purgare. Facta autem

purgatione, per diætam reliqua curare eodem modo velut circa steriles.

Considerare porro oportet etiam naturas mulierum, & colores, & ætates, & tempora, & locos, & ventos. Aliæ enim frigidæ, aliæ humidæ, ac fluidæ, aliæ calidæ quidem, ficciores autem, & stabiles sunt. Nam quæ superalbidæ sunt, humidiores sunt, ac fluidiores. Nigræ vero ficciores, & acerbiores, ac adstrictiores. Quæ vero vini colorem referunt, medium quiddam inter utrasque habent. Sic autem & in ætatibus contingit. Juvenculæ enim humidiores sunt, & multo sanguine plerumque refertæ. Aniculæ vero ficciores, & modicum sanguinem habentes. Mediæ vero medium quiddam inter utrasque habent, ut quæ nunc æquales existunt. Oportet autem eum, qui recte hæc tractare volet, semper mulierum naturas discernere, & temporum occasiones, & ætates, & tempora, & locos, & ventos.

Si fluxus in uteris obortus fuerit, sanguis multus fluit, & grumi compacti excidunt, & dolor occupat lumbos, & laterum mollitudinem, ac imum ventrem, & durus est venter, & ad contactum dolet, & rigor, ac febris acuta corripit, & debilitas oboritur, & omnia præter humeros, ac scapulas dolet, & calor invadit, & rubescit, & venæ duræ fiunt, ac renitentes. Morbus hic maxime fit ex abortu. Fit, & quum menses multo tempore retenti derepente eruperint. Huic, ubi sic habuerit, grossum siccum contusum, ac cribratum in linteum alligato, ac apponito, & imo ventri perfrigerantia imponito, cavens, ne horreat. Postquam autem fluxus steterit, oleæ sylvestris folia in acerrimo aceto coquat, eoque pudenda perluat. Bibat autem vinacea, & rhoem

rubrum in aceti acerrimi hemina dimidia coquat, & eo pudenda perluat. Aut mora rubi rubra ſiccata, ac trita cum farina recenti, pari portione mixta, jejunæ bibenda dato. Si vero fortius facere voles, duabus farinæ partibus admixtis, bibendum dato. Et ne lavetur. Cibis autem utatur ſiccis, & vino nigro vinoſo. Si vero intumuerit, fluxu jam ſedato, pharmacum deorſum purgans bibendum dato. Poſt pharmacum autem uteros groſſorum decocto colluito, & poſtea acerba infundito. Si vero his factis, humecta fuerit, ſuffitum faciat, donec reſiccet.

Ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimæ recens mactatæ, & grumi pellucentes. Aliquando vero etiam fluxum rubrum emittit, & venter imus attollitur, & attenuatur, & impotens fit, & indureſcit, & ad contactum dolet, velut ulcere præſente, & febris habet, & dentium fremitus, & dolor ad ipſa pudenda, & pubem, & lateris mollitudinem, & lumbos, & tendinem, & ventrem, & pectus, & ſcapulas irruit. Et alias omnes partes dolet, & impotentia, ac puſillanimitas occupat, & color mutatur. In principio quidem morbi hæc corripiunt. Si vero hæc omnia moram trahant, adhuc magis debilitatur, & manifeſtus eſt morbus, & cavæ partes attolluntur, & pedes intumeſcunt. Morbus hic ex partu maxime corripit, ſi quid in ipſa dilaniatum non prodierit, ſed intus computruerit, & fetus exaſperatus fuerit.

Hanc ſi in principio contigeris, ſpongiam humectam ipſi adhibeto, quum fuerit dolor. Aut linteum tenue molle raſum, aqua frigida madefactum, ventri imponito, & aqua perfundito, & lectum a pedibus altiorem facito, atque ſic inſternito, & ad menſes ciendos medicamentum quod-

cumque

cumque magis admiſerit, bibendum præbeto. Apii ſemen torreto, tundito, ac cribrato, & eryſimum ſimiliter, & peplii ſemen cum polenta cribratum, & urticæ ſemen ſimiliter, & ſcabiem oleæ ſylveſtris, & gallam, & rutam, & origanum, & pulegium cum polenta cribrato, ac miſceto; polentam vero craſſam torreto, & triticeam polentam commolito, & caſeum caprinum ſordibus deraſis, & de aliis quidem ſingulorum æquales portiones miſceto. Origani vero, & rutæ, & ſcabiei, & gallæ dimidium. Hæc jejunæ ante motum bibenda dato. Miſcere vero etiam oportet ad uſum, ſi acriora prodierint, & cyceonem exhibere. Et de pharmaco quidem pars una ſit, & caſei una & una, polentæ. Ad veſperam autem melle admixto bibenda dato, & donec quidem principium morbi fuerit, & ſanguis multus prodierit, & modico tempore intermiſerit, & dolores acuti tenuerint, hæc facere oportet. Si vero ſanguis paucior fluxerit, & per brevius tempus ea, quæ deorſum, aut ſurſum ducunt, bibenda dato, & pudenda lenibus fomentis foveto, prout ſemper opportunum viſum fuerit, & zeam una cum cortice fractam, & groſſos ſiccatos, tuſos, ac cribratos, & oleæ folia ſimiliter, ſingulorum pares portiones in cataplaſmate adhibeto, & lac bubulum coctum, aut crudum bibendum dato, reſpectu ad id, quod recte habet, facto, & prout opportunum eſſe viſum fuerit, & videtur morbus hic debilis, ac lethalis eſſe, & paucæ ex ipſo effugiunt.

Quum mulieri ſanguis ab articulis fluxerit, a partu, aut a labore corruptæ, quidam putant ex medicis hoc fluxum eſſe. Eſt autem aliud. Nam hoc, quod ex articulis, & ex lumbis, ac coxendice aliud eſt, glutinoſum eſt ſimul cum ſanguine.

Illud vero, quod ab uteris, & cavis venis fluit, ſanguis purus eſt. Hanc ſuffire oportet hoc modo. Zeæ fractæ ſemodium aceto modico ſubigito, ut ne per totum uteros humectes, & ſulphuris vivi ſemiobolum ad zeas tritas admiſceto, & aceto ſubacta per noctem ſinito. Mane vero multo igne accenſo, obturamenta de doliis oleariis imponito, & ſordes officinæ fullonum, & ſerpentis ſemen admiſceto. Mox autem multum ignem tollito, & non urito, ſed maxime ſuffumigare facito. Oportet autem ſellam perforatam adeſſe, & mulierem veſtibus contectam inſidere, ut ne quid præterſpiret. In ignem vero medicamentum cum aceto præparatum inſpergito, itemque de ſemine ſerpentis. Sed & myrrha admixta efficax eſt, ut ſuffita pudendorum cruentationem ſedet. Si vero ſatis habuerit, eryſimi ſemen torrefactum terito, & in vino exhibeto.

Fluxus fulvus fluit velut ex ovo vitioſo multus, & graveolens, & uteri inflammantur, & dolor ex lumbis, & inguinibus emergit, & prodeuntia multa ſunt, & ſi non liberetur, celeriter fluentia. At etiamſi tempus accedat, quæ reſtant, putrefacit, quammaxime id fieri poteſt. Riget enim, & velut a carnibus aſſatis humor defluit, & cum his ſimul febres fortes, ac rigores fiunt. Ex hujuſmodi vero fluxibus multæ pereunt, paucæ effugiunt, & ſi quidem in principio acceſſeris, ſic curare oportet. Si ſine febre fuerint, ac robuſtæ, veratrum ipſis dato, & intermiſſis tribus, aut quatuor diebus, pharmacum deorſum purgans exhibeto. Poſt purgationem vero ſic diætam conſtituere debes, quo fluxiones aquoſæ ſint, ac tenues. Mane quidem jejunæ pharmacum aliquod ex his, quæ ego deſcribam ad fluxum, ebibendum dato in vinum in-

ſperſum. Poſt pharmacum autem alia diæta curato. Uteros vero ſic curato. Si quidem inflammati fuerint, ac concluſi, fomenta adhibere oportet mollia, donec os uterorum molle fiat. Poſt fomenta, infuſis, qualibus opus habere viſæ fuerint, colluito, ſive magis purgantibus, ſive mollioribus. Poſt collutiones mollitoria adponito.

Si vero non facile ſolubile ſit oſculum, foveto, & ſubdititiis mollito, quæ ego deſcribam, donec apertum fuerit. Quod ſi ad hæc fluxiones non ſedentur, caput purgato, & ſic victus rationem conſtituito. Si quidem ſine febre fuerit, aſininum lac bibat, & oleribus coctis hortenſibus, ac ſylveſtribus utatur, excepto allio, porro, braſſica, & raphano longo. Ex marinis autem raja levi, ſcorpio, congro, torpedine, anguilla, paſſere, gobio: coquere vero oportet cum cepis, & coriandro in muria dulci, ac pingui, ita ut probe percoquantur. Ex carnibus autem maxime ſuilla, deinde agnina, aut ovilla, coctis potius quam aſſatis, & ipſarum juſculis. Vino vero albo mellei coloris, aut aquoſo. Balneis autem non valde calidis, neque multis, excepto capite. Si vero ex hac diæta ab ulceratione, & inflammatione liberentur, humidi vero ſint uteri; pro balneis quidem, illuvie; pro fulvis autem vinis, nigris, & pro aquoſioribus, meracioribus, & pro polenta panibus, & pro piſcibus carnibus aſſatis, & omnibus cibis ſiccantibus, quibus ſane in alvi profluviis utimur; a collutionibus autem omnibus abſtineat, excepto vino, & aqua. Suffitus autem fiat per adſtringentia. Optimum autem eſſet, ſi conciperet. Si vero juvencula fuerit, frequenter jejuna vomat, & poſtea parum prandeat. Atque hæc harum fluxionum diæta eſt.

Fluxus albus fluit, velut alba aſini urina, &

in facie sunt tumores albi, & partes ambæ sub oculis tument, & hydropiformes, ac non valde bona specie prædití sunt oculi, & splendor abest, & lachrymosi sunt oculi, ac hebetes, & color corporis exalbidus, ac pustulosus, & venter imus tumidus, & in maxillis pustulæ paulatim rubentes, parvæ, aquosæ, ac malignæ, & in cruribus tumores laxi, & si presseris digito, notæ imprimuntur velut in fermento, & os saliva impletur, & stomachi morsus percipiunt, quum jejunæ fuerint, aut etiam vomuerint velut acidam aquam, & si ad adclivem locum procedunt, anhelatio citius corripit, & strangulatio, & crurum perfrigeratio, & genuum impotentia, & in ore ulcera fervida, ac superficiaria, & uterus præter rationem aperitur, & ad osculum procidit gravis veluti plumbum. Et dolores per femora tendunt, & omnia inferna perfrigerantur, ab imo ventre inchoantia usque ad pedes, & plantæ torpent, ac ingredi non possunt. Tales difficile est a morbis liberare. Nam & ætate provecta sunt, & afflictiones consenescunt; nisi casus aliquis spontaneus forte fortuna adlapsus ipsas solvat. Has exhaurire oportet, quum redundarint, per pharmaca, quæ bilem flavam non purgant. Sed urinam cientia his pota conferunt, & capitis purgationes, & illuvies, & epithymi albi potus, & deambulationes, & omnis resiccatio in victu. Hæc ubi fecerint, sanæ quidem penitus non fiunt, facilius autem degunt.

Fluxus albi alterius curatio. Purgatur album subluteum, & quum mingit, morsum percipit, & lancinatur, & uterus ulceratur, & febris corripit acuta, & calor multus, sitis, vigiliæ, & mente moventur. Et quum aliquid festinanter egerit, anhelatio ipsam invadit, & membra exsol-

vuntur. Hanc mecona, hoc eſt peplum album bibere oportet, & urticæ ſemen, & quod præſtat, mali punicæ dulcis radicem, & rhoem, ac gallam. Hæc in vino acerbo bibenda dato, & mali punici ſuccum, aut caſeum caprinum admiſceto. Subter autem ſuffito zeam, & groſſos hybernos, & oleæ folia, & ſcabiem ejuſdem, & cucumeris ſylveſtris cortices ex tertia parte, reliqua paribus portionibus. Sorbeat etiam olera cocta, & ſorbitiones ex amygdalis, & ſeſamo, & geſtetur, ac curru vehatur, & non quieſcat.

Alius fluxus. Defluit multum velut urina ovilla. Color eſt albus, & tota intumeſcit, & in tibiis eminentiæ laxæ, & rubicundæ emergunt, & ſi digito attingas, notæ foveas præ ſe ferentes tibiis, ac pedibus imprimuntur, & ſi quid edat, impletur, ac inflammatur, & ubi iter fecerit, & opus aliquod obierit, anhelatio, & dolor ipſam corripit, & color albus, quandoque ſubluteus. Huic, ſi robuſta, & juvencula fuerit; & alia adparuerint, ab initio pharmacum ſurſum, ac deorſum purgans bibendum dato, & caput purgato, ſi pituitoſa eſt, per ea, quæ pituitam purgant. Si vero bilioſa, per ea, quæ bilem, & ſi tempus anni fuerit, & a natura non eſt lienoſa, & ſi quid ex relatis fuerit, ſerum dato. Decoquat autem hoc, & bibat quamplurimo tempore, & ad veſperam vinum dulce aquoſum, ſi opus habuerit. Cibum vero ne contingat. Si vero debilis fuerit, ſorbitione modica utatur, & non lavet. Poſtquam autem tempeſtivum eſſe tibi videbitur, a potu ceſſet, & poſt purgationem cibis utatur, ita ut abſtineat a pinguibus, & acribus, & dulcibus, ac ſalſis, & ab oleribus acribus. Utatur autem piſcibus petroſis, & carnibus ovillis, aut volucrium, aut leporinis, pane

frumentaceo, aut ex hordeo freſo, & oleribus coctis utatur, & ſylveſtribus, quæ cruda eduntur, itemque hortenſibus, acribus exceptis, & deambulet mane, & a cibo. Ubi vero his factis ſiccior eſſe viſa fuerit, uteros fece vini colluito, & tribus, aut quatuor diebus interpoſitis, poſtea acerba infundito, & intermiſſione facta, ſi quidem ſicca fuerit, quieſcito. Et ſi a natura fuerit bilioſa, aut pituitoſa, a victu vero, & pharmacorum potione adtenuata, & ſe recolligere non poterit, lac bubulum bibat per quadraginta dies, calidum de vacca.

Præſtat tamen pituitoſam cibis quampauciſſimis uti, quamdiu lac biberit. Sit autem menſura ſex heminarum Atticarum. Incipiatque a duabus, & ſingulis diebus unam adponat, donec ſex fiant, & inde paulatim ad duas rurſus deſcendat, & poſt lactis potum cibis reficito, & per victus rationem, & poſt lactis potum, mane jejuna adiantum bibat: hoc ſiccatum, tuſum, & exacte cribratum in vino nigro odorato diluto exhibeto. Si vero revertatur morbus, totam ipſam foveto, & rurſus pharmacis infra purgato, & poſtea uteros colluito, ſi quidem natura fuerit pituitoſa, per cnidium granum, aut thapſiæ radicem. Si vero bilioſa, ſcammoniæ ſucco, aut colocynthide ſylveſtri. Hanc enim conjectam, duabus aquæ heminis affuſis, coquere ad dimidias oportet, & huic mel, & oleum narciſſinum, aut anthinum admiſcere. Sit autem mellis quadrans heminæ, olei vero hemiolium mellis, hoc eſt menſura ipſius tota, inſuperque dimidia. Poſtea vero colluendum eſt melle, & vino, & oleo ſolo, & ſuffitus adhibendi, & tribus, aut quatuor diebus quieſcendum. Bibat autem adiantum, & ſi in ventre non conceperit, morbus revertitur, & ſi

morbus revertitur, perit. Quum vero ſeniores morbus hic corripuerit, etiam uteri computreſcunt. Valde vero paucæ evadunt.

Alius fluxus. Purgatur velut ex ovo crudo luteum ſubalbidum, & ulcerat pudendum, & tument pedes, ac tibiæ, & cavæ oculorum partes intumeſcunt, & oculi humidi, ac lacrymoſi ſunt, & ſi iter faciat, anhelatio ipſam corripit, & debilitas oboritur. Si vero evaſerit, morbus pituitoſus fuerit, & ſi non purgata fuerit, febricitat, bile vehementer commota. Seniores autem hic morbus magis invadit, quam juniores. Quum ſic habuerit, ſi quidem vehementer intumuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, quod pituitam, & bilem purgat. Si vero non fortiter tumuerit, & pituitam ipſam preſſerit, pharmacum ſurſum purgans dato, & ſi quidem potens fuerit, veratro purgetur; ſin minus, pharmaco, quod bilem, & pituitam ducit. Poſt pharmaca vero ſerum coctum bibendum dato per plurimos dies cum modico ſale. Edat autem inſuper mentam. Ad veſperam cibum ne attingat, ſed modicum ſorbeat, & vinum dulce inſuper bibat, ſi opus habuerit. Si vero non adfuerit ſerum, lac aſininum coquito, & exhibeto per quatuor dies. Ad veſperam vero eadem faciat, niſi febris noctu corripiat. Si vero natura fuerit lienoſa, aut flatuoſa, & exſanguis, neque ſerum, neque lac bibat, ſed purgantibus inferne purgato; & ubi tibi tempeſtivum viſum fuerit, uteros colluito primum quidem medicamento ex vini fece bis, aut ter; poſt hoc, ſcammoniæ ſucco. Adfundito autem ad hunc, vinum dulce, heminæ Atticæ menſura, & olei narciſſini maxime quartam heminæ partem. Poſtridie vero cum vini hemina colluito, & mellis quarta heminæ

parte, & resinæ tertia mellis parte. Oleum autem sit melli æquale.

Si vero ea, quæ ab infusa collutione secedunt, prodierint pituitosa, etiam rursus colluito, interpositis tribus, aut quatuor diebus. Postea grani cnidii duas potiones decorticato, & ipsas infundito. Si vero non adfuerit cnidium granum, radicis thapsiæ potionem unam infundito, & postea iisdem colluito; postquam autem purgata fuerint ea, quæ secedunt ad has collutiones, & si prodierit aliquid cruentum velut ab ulcere, per acerba postea colluito, & si post hæc, ipsa interrogata dixerit, os uterorum durum esse, & dolorem habere, eodem modo eo quod paratur, cum butyro colluito, donec uteri fuerint resiccati, & sana esse videbitur; diebus vero inter collutiones intermediis, sambuci fructum bibat, & leporis coagulum, & pepli corticem, & urticæ semen, & mali punici dulcis corticem, ita ut de singulis pares portiones terat, & polentam, ac adiantum admisceat, & in vino nigro odorato jejuna bibat; cibis autem utatur mollibus, non salsis, neque acribus. Carnes autem præstantiores sunt piscium, aut volucrium, aut leporinæ, & lavetur calida non multa. Si vero non quiescat fluxus, sed relinquatur, & uteri humescant, medicamentum ex malicorio suffito, & postea virum accedat, & si in ventre conceperit, sana evadit. At seniores a morbo levari non possunt, sed pereunt præ debilitate.

Fluxus alius. Fluit subluteum velut ex ovo, & viscosum, & venter imus intumescit, ac durus fit, & si contingas, dolet, & dentibus stridet, & febris occupat, & dolor ad pubem, & ad pudenda, & ad imum ventrem, & ad lumbos irruit, & animi deliquium, & anxietates, & per-

frigerationes, & sudor multus, & pulsus ad manum accelerantes, debiles, deficientes, & statim pereunt. Si vero superstes manserit, & color ipsi mutatur, & fit velut favus, aut cera, & si corpus digito prematur, mollescit, & notæ velut in massa farinæ subacta fermento imprimuntur, & pedes intumescunt, ac crura. Hic autem morbus fit maxime, si in ipsis aliquid dilaniatum fuerit, aut intus computruerit in partu. Seniores autem magis afficiuntur, & hujusmodi morbus non est valde levis.

Alius fluxus. Purgatur velut a carnibus assatis humor, & pudendum exulceratur, & ad quamcumque aliam corporis partem destillarit. Et rigor, & febris acuta, densa, magna, & simul horror corripit. Dolores autem, quales in omnibus fluxibus. Hæc tota intumescit, & infra umbilicum, & cruribus; & color fit morbi arcuati. Talis autem fluxus ex hoc fit. Postquam sanguis exhaustus subbiliosus factus fuerit, & non fuerit purgatus. Quum sic habuerit, pharmacum bibere oportet. Si quidem fortis fuerit, ex veratro. Si vero debilis, radicem, & elaterium, & posteriore tempore lac caprinum. Aut pharmacum deorsum purgans dato, quod bilem, & pituitam ducit. Uteros autem medicamento cum brassicæ decocto parato colluito. Bibat autem salviam, hypericum, apii semen, singula in vino nigro austero. Jejunæ autem hæc bibenda dato. Si vero ulceratum fuerit pudendum, postea butyro colluito. Deinde pharmacum bibendum dato, & ulcera butyro, resina, myrra, flore argenti illinito. Perluantur autem myrti, ac salviæ ex aqua decocto tepido. Cibis utatur neque salsis, neque acribus, ne mordax urina fiat, & a marinis prohibeatur, & carnibus bubulis, &

ovillis, ac porcinis. Aliis autem carnibus utatur coctis. Edat etiam panem, & vinum vetus odoratum nigrum bibat.

Si vero hæc fecerit, & sana non fiat, totam foveto, & postridie pharmacum sursum purgans dato. Deinde intermissione facta, rursus quod infra purget, & si quidem manserit fluxus post pharmaca, decoctum serum quotidie bibendum præbeto. Vesperi vero sorbitionibus, & vino dulci albo utatur. Si vero non adfuerit serum, lac asininum coctum per dies quatuor bibat. Ad vesperam autem iisdem utatur. Postea per dies quadraginta lac bubulum calidum bibat, & per diem nihil edat, ut ita dicam. Optimum enim hoc est. Nam & purgatur, & nutritur, & fluxus obtunditur ab hujusmodi lacte. Vesperi vero cœnet carnem volucris modicam assatam, & panem modicum subcineritium. Bibatque insuper vinum nigrum vetus vinosum, quamdiu lac biberit, si multa prodierint, & acrimonia vexarit, & si his factis in ventre conceperit, sana fit. Quæcumque vero seniores sunt, in his morbus quandoque revertitur, & pereunt. Juvenculis autem non est lethalis.

Diuturna porro est saniosi fluxus curatio. Fluit autem talis subcruentus velut a carnibus assatis humor, & mordet velut muria, & corrodit, ac exulcerat pudenda, & uterus exulceratur circumcirca, & femora, & aliæ partes, & ubi super vestes destillarit, tinguntur, & ægre elui possunt, & venter attollitur, ac durus fit, & ad contactum dolet, & calor corripit, & dolor ad pudenda, & sedem, & imum ventrem, & laterum mollitudinem, & coxas, & lumbos irruit, & impotentia adest, & color mutatur, velut morbi arcuati. Si vero tempus, & morbus producatur,

hæc omnia amplius corripiunt, & cavæ partes attolluntur, & pedes tument, & crura a lumbis. At hic morbus corripit, ubi quid de fetu dilaniatum fuerit aut in abortu, aut in partu. Oportet autem fomenta adhibere, & suffire, & bibenda præbere omnia ea, quæ fluxum sistunt, & lac asininum, & alia exhibere, & vomere, si opus fuerit. Si vero sine febre fuerit, & debilis febris habuerit, siccum fomentum adhibere melius est.

Quum ad caput conversi fuerint uteri, & hac parte suffocatio desinit, caput gravat. Verum aliis alicubi alias finis habetur. Signum autem hoc est. Venas in naso, & partes sub oculis dolere dicunt, & sopor altior tenet, & spumat, ubi levius habuerit. Hanc multa calida lavare oportet. Si vero morbus non obediat, frigida etiam circa caput, ita ut laurum, & myrtum in aqua coquas, ac frigefacias. Unguento autem rosaceo caput illinatur, & odorata subter suffiantur, graveolentia vero sub nares, & brassicam edat, & succum sorbeat. Si vero ad cor progressi uteri suffocent, & aer impeditus violenter adtrahatur, anxia est, & vomit, & quibusdam statim tractus deorsum cedit, & flatus exit, & aliqua quidem vomit spumosa, alicui vero quies contingit. Quibus autem non decedunt, his porri semen, & peplum, trita, & tribus aquæ cyathis diluta, bibenda dato. Auxiliatur & aceti albi cyathus potatus. Aut juniperi fructum, & salviam dato, aceto, aut vino ad has species admixto. Oportet autem ipsam calefieri. Aut adipem sumere anserinum, & ceratum resinatum, ac picem in ipso liquefacere, & subdititias glandulas efformare.

Quum autem ad præcordia adlapsi strangularint, ubi hic fuerit affectionis soliditas, & vomi-

tus fervidus acris corripit, & modico tempore mitior fit, & dolor ad caput, & ad collum penetrans. Tepefactoria igitur adponito, si sursum strangularint. Sub nares vero graveolentia suffito, sensim progrediendo. Si enim acervatim uteri infra decedunt, turba oboritur. Odorata vero inferne, & castorium, ac conyzam bibenda dato. Quum vero deorsum tracti fuerint, abominanda subter suffito, sub nares autem odorata. Si vero dolores quieverint, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & postea lac asininum, aut serum bibenda præbeto, si non lienosa fuerit a nativitate, aut exsanguis; aut decolor, aut aurium sonitus habuerit, velut hæ, quibus propter cognationem morbi a juventute sunt familiares. At supernum ventrem ne moveto; cæcutient enim, aut circa fauces turbationes, & alia infestabunt. Verum ptisanæ succum dato. Si vero etiam valde facilis sit ad vomitum, vomat. Collutio autem optima est ex narcisso. Subdititium vero id, quod ex cantharidibus præparatur.

Quum uteri apud præcordia constiterint, suffocatur velut a veratro, & recta cervice spirat, & stomachus fortiter vellicatur. Quædam etiam vomunt quandoque salivam acidam, & os aqua impletur, & crura perfrigerantur. Tales, si non brevi a præcordiis uteri discedant, loqui non possunt, & partes circa caput, ac linguam torpor occupat. Proinde ad uteros quidem lanam quammaxime fieri potest, ad foramen adponito, ita ut pennæ obvolutam, unguento albo, aut Ægyptio, aut Bacchario, aut amaracino tingas. In nares vero, de pharmaco nigro ad caput præparato, specillo exceptum infarcias. Si vero hoc non fuerit, silphii succo nares illinas. Aut pennam aceto tingito, & immittito, naresque illinito.

Aut ſternutatorium adponito. Quum autem conclufum fuerit oſculum, & internus trames, caſtorium in vino bibendum dato. Nares vero phocæ adipe illinito. Lanam autem adpoſitam ſinito, donec conſidant. Quum autem quieverint, auferre oportet. Si vero ea ablata rurſus recurſarint, lanam rurſus eodem modo adponere. Sub nares vero cornu capræ nigrum, aut cervinum ſuffire, ſcalptum, & in cinerem calidum inſperſum, quo maxime ſuffumigetur, & nidorem ſurſum per nares quammaxime poteſt, trahat. Suffito etiam phocæ adipem, prunis teſtæ impoſitis, ipſaque obvelata, & capite imminente, quo odor maxime ingrediatur, ita ut de adipe inſtilles, & ipſa odorem ſurſum trahat; os vero clauſum habeat. Et ſi quidem ſurſum adlapſi fuerint uteri, hæc facere oportet.

Si vero ad hepar converſi fuerint uteri, mulier derepente voce deſtituitur, & dentes conſerti ſunt, & color lividus fit. Derepente vero hæc patitur ſana exiſtens. Contingit autem maxime virginibus antiquis, & viduis, quæ pepererunt aliquando, & viduitatem agunt. Maxime vero contingit omnino non ferentibus uterum, & ſterilibus ex partu. Non enim prodit puerperii purgamentum, & non intumeſcit uterus, neque mollitur, neque vomunt. Quum ſic habuerit, tumorem ab hepate cum manu infra leniter detrudito, & præcordia cum faſcia deligato, & os aperito. Vinum vero odoratiſſimum dilutum infundito, quando ſane etiam graveolentia ad nares adhibere, ac ſuffire convenit; ad uteros vero odorata, & ſuffimenta, & poſtquam ſic curaveris, pharmacum deorſum purgans bibendum dare oportet, ſi quidem bilioſa fuerit, quod bilem purgat; ſi vero pituitoſa, quod pituitam. Et poſtea lac aſininum

coctum bibendum præbeto, & uteros odoratis foveto, & medicamentum, quod cum buprefti præparatur, adponito, poftridie vero netopum. Interpofitis autem duobus diebus rurfus uteros odoratis colluito, & poftea intermiffo die, aromatis fuffito. Atque hæc vidua faciat. Optimum autem in ventre habere. Virginem vero perfuadeto, ut viro cohabitet. Ad nares autem nihil adhibeto, neque medicamentum jejuna bibat. Verum caftorium, & conyzam in vino odoratiffimo bibat per dies viginti, & caput odorato aliquo ne ungat, neque aliquod odoratum olfaciat.

Si vero uteri inflammati fuerint circa latus, fi contigeris, durum apparet, & quum ad præcordia adlapfi fuerint, ftrangulant, & vomit pituitam acidam, & dentes ftupefcunt, & ubi vomuerit, melius habere videtur. Quum vero deorfum proceſſerint, difcedunt de ventre alias alio. Maxime vero ad laterum mollitudinem quandoque incidunt, & ad veficam, & urinæ ftillicidium corripit, & ad fedem, & cacare fibi videtur, & menfes prius, aut pofterius folito fiunt, aut pofterius folito fiunt, aut non ftatim huic apparent. In hoc morbo, fi furfum ftrangularint, tepefactoria adponito, & graveolentia ad nares fuffito, ad uteros autem odorata, & conyzam fœminam, & caftorium in vino jejuna bibat; poftquam vero ad naturam fuam confederint, placide fuffito. Bibat autem urinam cientia. Atque hæc faciat, quamdiu dolores tenuerint. Ubi vero quieverint, totam foveto. Deinde pharmacum deorfum purgans bibendum dato, fi biliofa fuerit, quod bilem purgat; fi pituitofa, quod pituitam ducit, & lac afininum bibendum dato, aut ferum caprinum decoctum. Si vero lienofa fuerit, lac ne bibat, neque ferum, & in purga-

tionibus cibis utatur mollibus, & per alvum secedentibus, pisces autem meliores sunt carnibus, & uteros foveto, aut subdititiis purgato, ipsosque colluito, & ubi suffitum admisit, ad virum accedat. Solutio vero morbi contingit, ubi in ventre conceperit.

Si uteri ad latera adlapsi fuerint, tussis obtinet, & dolor sublatus, & insidet uterus durus velut pila, & ad contactum dolet velut ab ulcere, & contabescit, & videtur ipsi peripneumonia esse, & contrahitur, & gibbosa fit, & menses non adparent. Aliquibus autem, quibus prius adparuerunt, etiam pereunt, & si tunc prodeant, imbecilles sunt, & pauci, ac deteriores, & genitura non fit hoc tempore. Quum sic habuerit, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & multa calida lavato, & ex tepefactoriis quæcumque admiserit, adhibeto, & a quibus sanguis purgatur, ea adponito. Et lini semen torreto, tundito, ac cribrato, & peplum album, & salviam cum tenui polenta, & caseum caprinum, muria derasa. Hæc misce, ut casei sint partes duæ, reliquorum vero, & polentæ non salsæ pars una, & jejunæ in vino bibenda dato. Vesperi vero cyceonem crassum melle adfuso exhibeto, & ex potibus quemcumque admiserit, bibendum dato. Et frequenter fomentum adhibeto, & calidam adspergito, & per ceratum leniter mollito, ac a latere detrudito, & latus fascia lata deligato. Et lac bubulum quamplurimum ad dies quadraginta bibendum præbeto. Cibis autem utatur quam mollissimis. Morbus hic vehemens est, & lethalis, & paucæ, etiamsi sic curentur, effugiunt.

Si vero in lumbis fuerint uteri, aut in lateris mollitudine, & spiritus sublimis iverit, & suffo-

catio habeat, & anhelatio densa ipsam corripiat, & moveri non vult; sulphur, aut bitumen, aut cicutam, aut myrrham terito, & melle cocto adfuso, glandulam longam efformato, ac crassam, eamque in sedem indito.

Si uteri devolverint se ipsos ad intermediam lumborum, ac coxarum partem, dolor habet imum ventrem, & crura contrahuntur, & juncturas coxarum ad sedem dolet, & quum alvum exonerat, dolores emergunt acuti, & stercus cum violentia prodit exiguum, & urina destillat, & pusillanimitas ipsam corripit. Quum sic habuerit, fistulam ad vesicam adligare oportet, & oleum calidum in uteros infundere. Et fomentum adhibere, aut multa calida aqua lavare, & in oleum, & in aquam desidere. Suffire autem subter pudenda graveolentia, sub nares vero odorata; postquam autem dolor quieverit, pharmacum sursum purgans dato. Infernum vero ventrem turbare non oportet. Ubi vero uteri consederint, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum, si non fuerit lienosa. Postea fomento adhibeto, uterosque adspergito, & subdititium purgatorium, quod cum lauro præparatur, & non mordet, adponito. Deinde aromatis suffita, ad virum accedat, & si in ventre habuerit, sana fit. Verum pleræque steriles, & cruribus mutilatæ fiunt.

Quibuscumque osculum alio inclinatur, & ad coxam adlabitur. Contingunt enim & hæc, quæ uterum purgari prohibent; & genituram suscipere, & liberos gignere. Hanc odoratis fovere oportet, & post fomentum, digito revellere, & a coxa disparare, & postea tædulis, ac plumbeis fistulis immissis dirigere. Non enim velociter cogi potest, velut dictum est. Quum autem ad naturalem situm redierit, & uteri aperti fuerint, subdi-

ſubdititiis mollibus purgato, & alia convenienter facito.

Quibuſcumque uteri ad coxam collabuntur, ſi non brevi diſcedant, & rurſus in locum ſuum redeant, ad coxam reſiccantur. Neceſſarium eſt autem oſculum averſum eſſe, & in ſupernis detineri. Quum vero averſum fuerit, concluſum eſſe. Ex averſione vero, ac concluſione, durum fieri, & mutilatum eſſe. Ubi vero uteri concluſi fuerint, menſes ſurſum ad mammas delegare, & ad pectus adſcendere facit, & imus venter attollitur, & inexpertæ in ventre ſe habere putant. Talia enim patiuntur, qualia prægnantes, uſque ad ſeptem, aut octo menſes, & venter pro temporis ratione creſcit, & pectora elevantur, & lac innaſci videtur. Quum autem hoc tempus præterierit, & mammæ gracileſcunt, ac minores fiunt, & venter idem perpetitur, & lac evaneſcit. Venter item eo tempore, in quo ſe parituram ſperabat, evaneſcit, ac concidit. His vero contingentibus, uteri modico tempore fortiter contrahuntur, & oſculum ipſorum reperire non datur, adeo omnia contrahuntur, ac reſiccantur, & in mammis tubercula fiunt dura partim majora, partim minora. Hæc autem non fiunt ſuppurata, ſed ſemper duriora. Deinde ex ipſis naſcuntur cancri occulti.

Quum autem cancri futuri ſunt, prius ora amareſcunt, & quicquid ederint, omnia amara eſſe videntur, & ſi quis plura dederit, accipere renuunt, & compeſcenda faciunt. Mente vero percelluntur, & oculi duri fiunt, & non acute vident, & ex mammis dolores ad jugulum tranſiliunt, & ſub ſcapulas, & ſitis tenet, & mammæ graciles, & ipſæ feminæ per totum corpus attenuatæ ſunt, & nares ſiccæ, ac obſtructæ ſunt, &

non levantur. Spiritus est imminutus, & nihil omnino olfaciunt, & in auribus dolor quidem non oboritur, verum aliquando callosa concretio. Quum igitur ad hoc temporis progressæ fuerint, sanæ fieri non possunt, sed pereunt ex his morbis. Si vero priusquam huc perveniant, curatæ fuerint, & menses soluti fuerint, sanæ fiunt. At vero curare tales oportet hoc modo. Primum quidem omnium, si ægram adhuc fortem nactus sis, reliqui corporis respectu habito, quacumque tandem purgatione opus habere videtur, medicamentum exhibeto. Ubi vero corpus præparaveris sic, ad uterorum medelam procedito. Si vero totum corpus minime movendum esse videatur, neque morbi caussæ hinc proficisci, verum uteri a se ipsis morbum habeant, curam hoc modo auspicare. Primum quidem uteros sic foveto. Ollæ duas sextulas capienti, operculum imponito, ac adaptato, ut nihil prætersspiret, deinde vero operculi fundum pertundito, ac foramen facito. In foramen autem arundinem indito longitudine cubitalem. Oportet autem arundinem operculo probe adaptari, ut penitus nihil prætersspiret.

Quum autem hæc paraveris, operculum ollæ obdito, lutoque oblinito, & ubi hæc feceris, fossam duorum pedum altitudine effodito, ea magnitudine, quæ ollam capere possit, postea vero ligna immissa urito, donec fossa ab igne excandescat. Quod ubi factum fuerit, ligna, ac prunas, quæ crassissimæ, ac ignitæ fuerint, eximito. Cinerem vero, ac favillam in fossa relinquito. Quum autem olla efferbuerit, vapor sursum processerit, si quidem valde calidus fuerit vapor, abstineat. Si vero non, summæ arundinis parti insideat, ipsamque in uteri stomachum indat, atque sic fomentum admittat. Si vero perfrige-

retur, prunas ignitas adjicito, cavendo, ne acutum fomentum facias. Si vero adjectis prunis, acutum fiat fomentum magis quam convenit, prunas detrahito. At vero hoc fomentum clementi cœlo parare oportet, ubi ventus non adflarit, neque perfrigeret. Ipsam autem indumentis obvelatam esse oportet. Cæterum in ollam allium siccum injicere oportet, idque magis comminutum quam ea, quæ sunt contusa, & aquam adfundere, quo ipsum permadescat, & aqua tribus digitis ipsum excedat; & phocæ oleum superfundere, atque sic calefacere, ac fomentum adhibere per multum tempus; post fomentum vero, si potens fuerit, lavetur toto quidem corpore ad voluptatem, lumbis autem, & partibus infra umbilicum, amplius. In cœnam porro dato mazam, panem, & allium coctum.

Postridie vero si quidem exsoluta fuerit a fomento, eam diem intermittito; sin minus, rursus fomentum adhibeto. A fomento vero, si considerare hoc potest, osculum contingere jubeto, num fomentum ipsum uteros flatu implet. Si enim flatu implentur, osculum ex valida aversione, & ad coxam allapsu magis dirigunt, ac aperiuntur. Tamquam igitur tale sit fomentum, & hæc facere possit, sic fovere oportet. Quum autem fomentum adhibebis, allium injicere oportet, & phocæ adipem superfundere. Atque hoc faciendum est, donec uteri videbuntur inflati, & osculum fortiter sursum tractum. Nam ad hoc fomentum talia contingent. Post fomentum vero diætam constituito, velut priusquam fovebatur.

Quum vero commoti fuerint uteri, ac facile solubiles fiant, fœniculi radicibus foveto, & aliam ollam eodem modo præparato. Radices autem fœniculi elotas contundito, & in ollam mittito,

& adfusa aqua, eodem modo fomentum facito. Postea vero lavato, & ad vesperam mazam cœnet. Si vero panem voluerit, & bolbidia parvi polyporum generis, & sepiolas parvas in vino, ac oleo coquito, & edenda dato At inter fomenti adhibitionem osculum contingere coneris, an fomentum uteros propinquissime adducat. Hos fovere oportet ad dies quinque, vel sex, hominis consideratione habita, & si quidem exsolvatur, ac debilis sit, differre ad sufficiens tempus. Si vero non exsolvatur, fovere per omnem diem. Post fomenta vero subdititia adponere conare ex albicante tæda pinguissima. Illitio autem sit oleum; facito autem hæc longitudine quidem digitorum sex, numero vero quinque, vel sex; figura vero in angustum abeunte. Sit autem alterum altero paulo brevius; crassitudo vero ejus, quod crassissimum est, sit digiti indicis, & forma similis digito, summa parte tenuissima, in processu vero crassior. Hæc autem levissima, ac rotundissima facito, cavendo, ne ulla adsit fissura.

Adponat autem primum id, quod tenuissimum est, & ubi adposuit, quiescat, observans, ne excidat. Adponatque primum summam partem, deinde semper amplius, simulque obtorqueat, ac circumcirca tædam intro trudat, & ubi parum susceperit, in hoc parvo se contineat, cavendo, ne excidat, postea rursus eodem modo intro trudat, donec quatuor digitorum mensura intra osculum uterorum recipiatur. Quum autem hoc susceperit, alterum postea adponat, simul ut prius insitum aufert, quo priusquam osculum conniveat, recipiatur, dum adhuc rectum est, & apertum. Hoc autem ita continget, si alterum eximatur, alterum autem indatur. Oportet autem & plumbum simile figura crassissimæ tædæ forma-

tum intrudere, quod cavum ſit, quo continere quid poſſit, plumbi vero amplitudo ſit talis fabricata, qualis in ulcera impellitur, ita ut os ipſis leve ſit, & non ſauciet; formato autem hæc velut etiam ſubdititia ex tædis. Quum autem factus fuerit hujuſmodi plumbeus penicillus, adipe ovillo trito, ipſum expleto, & ubi ita præparatus fuerit, tædam quidem ſubtrahito, plumbum autem indito. Si vero plumbum adpoſitum ardorem exhibeat, plumbum quidem detrahito, tædam vero rurſus adponito. Et plumbum in aquam frigidam immergito, & poſtea rurſus adponito, ac tædam eximito. Semper autem aliquid adpoſitum eſſe oportet, & interdiu quidem melius eſt tædam habere, noctu autem plumbum. Si vero ſurgere voluerit, cum cautione hoc faciat, quo penicillus intus quieſcat; ſin minus, ſtatim rurſus ſubdatur. Si vero ex tædis adpoſitis nullam ſuſcipiat, tenuiorem facito, donec ſuſcipiat, ex his ad illa tranſeundo, & obedientes uteros faciendo.

Si vero neque oſculum aperiri poterit, neque uteri prope acceſſerint, rurſus ad veterem medicinam redito, a prima ad ſecundam, donec molleſcant, & propinquiſſime accedant. Et poſtquam aperti fuerint, ſubdititia facta adponito. Sint autem magnitudine olivæ. Horum autem alterum adpoſitum ſit donec liqueſcat, & deinde alterum adponito. Quum autem adponere voles, ipſum ſubdititium medicamentum ex reſina præparatum, in oleum roſaceum, aut irinum tingito. Nam alias ab oſculo uterorum recedit. Prius tamen plumbum adpoſitum eſſe oportet, quo recto oſculo in internam oſculi partem adtrahatur. Poſtea vero mollitoria adponito. Lavet autem calida & ante, & poſt ſubdititia medicamenta.

Et in cœna exhibeto quid ex relatis marinis. Exhibeto autem duobus, aut tribus diebus ab adpositione, consideratione habita, an osculum uterorum bene habeat, et purum sit. Quod si est, ab hoc subdititio quiescito. Postea vero mollitoria adponito.

Quum vero inflammatum fuerit os uterorum, rursus eodem modo pharmaca adponito, reliquaque facito juxta relatum modum. Ubi vero probe habuerit corpus, velut dictum est, sufflato. Sed et osculum, et uteros sufflare oportet sic. Subdititium factum cum ficu adponito, duo autem subdititia facito, et antequam subdas, fomentum adhibeto ex fœniculo prius relatum, postridie vero post fomentum, adponito medicamentum, & quum adponere voles, præ omnibus subdititiis, ubi prius laveris ipsam ita adponito; postera autem die mollitoria auxiliantur, quamdiu uteri inflammati fuerint, post inflammationem vero alia facito juxta priorem rationem; facito item de hoc subdititia talia, qualia de priore. Et si quidem in mense semel adpositum, satis videbitur inflasse uteros, quiescito. Si vero aliqua opus habuerit, rursus adponito eodem modo, quo prius, Postea vero, ubi femina bene habere tibi visa fuerit, &tempestivum esse, fomentum ex suffimentis præparato.

Præparatur autem hoc modo. Cyperum tusum præparato testæ conchæ mensura, et calamum unguentarium eadem mensura, et junci unguentarii tantumdem, cardamomi tantumdem. Cumini item Æthiopici, et anisi, et rutæ siccæ, et hyperici, ac fœniculi seminis. Quum autem hæc præparaveris, vini austeri albi odoratissimi heminas sex in ollam infundito, et de contusis quadrantem inspergito, ac permisceto. Deinde un-

guenti Ægyptii optimi, aut amaricini, aut irini, trium obolorum pondus adfundito, permifceto, et molli fomento plurimo tempore foveto. Ante fomentum vero lavato, et duos, aut tres dies foveto. Quum autem fovere defierit, operculum quoddam fomento imponere oportet, ne tranfpiret. Poftea vero tædis, & plumbis utere. Quum autem duobus, aut tribus diebus fomentum adhibueris, alias duas, aut tres intermittito. Intermediis autem diebus bis in die lavato. Edat autem porrum coctum, & crudum, & raphanos, & nafturtium, & allium affatum, ac coctum, & potus fit meracior, & marinis prædictis utatur. Quum vero intermedii dies præterierint, rurfus fovere oportet, ita ut modicum de fingulis contufis ad prius fomentum infpergas, & vinum infuper adfundas, fi opus effe videbitur, itemque oleum, atque cum hoc foveas. Poftquam autem fomenta bene habere tibi vifa fuerint, & ofculum molle effe, ac apertum velut convenit, & ipfi uteri prope; poftera die a fomento, pharmacum, quod cum myrrha præparatur, adponito. Sunt autem appofititia duo, poftridie vero poft purgationem mollitoria fubdito, quamdiu uteri fuerint inflammati, poftea vero tædis, ac plumbeis penicillis utere.

Poft hæc intermiffis diebus, quotquot vifum fuerit refpectu ad inflammationes uterorum habito, & virium corporis conjectura facta, rurfus, velut fcriptum eft, refoveto. Si quidem prius fomentum adhuc fufficiens effe videbitur, conjectis ad hoc fuffimentis velut prius, & vino, ac oleo adfufo. Si vero inutile effe prius illud fomentum videatur, aliud ex integro præparato. Oportet autem hoc pharmacum renovare in fingulis adhibitionibus, quamdiu fubcruenta purgan-

tur. Si vero talia purgata fuerint, quiefcat. Diæta porro hoc modo conftituatur. Interrogato, in quibus diebus menfes ipfi prodierint, & ab his initio facto hanc diætam præfcribito. Primum quidem multa calida lavetur, capite excepto. Quum autem ceffaverit, cafeum acrem, & rutam, vino nigro pari aqua temperato diluito, & poftea polenta infperfa, ftatim ex balneo bibenda dato. Deinde prandium tempeftive exhibeto. Edat autem mazam, aut panem, & porrum coctum, aut crudum, & de hujufmodi omnibus acribus præfcriptis, & aliquando leguminis fracti decoctum, fpumam autem ne detrahito, & filphium multum derafum addito, ac multa allia incoquito. Obfoniis autem utatur pifcium, cartilagineis omnibus coctis, aceto mulfo dulci, aut favorum cremore cocto; bolbidiis, polypodiis in vino, & oleo, & filphii femen tritum bibat, & quamplurima tum in prandio, tum in cœna edat. Lavetur autem poft cœnam, quum requiefcere volet. Hac diæta ad dies quinque, vel fex utatur, poft hos dies, mane jejunæ fambuci fructus baccas fex in vino meraco dato, & fepiæ ova decem, aut duodecim. Hæc trita fimul mane jejunæ bibenda præbeto, poft hoc vero pharmacum potionem dato. At ubi interquievit, lavetur. Sit autem potio, ruta, & cafeus, atque fic prandeat præfcripto modo. Serius autem cœnet, & femper bis in die lavetur. Hæc autem diæta ad dies tredecim, aut quatuordecim procedat.

Quum vero hi dies præterierint, catapotia ex fucco filphii fabæ magnitudine formato, atque hæc primum dato, poftea vero alia præfcripta facito. Quum autem dies tranfacti fuerint viginti quinque in hac diæta, reliqua quidem facito eodem modo. Ante prandium vero, ubi prandere

volet, allii ſegmenta quatuor, & caſeum acrem tali magnitudine terito, & polentam modicam admiſceto, ac maſſam efformato, eamque primum edendam dato. Ante cœnam vero meracum abſorbeat, atque ita cibum capiat. De cætero vero eadem diæta utatur. Quum autem novem dies reliqui fuerint ad tempus menſium, primum hoc dato. Cum ovis, & ſambuco, cuminum Æthiopicum, & caſtorii obolum. Ubi vero duo dies reliqui fuerint, ab his omnibus potionibus, ac catapotiis abſtineat. Verum pharmacum cum tæda præparatum jejuna, ubi lavit, ſumat. Poſt medicamenti vero potum, mercurialem, & braſſicam ſimul in aqua cocta dato cum aceto mulſo dulci, aut favorum cremore cocto, ſale, ſilphio, & oleo condita. Atque hæc in prandio edenda præbeto, & ſuccos ſorbendos, & potum meraciorem bibat. Obſoniis autem utatur polypodio cocto, aut ſepiolis, & hæc quidem in prandio. In cœna vero ſumat carnem caprinam, aut ovillam, aut agninam percoctam, & porrum, & alia acria, quæcumque voluerit. A cœna vero lavetur, & hæc ſit diæta poſtremis duobus diebus.

Si vero ex hac diæta menſes non fuerint detracti, ſequenti menſe eamdem diætam ab initio repetito uſque ad poſtremos duos dies. In quorum priore adpoſititia facta adponat, juxta ſuperiorem rationem, ex pharmaco in aqua facto. Adponat autem prælota. Verum conſiderare oportet etiam uteros, quomodo habent, quo ſemper omni tempore bene habeant, & os rectum, ac apertum ſit, & ſi ita viſum fuerit, ante adpoſitionem fomenta adhibeto. Quod ſi eruperint menſes, ſi quidem frequentes fuerint, paucioribus lavacris utendum eſt, & reliqua diæta, ac curatione. Si vero pauciores, pluribus. Si vero ſignificationem de ſe præbuerint,

rurſus eadem diæta utendum eſt, ac curandum, donec menſes adparuerint. Quum autem ſemel talibus feminis prodierint, optimum fuerit in ventre concipere. Atque hæc eſt omnium hujuſcemodi morborum curatio.

SECTIO II.

SI uteri contingant coxam, & incumbant, dura, ac ſolida fit coxa ad lateris mollitudinem, & dolores imi ventris, & ad ipſam lateris mollitudinem, & lumbos, ac crura dolor incidit, ac extenditur, & ſuppurantur, & linamentis opus habent, & pereunt, niſi quid ſeces, aut uras. Quum ſic habuerint, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & multa calida lavato, & uteros foveto, ita ut urinam veterem in pelvim infundas, ac fervefacias, & ſupra ipſius cavitatem mulierem colloces veſtibus contectam, ne præterſpiret, & ſi frigeſiat urina, ferri igniti fruſta in urinam immittas, & fomentum facias, donec ſe obſcure videre, & animo deficere dixerit. Lavato autem calida aqua, & poſtea digito contingens os uterorum ad ſanam coxam trahat. Et noctu mollitoria adponat. Poſtquam autem dixerit directum eſſe, facto prius cum odoratis fomento, rurſus mollitoria quædam adponito. Imo & plumbeos penicillos per triduum, ſingulis diebus unum, poſt hos vero bryoniam albam, aut ſcillam per triduum. Poſtea vero conſideratis menſibus, diſce an bilioſi ſint, aut pituitoſi, aut an ſanguis ſit corruptus, & ſi opus fuerit ipſi ſanguinem purgare, quocumque maxime opus habere tibi viſa fuerit, id adponito. Et poſtea cum ejusmodi colluito. Adponito autem ſubdititia medicamenta, donec ſanguis purus educatur, &

hoc per triduum facito. Deinde cervinum adipem liquatum, molli lana eo imbuta, adponat, poſtea per diem pulegium ſubdat, & aromatis ſuffita ſic ad virum accedat.

Si vero ex partu morbus fiat, ubi ex urinæ fomento penitus purgata eſt, ſtatim ad odorata accedat, & poſtea lota, oleum album Ægyptium ad ſanam coxam adponat, & ſuper hanc decumbat. Si vero neque ad hæc tranſmoveantur uteri, jejuna pæoniæ grana nigra quinque in vino odorato bibat. Et in cibo ſumat allia cruda, & aſſata, & cocta. Obſoniis autem utatur pauciſſimis. Si vero ſana non fiat, ſimiliter ipſam purgato, velut in priore dictum eſt. Cæterum in hoc morbo, ſi non ſtatim in ventre habuerint, ſteriles fiunt. Si vero ſic habuerint, menſeſque non fiant, neque febrilis calor corripiat, primum pharmacis ſurſum maxime purgato. Si vero debilis fuerit, deorſum. Et poſt pharmaci potionem, ſi pituitoſa eſſe viſa fuerit, vomat jejuna, & accepto cibo, & plerumque ſana fiet.

Si uteri ad coxam decurrerint, menſes craſſi exſiſtentes non prodeunt. Verum dolor ad imum ventrem procedit, & ad lateris mollitudinem, & morſum percipit. Quum ſic habuerit, multa calida lavato, & allia plurima edenda dato, & lac convenienter bibendum, deinde vinum meracum, & totam foveto, & pharmacum ſurſum purgans exhibeto. Si vero debilior fuerit, infra. Si vero curata fuerit, uteros cum fœniculo foveto, & abſinthium admiſceto. Poſtquam autem recens fota fuerit, os uterorum ſenſim cum digito ad ſanam coxam detrahito, ita ut & ipſum os, & partes circumcirca affectas leniter mollias, & mollitorium quoddam adponas, & poſtea plumbeos penicillos, & mox ſcillam, deinde narciſſinum, una die interpoſita. Quum vero pura eſſe viſa fuerit, netopum adponat in lana,

& poſtridie oleum roſaceum. At menſibus prodeuntibus, melius eſt non adponere. Si vero non prodeunt, cantharidas quatuor ſine alis, ſine pedibus, & ſine capite, & pæoniæ grana nigra quinque, & ſepiæ ova, & apii ſemen modicum in vino bibat. Et ſi dolor adfuerit, & urinæ ſtillicidium vexarit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat. Si vero non purgetur, rurſus pharmacum bibat. Si autem purgatio prodeat, jejuna cum viro coëat. Si vero non prodeat, dato, quod detrahat ipſam, reſpectu ad vires mulieris habito, & tunc tutum eſt, ut ad virum accedat. Si enim in ventre habuerit, ſana evadit. In purgatione vero, ſi multa prodeat, mercurialem edat, & polypos teneros coctos, & cibis mollibus utatur.

Si puerperæ uteri in coxam incubuerint, aut ad lateris mollitudinem, ad alteram coxam oleum Ægyptium album, aut roſaceum adponito. Sed & in ſanam coxam decumbere melius eſt. Bibat autem pæoniæ grana nigra quinque, & ſambuci fructus in tædis conchæ teſtam majorem, & caſtorium magnitudine fabæ. Et cibis utatur mollibus. Convenerit autem mercurialis ante cibum, cocta velut braſſica. Sorbeat autem & ipſam decocti aquam, & acria comedat, exceptis raphano, & cepis, ac naſturtio. Optima eſt & lactuca.

Quot vero morbos ex uteris fieri contingit? Dico autem, quum uteri ex loco moti fuerint, alio alias adlabuntur. Ad quemcumque vero locum adlapſi fuerint, dolores ingentes incumbunt. Et ſi quis veſicam contingat, dolorem exhibent, & urinam non ſuſcipiunt, neque genituram in ſe ipſos trahunt, & ambo dolent, et ſi non celeres ſolutiones fiant, uteri poſtea ſuppurantur juxta eoſdem locos, ſi ad ipſos decurrerint. Contingit autem hoc et in laterum mollitudine, et in in-

guinibus, et ſuper pectine. Cæterum in principiis, quum dolor habuerit, ſic curare oportet, et tepefactoria adhibere, et in aqua calida ſedere. Bonum enim et hoc eſt, aut ſpongiis ex calida aqua expreſſis fovere, et pharmaca uteris commoda bibere. Si vero ad hæc non ſolvatur, pharmaco ſurſum, aut deorſum purgare, utro tandem opus fuerit; cognoſces autem id hoc modo. Si enim ad inguina, & pectinem, & veſicam irruerint, hæ purgatione ſurſum opus habent. Si vero ad laterum mollitudinem, et præcordia, hæ pharmaco deorſum purgante indigent. At vero hujuſcemodi morbi omnes ſenioribus magis, quam junioribus fiunt, ad menſes ſuppreſſos; fiunt etiam juvenculis, ubi multo tempore viduæ manſerint. Si vero ad ſedem convertantur uteri, ſeceſſus recrementa impediuntur, et dolores occupant lumbos, et imum ventrem, et inteſtinum rectum, ac podicem. Quum ſic habuerit, calida ipſam lavare oportet, et lumbis fomentum adhibere, et poſtea graveolentia ſubter ſuffire, et adponere, quæ purgant, et impellunt uteros, et bibenda dare quæcumque libenter admiſerit ex maxime conferentibus.

Si vero incumbant in inguina, et urinæ meatus, dolores fiunt fortes, et torpor in cruribus, et urinæ meatus obturatur, et urinam non emittit. Curare vero oportet hoc modo. Ad nares quidem odorata adponito, & unguenta. Ad uteros vero graveolentia ſuffito. Porro omnis occaſio uteros propellere poteſt, ſi quid mali habeant. Nam et a frigore pedum, ac lumborum, et a ſaltatione, et terrore, et lignorum ſectione, curſu ad adclivem, ac declivem locum, et ab aliis multis propelluntur. Proinde hæc conſiderare oportet, ad totum corpus reſpectu habito, quum præ-

ſentes morbi adfuerint, propter talia enim omnia neceſſe eſt plus, aut minus ægrotare, et poſtquam hæc effulſerint, maxime hac parte repentini morbi manifeſti fiunt. Quum igitur hæc advenerint, penitius ex tota femina deprehendere oportet. Nam quæcumque perfrigerationes crurum, aut ſtupefactiones ex frigore fiunt, hæ omnes etiam in uterorum morbis uteros elevant. In talibus itaque aquam calidam adfundere oportet uteris, et circumſitis locis, et ipſos, ac crura excalefacere, quum adlapſi fuerint.

Si circumverſi fuerint uteri ex partu ad dextram partem, et puerperii purgamenta non fiant, et dolor imum ventrem habet, et lumbos, et laterum mollitudinem, ét dextrum crus gravatur, et torpor occupat, et non tremit, et oſculum uterorum contingere non poteſt, ſed ipſos leves, ac fortiter planos deprehendet. Quum ſic habuerit, pharmacum bibendum dato, a quo ſurſum, ac deorſum purgetur, magis vero deorſum, et totum corpus foveto, et præſertim uteros leniter, et calida bis in die lavato, et ex potibus quemcumque libenter admiſerit, experimento facto, præbeto, et viro frequenter condormiat, et braſſicam edat. Si uteri ad ſiniſtram partem, aut coxam declinaverint, dolor acutus, ac vehemens habet lumbos, et laterum mollitudines, ac ipſum crus, et claudicat. Quum ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, et poſtera die ſuffire hoc modo. Hordei chœnices duas, et oleæ folia parum confringito, & gallam contundito, ac cribrato, et hyoſcyami tertiam chœnicis partem. Hæc mixta, et olei hemina dimidia ſubacta in olla nova, per dies quatuor ſuffito. Nocte vero lac bubulum, et mel, et aquam bibat, et calida lavetur.

Si uteri transversim situm habeant, et obliqui fuerint, itemque os ipsorum, menses ipsi partim occultantur, partim prius conspicui evanescunt, & non similes fiunt, sed deteriores, & pauciores quam antea, & genitura non fit hoc tempore, et dolor habet imum ventrem, & lumbos, et coxam, & ipsa attrahitur. Quum sic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, et calida lavare, ac fovere. Ubi vero recens fota, et lota fuerit, digito immisso, os uterorum corrigat, ac dirigat, & odoratorum suffitum admittat, et ex potibus dato juxta experimentum, quem libenter susceperit. Cibis autem utatur mollibus, et allia edat cruda, ac cocta, et cum viro dormiat, et in sanam coxam decumbat. Alteri vero fomentum adhibeat. Morbus autem hic ægre cedit.

Si vero propinquissimi fuerint uteri, frequenter vomat. Uteros autem graveolentibus suffiat, donec in locum suum firmati fuerint. Diæta vero ventrem non emolliente utatur.

Si uteri extra naturam progressi fuerint, febrilis calor habet pudendum, et imum ventrem, et urina frequenter, ac paulatim destillat, et pudendum vehementer mordetur. Patitur autem hæc, si recens ex partu viro condormierit. Quum igitur sic habuerit, myrti baccas, & loti ramenta in aqua coquito, et aquam per noctem sub dio exponito, atque sic frigidissimam pudendo adfundito, et leviter trita hæc adponito. Postea aquam lentium cum melle, et aceto bibens vomat, donec uteri fuerint retracti. Sed et lectum a pedibus altiorem facere oportet, et pudendum graveolentibus suffire, nares autem odoratis. Cibis vero utatur mollissimis, ac frigidis, et vinum aquosum album bibat, et ne lavetur, neque cum viro cœat.

Si penitus ex pudendo exciderint uteri, dependent velut ſcrotum, et dolor corripit imum ventrem, et lumbos, et inguina, et quum tempus proceſſerit, non volunt in ſuum locum redire. Morbus autem hic corripit, quum recens ex partu laborarit, aut fatigata fuerit, ut uteros contactu læſerit, aut cum viro coiverit in puerperiorum purgatione. Quum ſic habuerit, frigefactoria mitigantia adponere oportet ad pudendum, et quod extra propendet depurgatum, malo punico in vino nigro cocto abluere, et intro protrudere. Deinde mel, & reſinam pari utriuſque portione colliquare, et in pudendum infundere. Et decumbat ſupina pedes ſurſum extentos habens. Poſtea ſpongias adponat, et ad lumbos deliget. Quamdiu vero ſic habuerit, a cibis quidem abſtineat, potu vero parciſſime utatur, donec ſeptem prætererint dies, et ſi quidem ſic obedire voluerint, et redire, ſatis ſit; ſin minus, ſummas uteri oras deraſas, et ablutas, picato cerato illinito. Deinde pedes ad ſcalam deligato, ut caput deorſum pendeat, et manu intro detrudito. Poſtea lavato, et crura ipſius viciſſim colligato, atque ſic per noctem, et diem ſinito, ac modicum ptiſanæ ſuccum frigidum dato, aliud autem nihil. Poſtera vero die reclinato, & cucurbitam quammaximam ad coxam affligito, & multo tempore trahere ſinito, & ubi ipſam detraxeris, ne ſcarificato, ſed reclinatam ſinito, et nihil præter ſuccum ptiſanæ exhibeto, donec ſeptem præterierint dies. Si vero ſitis vexet, modicum aquæ bibat. Quum autem ſeptem tranſierint dies, cibis molliſſimis, ac pauciſſimis utatur. Ubi vero ventrem exonerare voluerit, decumbens id faciat, donec quatuordecim prætereant dies. Deinde tepidis fomentis colluatur, melius autem eſt calida velut

velut ex ſole, & quamparciſſime deambulet, & ne lavetur. Ventrem autem ne ſolveris. Cibis vero pauciſſimis utatur, neque acribus, neque ſalſis, & pudendum graveolentibus ſuffiatur, & poſtquam obambulare inceperit, ſubligar geſtet.

Si vero extra pudendum os uterorum exciderit, utpote cervice uterorum prope pudendum ſita, & ampla exſiſtente; fit autem hoc magis ſterilibus, contingitque maxime ex fatigatione, quum mulier laborarit, & uteri calefacti fuerint, ac exſudarint; tunc evertitur os ipſorum per cervicem, ut quod in humidiore, ac lubriciore, & calidiore ſit loco, quam in priori tempore, & ubi hoc contigerit, procedunt uteri foras ad frigus, & oſculum ipſorum everſum prodit. Et ſi quidem brevi curata fuerit, ſana fit, verum ſterilis penitus relinquitur. Si vero non brevi, oſculum dutrum ſemper ipſi extra erit, & fluet illic alias atque alias ſanioſus humor viſcoſus, ac graveolens. Et ſi menſes prodierint, ſi adhuc ejus ætatis fuerit, in lecto decumbet. Temporis autem progreſſu hujuſmodi morbus incurabilis fit, & conſeneſcunt, uteros foris habentes.

Si vero uteri extra prominuerint, ablutos ipſos aqua tepida, oleoque, ac vino illitos rurſus indito, ac deligato, & graveolentia ſubter ſuffito. Sub nares autem odorata. Si vero multo tempore uteri promineant, & ſtupide perfrigerentur, multam calidam aquam adfundito, quo refocillentur. Si vero jam inflentur, etiam aceto ad aquam admixto foveto, ſitque hæc aqua, aut lauri, aut myrti decoctum. Et leniter protrudito, & cerato unguento illinito, & ſi paruerint, ſatis eſt; ſin minus, cum aqua abluito, & aceto modico tepefacto profundito, deinde illinito. Ubi vero conſederint, ablutos, velut dictum eſt, indito,

& alia prædicta facito. Oleum vero ne adhibeto, neque aliud pingue, aut pinguitudinem habens.

Si quid ex osculis uteri complicatum fuerit, menses non fiunt, aut pauci, & pravi, ac dolorifici, & quum viro condormierit, dolet, & quidquid vir immiserit ex coitu, exit, & mulier contingi non vult, neque adtrahit genituram. Et dolor habet imum ventrem, ac lumbos, & os uterorum ad contactum non comparet.

Quum igitur sic habuerit, urina veteri foveto, deinde vomat a lentis decocto, melle, & aceto admixto, postea aqua calida lavetur. Deinde oleo albo Ægyptio in phialam argenteam, aut æneam infuso, & sale addito contecta phialæ insideat, & odor olei per os ipsi penetrarit, ipsam parituram esse, & postera die sanam fore pronuncia, ac confidere jube, & ubi dormire volet, oleum Ægyptium in lana adponat. Postridie vero consideret, an os uterorum magis sit directum, & si esse dixerit, per triduum odoratis foveto, & subdititia, quæ non mordeant, adponito, purgatoque, & cum odoratis, ac mollibus postea colluito totidem diebus velut prius. Quum autem menses prodierint, jejuna, & illota, aromatis suffita, ad virum accedat. Pleræque vero ex hoc morbo steriles fiunt, si non curatus fuerit.

Si ulcerati fuerint uteri, & extreme foras processerint, oleo illitis manibus indito, & myrrhæ puræ pilulas tres devorandas præbe, & laurum viridem tritam bibat vino dilutam, & sic sana fiet. Si in arctum contracta fuerint pudenda, subditium adponito. Anisi videlicet semen, & apii tritum pudendis subdito. Si uteri non in loco manserint, sed modo huc modo illuc transierint, ut dolores exhibeant, & nunc inconspicui fiant, nunc exeant velut sedes, & quum quidem supina fuerit, in

loco maneant, quum vero ſurrexerit, aut ex ſomno expergiſcatur, aut ſe inclinaverit, aut alium quemdam motum fecerit, exeant, ſæpe vero etiam, dum quieſcit. Hanc quammaxime quieſcere, & non moveri oportet, & lectum a pedibus ſternere altiorem, & vomitibus uti. Oportet enim ipſos uteros ſurſum revellere, & acerbis perfundere, & graveolentia ſubter ſuffire, ſub nares autem odorata, & ex malis punicis quodcumque maxime convenerit, & nihil impedierit, in medio per umbilicum perforatum, in vino tepefactum quampenitiſſime ſubdito, deinde lata faſcia deligato, ac circumdato, ut ne elabatur, ſed maneat, & quod opus eſt, faciat, & de peplo cum caſeo, & polenta bibendum dato, quemadmodum ſupra in adlapſu ſcriptum eſt, & de potionibus experimento facto, quamcumque maxime admiſerit, bibendam præbeto. Cibis autem molliſſimis utatur, & cum viro ne dormiat, donec uteri ad locum ſuum redierint.

Si uteri exciderint, hederam ſicciſſimam tritam, ac linteo illigatam adponito, & nihil pingue adhibeto. In potu autem exhibeto triticum recens, & peplum album, & ſalviam, & cyperum, & aniſum. Hæc trita, vino diluta, cum furfuribus hordei bis in die dato, pro vice heminam dimidiam.

Si ad crura, & pedes uteri convertantur, ita cognoſces. Magni pedum digiti convelluntur ſub ungues, & dolor habet crura, ac femora, & incumbit, ac premit nervos circa femur. Quum ſic habuerit, multa calida frequenter lavare oportet, & fomentum adhibere, ſi ferre poterit, & graveolentia ſubter ſuffire. Et femora roſaceo oleo inungat. Si vero loqui non poterit, crura derepente frigida repereris, & genua, & manus, & ſi uterum contigeris,

T 2

non in ſuo mundo ſit, & cor vibret, & dentibus frendat, & ſudor multus ſit, & alia, quæ a ſacro morbo correpti patiuntur, & quæ ab aure exſudant. His frigidam aquam multum adfundere oportet ſuper crura, & manus, & alia facere, velut prius dictum eſt.

Si commoti uteri aliquo adlapſi fuerint, & dolorem exhibuerint, oleæ ſcabiem, & lauri, ac cupreſſi ramenta in aqua cocta, lana excepta ſubdito. Quum mulier recens enixa, onus majus, quam pro natura levarit, aut timuerit, aut ligna ſecuerit, aut cucurrerit, aut alia quædam hujuſmodi fecerit, uteri excidunt ob hæc maxime, aliquando vero ad ſternutationem. Non enim violatur, ſi per vim ſternutans, non apprehenderit nares. Proluere itaque aqua tepida uteros oportet. Deinde betæ ſucco fervefacto ſimiliter, poſtea vino nigro meraco. Si vero non obediat, molſitoria facere oportet. Verum hæc facere oportet, prinſquam perfrigerentur, & leviter intro indere. Deinde crura extendere, ac ſubalternatim ponere, & molle quiddam ipſis ſubigere, a potu vero coerceri oportet tales quammaxime, & ventrem cuſtodire, ut ne exturbetur. Naribus autem odorata adhibere. Hujuſmodi vero poſtea ſi non quieverint, ſed moveantur, veratro purgare oportet. Et ſi non ſatis fuerit, etiam vomitus facere, & non lavari, tacereque ac quieſcere.

Si inflati fuerint uteri, venter adtollitur, & inflatur, ac ſonitum edit, & pedes, & cavæ faciei partes intumeſcunt, & color injucundus fit. Et menſes occultantur, & genitura hoc tempore non manet intus, & mulier anhelat, ſpumatque, ac anxia eſt, & quum expergiſcitur e ſomno, recta cervice ſpiratio ipſam corripit, & quidquid ederit, aut biberit, ipſam moleſtat, & ſuſpirat, ac triſtatur

magis, quam priusquam edit, & suffocatur, & nervi contrahuntur. Et uteri, ac vesicæ dolent, & manus contactum non admittunt. Neque lotium emittunt, neque genituram suscipiunt. Quum femina sic habuerit, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & calida lavet, ac frequenter insideat toto corpore. Quandoque etiam usque ad umbilicum fomentum adhibeto, & interposito tempore ea adponito, a quibus purgetur, & non mordeatur. Suffumiget autem odorata subter pudenda, sub nares vero graveolentia. Et potiones dato, quæ uteros purgant, & ad locum impellunt. Et mercurialem edat, & postea lac bibat, velut de latere scriptum est. Morbus autem hic non est diuturnus.

Si velut in callum indurati fuerint, & osculum exasperatur, & menses occultantur. Quum autem prodierint, asperi adparent velut arena. Si vero etiam digito contigerit, os uteri asperum comperiet, & semper velut callus adcrescit. Quum sic habuerit, cyclaminum terere oportet, & salem, ac ficum simul miscere, & cum melle glandulam efformare, ac subdere, & fomento adhibito, purgantibus eluere. Edat autem mercurialem, & brassicam coctam, & succum sorbeat, itemque porrum, & calida lavetur. Si vero velut in callum indurati fuerint, & menses obtorquentur, & osculum ipsorum clauditur, & non concipit, & velut aliud quid est, & si contigeris, velut lapis illic esse videtur, & est os asperum, ac multis radicibus præditum, & non leve adspectu, & qui ipsum considerat, digitum intro-mittere non potest, & febris circumfrigerans corripit, & fremitus, & dolor uteros habet, & imum ventrem, & laterum mollitudinem, ac lumbos. Patitur autem hæc, si ipsi corrupti menses com-

putruerint. Quandoque vero etiam ex partu, & frigore, aut mala diæta, & aliter. Medicamentum igitur bibendum dare oportet, & multa calida aqua lavare. Oleo item utere, & fomentum adhibe. Quum autem recens lota, aut fota fuerit, specillo immisso aperito, & os ipsorum dilatato, idemque cum digito similiter efficito, & mollitoria, velut dictum est, adponito, & potiones similiter bibendas dato, & eodem modo curato.

Si vero obduruerint uteri, osculum ipsorum durum fit, & clauditur, & menses non prodeunt, sed pauciores, & deteriores, & dolor incidit, & febris, & rigor corripit circa imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem. Quum sic habuerit, multa calida lavato, & tepefactoria adhibeto, si dolor habuerit, & uteros multo tempore cum aqua decocti cucumeris sylvestris foveto, deinde mollitoria adponito. Atque hæc per triduum facito, & si ex contactu osculum uterorum molle adparuerit, ex crudo lino tres penicillos suppuratorios indito, primum tenuem, secundum paulo crassiorem. Crassissimus autem sit magnitudine digiti parvi, longitudine vero quinque digitorum, ita ut hos adipe anserino illitos subdas. Sed & ubi fomentum adhibueris ex odoratis, glandem mollitoriam adponito. Aut nitrum tali magnitudine illitum, ut ne sauciet. Non enim pungere oportet, & adpositum sit ad duos dies. Decedit autem velut cortex, & pellicua crassa. Intermissis vero tribus diebus, cyclaminum cum narcissino subdito. Si vero hæc non purgarint, cum multa consideratione adponito id, quod cum bupresti paratur, & adpositum maneat per diem, & ubi fortiter momorderit, glandem extrahat, & pudendum colluat cum aqua calida, & in oleo insideat, postridie vero lota, cervinum adipem li-

quatum, & molli lana exceptum adponat, & si tibi adhuc purgatione opus habere videatur, tribus interpositis diebus, id, quod cum narcissino paratur, subdito, postridie autem netopum. Deinde rursus tribus diebus interpositis, uteros odoratis, & pinguibus colluito; postridie vero pulegium per unum diem adponito, & sequenti die cum aromatibus suffito, ac foveto. Utatur autem cibis acribus, marinis, aut carnibus. In mensibus vero castorium bibat, & jejuna illita suffita, & cyceonem bibens, ad virum accedat.

Si vero os uterorum non suscipiat genituram, sed durum fuerit, ac conclusum, plumbeum penicillum adponat, velut dictum est, per triduum, ubi calida lota est, & mollitoriis utatur, et supina decumbat, & in aquam calidam insideat, & lanam unguento imbutam adponat. Verum noctu magis adponere oportet. Juxta coxas vero vestes laneas, aut lineas molles supponat, ut ne corpus in alterutram partem dilabatur. Utatur et subdititiis mollibus ex myrrha pinguissima, pice, cera, & adipe anserino. Sit autem myrrhæ dimidium, reliquorum vero duplum, & in lana subdat, duo vero sint subdititia, quorum alterum lota per diem subdet, alterum per noctem, donec molle factum fuerit, & ubi hoc detraxerit, aqua odorata colluatur. Aut grana cnidia decorticata quindecim, & Indici medicamenti aliquantulum, si ita visum fuerit, in lacte mulieris masculum lactantis terito, & cervi medullam, & alia, quæ dicta sunt, ac modicum mellis admisceto. Sit autem lana, quæ hæc excipiuntur, mollis, & pura, & ad diem subdat. Si vero fortius facere voles, myrrhæ parum quid admisceto. Optimum autem est ovi candidum, & adeps caprinus, & mel, & oleum rosaceum: his admiscere farinam,

& tepefacere ad ignem oportet, et quod destillat, lana colligere, ac adponere. Aut adipem rubrum anseris aromatibus conditum, & unguentum rosaceum; permixta, & lana excepta adponito. Præstat autem anseris adipem, & adipem ovillum, ceram albam, resinam, netopum, oleum rosaceum, hæc simul liquare, ac miscere. Ubi vero lota est, hæc tepida intro ad uterorum osculum adponat. Aut cervi medullam, & anseris adipem liquato, & rosaceo, aut irino oleo admixto, in valde molli lana adponito.

Quum mulieri uteri duri facti fuerint, & ad pudenda exierint, dura fiunt inguina, & ardor in inguinibus est, & omnia cancerantur. Quum igitur sic habuerit, cucumeris sylvestris internam partem, & favum terito, & aquæ hemina adfusa in sedem infundito, & purgatur.

Si os uterorum durum fiat, & cervix præ siccitate, & morbus leviter hæserit, ex digiti contactu cognosces, & si ad coxam devolvantur, nihil acre adhibeto. Si enim exulceretur, aut inflammetur, periculum est, ne mulier penitus sterilis fiat. Verum adponito ea, quæ non mordent, a quibus purgetur. Quum vero duri fuerint uteri, & sic doluerint, subdititia adponito, velut est cervi medulla, aut anserinus, vel suillus adeps, & unguentum tritum cum melle, & ovi luteum, ac ceram albam, velut cataplasma emollito, & hordeaceam, aut triticeam farinam cum aqua, & ruta coquito.

Si uteri conclusi fuerint, oscula ipsorum dura fiunt, & genituram non amplius suscipiunt, sed statim, ubi cum viro condormierit, dum crura movet, exit, & dolores imum ventrem, & lumbos, & inguina occupant, & menses omnino non prodeunt. Si vero exeant, pauci, & pravi, ac decolores prodeunt. Quum sic habuerit, multa

calida lavato, poſt balneum vero caſtorium cum pæoniæ radice in vino nigro odorato permixta, bibenda dato. Cibis autem velut puerpera utatur, & ſi manifeſti fuerint menſes, diem unam intermittito, & totam foveto, & pharmacum potandum dato, ſi adſueta fuerit, ſurſum purgans, aut ſi egere viſa fuerit, deorſum. Lac itaque aſininum, aut ſerum exhibeto, & leniter foveto, & mollitoria utero adponito, & cyclaminum, & narciſſinum. Cucumerum vero parvorum ſylveſtrium internam partem ſumito, & ex divulſis ſemen eximito, ac lacte mulieris maſculum lactantis adfuſo terito, myrrha pura, & melle optimo admixtis, oleoque Ægyptio albo, & ne liquidum facito medicamentum, ſed ſiccum, atque hoc in lanam mollem puram infarciat, & in oleo Ægyptio albo tingat, & lota adponat. Subligetur autem, & ſub tecto maneat, quum purgatur.

Poſtquam autem ſufficienter habere tibi viſa fuerit, quieſcat; ſin minus, rurſus aliud adponat, poſtea vero obvolutam lanam mollem, rotundam faciat, & netopum immittat, & diem unam ſubdat, poſtridie vero oleum roſaceum itidem in lana. Deinde rurſus cervi adipem, etiam ipſum liquatum in lana. Lavetur autem calida aqua ſemper ante ſubdititiorum adpoſitionem. Et odoratis leniter foveatur multo tempore. Poſtea vero una interpoſita die, colluito, ſi quidem pituitoſa fuerit, eo quod cum grano cnidio paratur. Si vero biliosa, eo quod cum ſcammonia, poſt hæc ambo poſtridie etiam narciſſino cum vino dulci colluito. Si vero narciſſinum non fuerit, cum anthino, aut irino quamoptimo. Sit autem olei tertia vini pars, deinde interpoſitis duobus diebus, id, quod cum pulegio præparatur, unum diem

adponat. Si vero prodierint menſes, jejuna per triduum bibat caſtorium cum vino odorato albo; ubi vero deſiverint menſes, & ſtabiles fuerint, lavetur, & aqua frigida perluta, cyceonem bibat non ſalſum. Cibum autem ne contingat, & cum viro dormiat duobus, aut tribus diebus. Quanto vero tempore purgatur, mercurialem in aqua coquens, ubi cocta fuerit, exprimat, & allium, ac cuminum, & ſalem ſubterat, & oleum his admiſceat, & modico ſucco adfuſo fervefaciat. Atque hoc edulium ante cibos edat. Allium item coctum, ac aſſatum quamplurimum accipiat. Si vero mercurialis non fuerit tenera, tritam cum braſſica coquere oportet, & condire, & lenis erit, & ſi in ventre conceperit, ſana evadet, & omnia ipſi juxta ornatum procedent.

Si os uterorum concluſum fuerit, fit forte velut groſſus, & ſi digito contigeris, deprehendes durum, ac convolutum, & digitum non admittit, & menſes occultantur, & genituram non ſuſcipit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitudinem. Quandoque vero etiam ſurſum adſcendit, & ſuffocat. Quum ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dare oportet, & multa calida lavare, & adponere ea, quæ os molliunt, & ſpecillum immittere, ac aperire, itemque digitum, & ſimiliter levigare. Quum autem molle fuerit, adponere ea, quæ ſanguinem purgant, & potiones exhibere, & experiri, ut præbeas quodcumque aliud libenter ſuſceperit. Braſſicam autem edat, & ſuccum ſorbeat. Si uteri concluſi fuerint, & menſes non adparuerint, colocynthidem ſylveſtrem, & ſilphii ſemen, & cuminum Æthiopicum, & nitrum, & ſalem thebaicum, & adipem renalem, & farinam, & myrrham, & reſi-

nam, omnia ſimul fervefacito, & trito mixta, & in glandem efformata, adponito.

Si grumoſi facti fuerint uteri, os ipſorum velut ervo plenum fit, & ſi contigeris, videbis ita habere, & menſes non fiunt, neque genitura intus manet. Quamdiu ſic habuerit, cyclaminum cortice detracto, & allium, & ſalem, & ficum, ac modicum mellis terito, miſceto, ac glandem formato, & ad os uterorum adponito. Itemque alia ſubdititia, quæ acria ſunt, ac corrodunt, & a quibus ſanguis purgatur, & de potionibus dato eas, quæ uteros purgant.

Si uteri præter naturam hiarint, menſes plures prodeant, & viſcoſi, & frequenter, & genitura intus non manet, & oſculum hians eſt, & fieri non poteſt, ut genituram adtrahat, & febris, ac rigor corripit infernum ventrem, & lumbos. Morbus autem corripit ex fluxu ſanguineo. Fit & quum menſes ſuppreſſi derepente eruperint. Diætæ itaque ratio prius relata eſt. Oportet autem ſubdititiis curare, in principio quidem purgatoriis ſimulque mollibus; deinde leniter adſtringentibus, & partes infra umbilicum per ſpongias fovere cum myrti, aut rubi aqua, aut ex oleæ, aut roſarum, aut œnanthes, aut vitis foliorum decocto.

Si os uterorum hiarit amplius quam in menſibus ſolet, menſes ita fiunt plures, & deteriores omnes, & liquidiores, & per longius tempus, & genitura non adtingit, neque manet, ſed rurſus exit, & ſi permanſerit, oſculum comperies diſparatum, & impotentia præ menſibus obtinet, & levis eſt, ac debilis uterus, & ulterius procedit, & vires laxantur, & febris debilis, ac rigor, & dolor habet imum ventrem, & laterum mollitudinem, ac lumbos; patitur autem hæc maxime, ſi quid in ipſa corruptum computruerit,

ac compactum ſuerit. Quædam vero etiam ex partu patiuntur, aliæ etiam aliter. Quum itaque ſic habuerit, pharmacum bibendum dare oportet, & facilius judicabitur, & ſi dolor habuerit, tepefactoria adhibeto, & frigida lavato, ac intermiſſione facta, colluito, & ex potionibus dato quamcumque maxime libenter admiſerit, & ſuffito ea, quæ reſiccant, & polypos edat, ac mercurialem.

Si vero non concluſi fuerint uteri velut oportet, in aqua deſideat, in qua cocta ſit myrtus, aut lentiſcus, aut vitis, aut oleæ folia, aut roſarum. Diæta vero ſit, quæ relata eſt in rubro fluxu. Optimum vero ipſi auxilium eſt ſitis, frequentes vomitus, & prohibitiones balneorum. Quum uteri, magis quam convenit, fuerint aperti, & non concluſi, & purgatione opus habent, & collutionibus, & ſuffimentis. Si vero menſes effloruerint, plures fiunt, & deteriores, & liquidiores, & frequentes. Et genitura non manet intus, ſed quando illi prodierint, perit. Et ſi os contingas digito, comperies ipſum leve. Et impotentia ipſam præ menſibus corripit. Et febris, ac rigor obtinet, & dolor imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem corripit, maxime ſi quid in ipſa corruptum computruerit, itemque ex partu, & aliter. Quum igitur ſic habuerit, curare oportet, ubicumque tandem dolor fuerit, velut in ſuperioribus ſcriptum eſt.

Si uteri inflammati fuerint, menſes obtorquentur, & cervix multis tenuibus venulis ad telarum araneæ ſimilitudinem variegatur. Et febris eſt acuta, & mentem percellens, & menſes pravi, ac pauci ipſi comparent. Et quum jejuna fuerit, vomitus quidam ipſi ſupervenit. Quum vero quid comederit, revomit. Et dolor occupat imum ventrem, & lumbos, & animo linquitur; & per to-

totum corpus perfrigeratur. Venter autem nunc durus, nunc mollis est, & incenditur, & adtollitur, & putat se in ventre habere. Quandoque vero ventris moles vacua adparet, & alvus aqua impletur, & umbilicus prominet, & osculum gracile fit, & derepente apparent menses stridentes, & pauci, ac pravi, & adtenuatur circa claviculas, & collum, & pedes intumescunt, & præsertim pedum extremitates.

Quum sic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato, & subdititiis utatur, & fomentis uteri foveantur odoratis. Per diem vero plumbeis penicillis utatur, & ante adpositionem aqua calida non mordenti colluito, & post adpositionem hoc infuso colluito. Cnestri duas potiones in aquæ hemina coquito, & aquam excolato, ac infundito, oleo narcissino, aut anthino admixto. Post hæc tres dies intermittito, deinde cum eo, quod cum aceto paratur, colluito, & ante cibum, mercurialem cum aliquantulo vino coquens edat velut brassicam, & succum sorbeat. Si vero permanserit, pharmaca bibenda dato, a quibus aqua de uteris purgatur. Cibis autem utatur panibus, & oleribus coctis, flaccidis. Marinis autem potius quam carnibus. Aut extremis partibus coctis, flaccidis, & laboret quamplurimum & ante, & post cibum, & quamminimum lavetur frigida, & a dulcibus, ac pinguibus omnis generis arceatur. Diebus autem purgationum intermediis, adiantum bibat jejuna in vino diluto. At morbus hic lethalis est, & paucæ effugere possunt, si non in ventre conceperint.

In uterorum inflammatione menses obtorquentur, & quum jejuna est, vomit. Ubi vero comedit, dolor habet imum ventrem, & lumbos. Et totus venter modo durior, modo mollis fit,

& non valde conſidet. Alvus magna fit, & non purgatur, & ſibi prægnans eſſe videtur, & patitur quæcumque prægnantes perpeti ſolent. Et ſi ventrem contigeris, levem comperies tumorem velut in utre, & quum partus tempus eſſe viſum fuerit, uteri concidunt, & menſes pauci, ac deteriores fiunt. Huic pharmacum deorſum purgans bibendum dare oportet, & purgatoria adponere. Purgata vero, ſana evadit.

Si inflammatus fuerit uterus, vellicatur. Si vero quid corruptum fuerit, ac vitiatum recruduerit, febris corripit acuta, & magna, & horror durus partes circa pudenda; & horribiliter adficitur, & mordetur, & concitatur, & ſi quis digito contingat, rurſus pejus habet, & pungitur, & caput dolet, ac ſinciput, & caligo adeſt, & ſudor frontis. Extremæ partes perfrigerantur, ac tremunt, & ſopor profundus aliquando occupat, & audire non poteſt. Neque reliquus ſenſus operatur, faſtidium cibi eſt multum, & ſtomachus, & venter omnino non continent cibum, & vociferatur, & exſilit, & pectinem dolet, & inguina, & lumbos, & occultos pudendi locos, & cito moriuntur. Si vero dolores ad extremam debilitatem deduxerint, ſpongiis calidis ex aqua, & oleo expreſſis foveto, & ſubdititia mollia adponito, medullam cervi, adipem anſerinum, & ceram albam, & ovi luteum. Aut ceratum picatum cum reſina ſubdito. Vino vero, aut lacte caprino purgato, aut volucris juſculo. Vinum autem ne bibat, & ptiſanæ ſuccum ſorbeat.

Ad dolorem uterorum medicamentum infuſile. Si dolor ſolum fuerit vehemens, & violentus, caligo in uteris ineſt, & flatus non exit, ſed iſthic manet malum. Oportet igitur ſic curare. Atriplicis ſylveſtris ſemen, & betas ſimul trita, ac te-

pefacta, in uteros infundito. Aliud dolores uterorum fedans. Vini fuaviffimi pari aqua temperati tres femicongios Atticos fumito, & fœniculi radices, ac feminis ejufdem trientem, & olei rofacei heminam dimidiam. Hæc in ollam novam immittito, & vinum fuperfundito, deinde foveto. Adponito autem & fcillam, donec ofculum molle factum fuerit, & ad lationem idoneum, ac apertum. Et quum in purgatione puftulæ circa ofculum uteri exortæ fuerint, fic curato. Carnem bubulam cum butyro, aut adipe anferino, & anifo tritis illine, & ipfam carnem in pudendum inde.

SECTIO III.

SI ignis facer habuerit uteros, intumefcunt pedes, & mammæ, & corpus, & dolor ipfam corripit, & recta cervice fpiratio fit, & dolet laterum mollitudinem, & partes fub ventre, & pectora, & caput, & tremor occupat, & torpor manus, & inguina, & poplites tremunt. Quandoque vero & in poplitibus lividæ fiunt, & modico tempore melius habent ex hoc colore. Maxime vero mammæ adtolluntur juxta gentilitatis cognationem. Attamen non valde dolet, & febris, ac rigor corripit, & facies rubicunda fit, & fitis fortis eft, & hepar reficcatur. Hæc fi prægnanti acciderint, moritur, & non poterit effugere. Si ignis facer in uteris fiat, tumores fiunt lividiffimi a pedibus exorfi ufque ad crura tota, & ad lumbos. Quanto vero tempus amplius progreffum fuerit, etiam pectus percipit, & intumefcit, & tota perfrigeratur, & febris habet magna, & rigor fupervenit, & fpiritus denfus, & animi deliquium, & debilitas, & dolor totius

corporis, & triſtatur, & mente variatur. Et adfectio aſcendit ex inferno ventre ad lumbos, & ad dorſum, & præcordia, & pectora, & collum, & caput, & ſtomachum, & mortua eſſe videtur. Quum autem dolor ſolutus fuerit, torpor habet lumbos, & inguina, & crura, & in poplitibus livores fiunt, & modico tempore melius habere ſibi videtur, deinde rurſus affligitur, & corpus puſtulis completur, & rubores conſpicui, ac manifeſti faciem occupant, & guttur ſiccum eſt, & lingua aſpera. Hic morbus, ſi prægnantem invaſerit, occidit; ſin minus, medelam adhibere oportet, & lac aſininum bibendum dare, ac purgare. Si vero ſic non ſolvatur, ventrem mollibus frigefactoriis perfrigerare, & ſubdititiis non moleſtis, & levibus paulatim purgare, itemque vomere. Ad hoc commodum eſt ſambuci folia ſumere cocta cum origano, aut thymo, aut ruta. Si vero febris dimiſerit, etiam vinum, ac cibos dulces dato. Verumtamen paucæ curantur.

Aqua intercus ſi in uteris fiat, menſes prodeunt arenoſi, & aquoſi, & non valde cruenti. Intumeſcit & uterus, & venæ, & propinquiſſimæ partes, & prægnans fit, deinde ſuffocatur, & mammæ fluunt, & imus venter durus eſt, ac intumeſcit, & omnis circum circa locus, & dolet, ſi quis ipſum adtingat. Et febris, ac ſtridor dentium corripit, & dolor vehemens laterum mollitudinem, ac lumbos, & ſemen in ſomnis effundit, & pejus habet. Hanc calida lavare oportet, ac tepefacere, pharmacum autem bibendum dare, & cum debilibus fovere, & cyclamini obolos tres in linteo deliget, ac adponat. Et cupreſſi ſuccum in aqua madefaciat, ac cantharidas eadem terat, & modico tempore adponat, & per multum temporis intervallum.

Efficax

Efficax eſt ſubdititium. Cuminum chemæ menſura, uva paſſa alba. Aliud. Urticæ ſemen, ari radix. Horum quodcumque voles, leviter adponito, ubi vero expurgaveris, colluatur, ita ut detrahas, & cum infuſo pudenda colluas, & ſimul cum viro dormiat, & ſi fetum ad partus tempus geſtarit, tota expurgatur, & ſana fit.

Alia aqua intercus uterorum. Subcruentum quiddam fluit ſanioſum, & purgatur, & mordet valde, & ulcerat pudenda velut muria, & circumſitas partes, & quocumque deſtillarit, ulcerat, & color eſt morbi arcuati. De cætero vero purgatur copia velut in aliis fluxionibus. Morbus autem hic & debilior eſt, & aliquando lethalis fit, ſi uteri egreſſi fuerint. Hanc curato velut eam, quæ a fluxu albo vexatur, & lac aſininum bibendum dato, & extenuato, & prædictis pharmacis curato. Eclegma. Quod delingitur ad aquam intercutem. Si aqua ex uteris fluat, ſulphur, & anſeris adipem delingat.

Si ventus in uteris fuerit, flatus exit, & ſtridet, & tota intumeſcit, & febris habet, & ardor, & ad hæc valde exſilit præ dolore, & virum non admittit, & valde ægre fert coitum, & erigi non poteſt, & velut onus grave ipſi in uteris jacet, & caput dolet, & anxia eſt, & loqui non poteſt. Si vero dolor acceſſerit, clamat, & dolet omnia, & lumbos, & pubem, & ſedem, & urina ſupprimitur, et venter ſuffocatur, & mori cupit, & præcordia diſtenduntur, & ſtomachus mordetur, & os amarum eſt, & vomit acida, & pura, ac meraca, & frequenter ructat, & melius habet. Sin minus, intumeſcit, & ſi adtigeris, renititur, & dolet. Proinde uterum cum aqua mulſa, & aceto mulſo, ac oleo colluere oportet. Et cuminum, aut aniſum tritum ſumere, & li-

ni folia terere, & volucrinum adipem cum ovis in aqua infundere. Subdititiis vero, ac potionibus utere, quæ ego describam. Desideat autem in oleo calido, & aromata in ipsum immittito, junci odorati florem. Aut in aqua lauri, aut marina desideat. Optimum autem est mollibus infusis ventrem purgare, aut glandem adponere, quemadmodum puero venter solvitur, lanam illotam cum melle. Si vero antiquior fuerit, cepam in oleum, aut mel tinctam adponito. Aut taurinum fel, aut nitrum cum melle. Aut mali punici acidi nucleum cum melle, & hordeacea farina.

Si mola ipsa innascitur a crassa genitura intus retenta, thymbram tritam in aceto, & aqua, liquidam bibendam præbeto. Aut hyoscyami semen tritum, & cum muria, ac silphii succo, & aceto colluito. Aut si opus fuerit cum aqua. Optimum vero est aquam mulsam infundere cum aqua lentium, aut ervi, aut floris violæ. Si vero purgata fuerit a talibus, quæ sunt velut igne ambusta, myrtum coquito, ac perluito, & myrrham, ac netopum cum lana adponito. Si ventus in uteris fuerit, ac momorderit, & qua transit, colorem facit; & præ ardore intumescit, & dolet, & virum aversatur, & coitum valde ægre fert, & tenditur, ac intumescit pecten, & erigi non potest, nec dirigi. Quum sic inveneris, scito, quod ventus, & genitura in uteris est, & propterea nunc ægrotet. Accipe itaque mel, ceram, lini folia trita, & adipem volucrinum, & hæc in vino odorato tepefacta per clysterem in uteros infunde. Adponat autem folia lini. Aut semen lini terito, & in lanam involvito, & ad os uteri adponito; sin minus, efficaciore utere. Irinum, & crocum, & lini folia, & adipem volucrinum terito, &

lacte muliebri diluta, rasura de tenuibus linteolis derasa excipito, ac illigato, & ad uteri osculum adponito. Et si pinguitudo carnosior enascatur, quod consumat, indito, & mediocriter adtenuato. Quæ enim valde adtenuantur, raræ fiunt, & abortiunt.

Si vero genituram non suscipit uterus, sed dimittit, & calorem in se ipso non habet, instrumentum parare oportet, cui insidens vaporem intra uterum recipiat, ita ut vestes circumcirca ponantur. Suffire autem oportet casiam, cinamomum, myrrham, singulis pari portione vino siræo, sive sapa subactis, & super prunas conjectis. Modice vero lavetur, & modice cibum sumat. Opitulatur & subdititium hujusmodi. Myrrham mollem cum melle efformato. Sit autem oblonga velut glans, & sæpe hæc facito, virium respectu habito. Prosunt & pelecini in frumento nascentes, cum myrrha triti. Mel quoque coquito, & cum tædis agitatum permisceto, & fabæ Ægyptiæ magnitudinem adponito, fel item taurinum, & rhoem rubrum pari portione. Conyza herba est similis apio crispo, nascitur autem prope mare in locis arenosis, odor vero ejus ægre tolerari potest. Hanc cum melle, & vino adponito. Aut bulbion, conspicitur autem in tritico, maxime Ægyptio, acre, simile cumino Æthiopico; hoc & allium, & nitrum simul adponito. Verum antea lavetur.

Quum mulier caput dolet, & sinciput, ac collum, & vertigo præ oculis obversatur, & timet, & tristis est, & urinæ nigræ, & similia etiam per uterum prodeunt, & anxietas, ac mœror ipsam tenet, atra bilis in uteris inest. Curetur autem sic. Cucumeris sylvestris anniculi internam partem, fel tauri, florem æris cum bacchare te-

rito, & ſubdititia formato, & pharmacum bibendum dato, ac lavato. Quum vero mulier uteros mordetur, & dolet, lancinaturque, & bilem flavam mingit, & uterus hiarit, & oculi fuerint velut morbo regio adfectorum, ſcito, quod bilis in uteris eſt. Quapropter optimum eſt expurgare totum corpus, & ipſos uteros ſubdititiis, quæ bilem educunt. Quum vero perfrigeratur uterus, & onus inſitum eſſe videtur, & color non eſt clarus, & compactus eſt uterus. Quum ſic habuerit, purgare oportet cum eo, quod pituitam ducit, & adtenuare, ac frequenter vomere.

Quum mulieri male oluerit ex ore, & gingivæ nigræ fuerint, ac pravæ, caput leporis, & mures tres ſeorſim exure, & ex duobus muribus ventrem exime, hepar autem, & renes non, & in pila lapidea marmor, aut lapidem album tere, ac cribra, deinde ſingulorum pares portiones miſcere, ac dentes confricare oportet, & locos in ore, & poſtea lana ſuccidiſſima fricet, & cum aqua colluat. Tingat autem lanam ſuccidam in melle, & confricet dentes, ac gingivas, & internas, ac externas partes. Terat item aniſum, & anethi ſemen, & myrrham pondere duorum obolorum, atque hæc in vini albi meraci hemina dimidia diluat, & cum his os colluas, & multo tempore in ore contineat. Hoc autem frequenter faciat, & jejuna gargariſet, & poſt cibum. Optimum vero eſt modico cibo uti, & optima quoque ingerere oportet. Hoc pharmacum dentes purgat, & bene olentes facit. Vocatur autem Indicum medicamentum.

Quum mulieri mamma aſpera facta fuerit, ſtœbes, aut rubi fructum cum aqua, & oleo coquito, & cataplaſmate facto mammas integito, & betæ folia ſuperponito. Deinde ex linteo velut

pileum confuito, & magnitudine ut mammam capiat, atque fic mammam indito. Si vero fuppuretur, fecato, & ex lana fuccida linamentum, five penicillum immittito, & eadem fuperponito. Poftea vero ex lenticula cocta cum polenta permixta, cataplafma adhibeto.

Si in pudendo mulieris, aut inteftino recto afcarides nafcantur ,viticis femen, aut folia cum fellis bubuli obolo permifcentur,& oleo cedrino fubiguntur, & lana fuccida molliffima excipiuntur. Induuntur autem tertio quoque die per noctem,ac diem. Poftridie vero ubi amovit, femina calida lavetur, & allium coctum, ac crudum edat, & afcarides exeunt, ac moriuntur. Muria vero etiam colluere oportet.

Ad faciem ornandam. Hepar tauri terito cum oleo, illinito autem cum vino meraco. Fel autem furfures exterit. Sed & ptifanæ fuccus fimiliter illuftrat, & ovorum candidum, & farina lupinorum, & ervi, cum ficis in cataplafmate adhibita. Et braffìcæ radix, ac femen. Hæc etiam lentigines tollunt. Itemque alcyonium. Et fi pulvis faciem læferit, ceratum liquidum ex rofaceo præparatum fublinito, & aquam frigidam adfundito. Et rugas levigat hoc. In pila lapidea plumbaginem terito, & aqua per menfem fervata adfufa paftillos formato, qui ubi reficcati fuerint, oleo dilutos rugofæ faciei illinito. At fi capilli defluant, ladanum cum rofaceo, aut anthino unguento terito, & cum vino illinat. Aut terram cimoliam cum vino, aut rofaceo, aut omphacino, aut acacia. Si vero calva facta fuerit, cuminum impone, aut ftercus columbinum, aut raphanum tritum. Aut cum cepa confricet, aut cum beta, aut urtica.

Cæterum folares appellatas maculas tollit ervi

decoctum, betæ succus, ovorum candidum, ptisana, cucumeris sylvestris radix sicca cum vini fece trita, ac illita. Aut fici folia adhibita. Item sesamo trito fricari, aut amygdalis amaris; & urticæ semen, & allii cortex superligatus, & lepidium. Impetigines omnes extrahit acetum, manna thuris, pumex, sulphur cum aceto, nasturtium sylvestre ustum, & in cinerem redactum, viperæ exuvium, rumicis sylvestris radix. Teratur autem cum aceto vinoso. Si vero pustulæ emergant, etiam spuma argenti utere.

Potio ad fluxum rubrum commoda. Cornu cervi ustum ad duplum crudæ hordeaceæ farinæ admisceto, atque hæc in vinum pramnium inspersa bibat, & sistetur. Alia. Adianti radicem tritam, & cicer torrefactum, & lentium farinam ex melle bibat, aut velut potum exhibeto. Aut farinæ tritici recentis acetabulum, gummi albi dimidiam, mannæ thuris tertiam partem, & junci odorati parum. Aut de pinu, vel cupresso aqua dilue, & bibendum præbe. Bibat autem in die. Aut cornu cervi comburito, ac terito, & crudam hordeaceam farinam cum cedri baccis quinque, & vinum austerum nigrum cum tædis admisceto. Aut mali punici dulcis assati succum cum vino nigro bibat. Aut cupressi baccas tres, aut quatuor, & myrti baccas nigras, & simul, & ipsas per se ipsas, ad robur corporis mulieris respectu habito. Cum vino vero potio fiat. Aut castorii obolum in vino nigro austero terat, ac bibat.

Potio ad fluxum, & omnes morbos, qui ab uteris fiunt. Pæoniæ semen, & radices, cuminum Æthiopicum, & melanthium in vino albo exhibeto. Aut ferulæ rasæ acetabulum, & porri succum in vino albo diluito. Hoc etiam ex naribus manantem sanguinem sistit. Aut malum

punicum in vino nigro coquito, ac decorticato, & interna in vino terito, & cum polentæ farina exhibeto. Aut linum, vel cryſimum toſtum, & oleæ folia viridis, & radicem nigram aſpalathi, & peplum plenum, hæc trita in eodem vino diluto bibenda dato. Aut coagulum aſininum, & mali punici dulcis radicem, & gallam, omnia æquis portionibus, & mali punici dulcis ſuccum cum vino bibat. Aut rumicis ſemen cum gallæ parte externa circumraſa. Hæc ſimul terito, & poſtea cyceonem facito, ac exhibeto. Si ſanguis largus ex uteris fluit, viticis folia cum vino nigro dato. Acerba item omnia fluxum ſiſtunt, vino nigro admixto.

Ad fluxum, & dolorem. Cachryos radicem in vino nigro bibat. Si vero amplior fuerit, terebinthi fructus tritus prodeſt. Oportet autem vino, & aqua diluere, ac bibere. Si fluxus fiat, cancros fluviatiles in vino ſuffocato, & de tali vino cum aqua bibendum dato. Si vero adhuc feratur fluxus, promalon, ſive myricam torreto, & tritam in vino dato. Aut porri ſuccum. Si vero multus defertur fluxus, muli ſtercus comburito, terito, & cum vino dato. Si autem diuturnus fiat fluxus, ſpongia combuſta auxiliatur. Terenda eſt autem ſpongia, & cum vino odorato exhibenda. Cataplaſma ad fluxus. Allium, & portulacam, & apium, & loti, ac cedri ramenta trita ſimul miſceto, & cum aqua mulſa diluito, & cataplaſma facito. Aut rubi, & rhamni, & oleæ folia trita ſimul miſceto, & in aqua mulſa diluito, & cum polenta in cataplaſmate adhibeto. Aut ſambuci, & myrti folia in cataplaſmate adhibeto. Aut loti ramenta, & mori folia, ac roſæ folia, cum uva paſſa ad cataplaſma redigito.

Fomenta ad fluxus. Loliaceam farinam torre-

factam in posca meraciore coquito, & linteo illitam pro fomento adhibeto. Aut lentes torrefactas, ac decorticatas in crassiorem instar alicæ farinæ redigito, & in aqua coquito, ac similiter adhibeto. Aut ervum eodem modo. Commoda est & salvia. Aut paleas hordei in salviæ, & hyperici decocto coquito, & imponito. Aut loti ramenta, & cupressi, in uvæ passæ cremore cocta, linteo inducito, ac pro fomento adhibeto. Aut oleæ folia, aut hederæ, aut myrti, in aqua coquito, & cum his etiam hordei paleas coquito. Aut furfures triticeos in aromatum aqua coquito. Aut furfures triticeos in uvæ passæ cremore coquito. Aut violæ albæ semen, vel radices coquito, & ad aquam decocti furfures triticeos injicito, ac foveto. Aut cum eo decocto furfures triticeos subigat, & panem faciat, eoque calido lanæ involuto foveatur. Aut in serpylli decoctum furfures triticeos injicito, & eodem modo foveto. Sed & fomentum adhibendum est cum spongiis calidis, & cum mollibus lanis, si dolore vexetur, & cum vasis testaceis aqua infusa, & cum vesicis oleo calido plenis.

Collutiones ad fluxus. Myrti folia & lauri, & hederæ in aqua coquito, & cum hac tepida colluito. Sambuci, & lentisci folia in aqua coquito, & cum excolata leviter tepida colluito. Aut œnanthen, & cyperum, & uvas passas in aqua mulsa coquito, ac colluito. Aut cum fœnigræci aqua, aut rubi decocto, aut oleæ viridis, aut cupressi, aut serpylli, aut mali punici, aut radicis violæ albæ, aut lentisci decocto leviter tepido colluito. Aut medicamentum ex butyro, & resina, & adipe anserino infundito. Aut id, quod ex medulla, & adipe suillo præparatur.

Suffitus ad fluxus. Hordeum tostum prunis inf-

perſum ſuffito. Aut cervi cornu cum olivis immaturis. Aut rhoem rubrum, & polentam torrefactam cum oleo, & vino duplo. Aut paleas hordei, & ſtercus bubulum ſimiliter. Aut loti ramenta, aut rhoem, aut cupreſſum ſiccam cum vino nigro auſtero ſuffito. Aut galbanum, aut mannam thuris, aut reſinam vino ſubactam. Aut capræ cornu, & gallam, & ſiſtetur fluxus. Alii ſuffitus. Effodere oportet ſcrobem, & vinaceorum uvæ duarum chœnicum Atticarum menſuram torrefacere, & de cinere in ſcrobem mittere, & vinum odoratum irrorare. Mulier autem circuminſidens, ac ſe ipſam contegens, ac convolvens, ſuffitum admittit. Aut ſordes pilorum circa ſedem capræ ſiccas tundito, & torreto; atque cum hordeo fracto, & oleo ſubactas ſuffito, prunis inſperſas. Aut hordei paleas iiſdem prunis injicito. Aut cupreſſi ramenta unguento ſubacta ſuffito. Aut cicutam, aut myrrham, aut thus, unguento adfuſo ſuffito. Aut bitumen & hordei paleas ſimiliter. Aut cupreſſi radicem roſaceo oleo perfuſam ſuffito. Aut ad calamum, juncum odoratum, cyperum, apii ſemen, aniſum, oleo roſaceo adfuſo ſuffito. Similiter autem & reſinam prunis injicito. Et cinnamomum, & myrrham cum rubi foliis, aut roſarum foliis, aut menta, addito modico croco, & ſtyrace. Hæc omnia ſimul terito, ac ſuffito, oboli Attici pondere, in cinere ſarmentorum vitis, aut in ſtercore bubulo inſtar acetabuli formato. Sit autem ignis ex ſarmentis vitis. Mulierem vero imponito prius, ne odorem percipiat. Nam ſi odorem ſenſerit, melius eſt non ſuffire.

Subdititia ad rubrum fluxum. Myrrha, & bulbion cum melle tritum, optimum præſtant ſubdititium. Aut roſæ in aqua coctæ, quas ſane cum roſaceo unguento tritas, ac lanæ involutas adpo-

nito. Aut loti florem in aqua coquito, & deinde cum rosaceo unguento terito, & in lana ad uteri os adhibeto. Aut cyperum, & iridem, & anisum, singula pari portione, cum rosaceo unguento trita, intro in uteri osculum detrudito. Aut myrti nigræ folia in vino albo terito, & pini corticem admisceto, & similiter facito. Aut cupressi fructum, & thus, pari portione simul ambo in unguento terito, & adponito. Si resiccare fluxum opus fuerit, calamintham in vino nigro coquito, & linteo involutam adponito. Aut hyoscyami folia, & cicutam simul coquito. Similiter porrum, & malvam, & ceram, ac anseris adipem admisceto. Deinde tepida ad pudenda subdito. Aut vinum meracum cum resina, & malicorio cocto terito, ac similiter adponito. Aut cnicum cum vino tritum subdito. Aut loti ramenta similiter. Aut lentisci folia. Aut rhoem melle cocto admixto adponito. Si vero non cesset, susinum, aut blitum herbam, quæ velut lingua est, in lana ad subdititium efformato.

Ad fluxum aquæ subdititium, & infusile. Si mulieri aqua fluat ex pudendis, resinam siccam, & myricæ folia, & lini semen in vino terito, & volucrinum adipem admisceto, & per clysterem in pudenda infundito. Aut farinæ purissimæ chemam, sive conchæ testam caviorem, aut amylum in lana ad uteri stomachum adponat. Aliud similiter infusile. Quum aqua ex pudendo fluxerit, myricæ folia, & thus, & resinam cum anserino adipe terito, & per clysterem in pudenda infundito. Si pecten præ fluxu aquoso doleat, viticis semen cum melle terito & cataplasmate pectini probe adhibeto. Si fluxus sanguinolentus, aut albus, aut qualiscumque fuerit; sulphur, & mandragoram in vino meraco terito, & lana excepta,

adponito. Et ſupina dormiat, & immota maneat. Aut malicorium ſiccum in vino pramnio terito, ac bibendum dato.

Ad fluxum album potus. Hederæ albæ ſemen, & pini corticem in vino auſtero exhibeto. Aut cornu cervi uſti partem unam, crudæ hordeaceæ farinæ partes duas, & cedri baccas quinque aqua terat, ac bibat. Quum ab uteris ſtrangulatur, caſtorium, & conyzam in vino, & ſeorſim, & ſimul utramque bibat. Aut bituminis obolos tres. Aut phocæ adipis, quantum duobus digitis adprehendi poteſt. Aut radicis pæoniæ dimidiam potionem in vino odorato bibendam dato. Quum vero uteri ſuffocarint, & ſimul tuſſierit, ſandaraches obolum, & ſulphuris vini tantumdem, & amygdalas amaras depurgatas tres, aut quatuor miſceto, & in vino odorato exhibeto. Si vero adhæſerint uteri, hordeum terito, & una cum paleis, & cornu cervi, oleo ſubigito, & ſuffito. Quum autem ſurſum adſcenderint, & cor, ac ſtomachus prematur & ſubſtiterint, myrrham, aut reſinam, aut netopum, aut caſtorium, aut ſilphii ſuccum bibendum dato.

Quum uterus ſtrangularit, ſpiritus acervatim ſurſus commotus fuerit, & gravitas incubuerit, & mens perculſa fuerit, & loqui non potuerit, & perfrigeratio adeſt, ac ſpiritus offendens, & oculi obſcurantur, caput quamcitiſſime radito, & per faſciam ſupra umbilicum, ſi opus fuerit, deligatam detrudito. Dato autem caſtorium, & conyſam, & rutæ aquam, cuminum Æthiopicum, raphani ſemen, ſulphur, myrrham. Ad nares graveolentia ad uteros bene olentia adhibeto. Si vero ſuſtinuerit, etiam grani cnidii internam partem, albam illam, melle ſubactam, ac mixtam, naribus illinito. Aut ſchinum ſcillæ ſpeciem, quæ

mordeat. Quum autem dolor habuerit, ac ſuffocatur, malvæ radicem, aut acetum mulſum, aut feniculi corticem, aut crethmum in aqua bibendum dato. Optimum vero eſt eructare, & ſedentem collocare, & ſternutationem facere, aut veratrum naribus admovere.

Si vero ſub ſepto tranſverſo, ac præcordiis uteri ſedere videantur, derepente voce deſtituitur, & præcordia dura fiunt, & ſtrangulatur, & dentes conſerit, & vocata non audit. Oportet igitur ſub nares ſuffiri lanam accenſam, bitumen in ignem conjectum, & caſtorium, & ſulphur, & picem. Inguina vero, & femora unguento odoratiſſimo intus inungere. Aut ſtellas marinas nigras, & braſſicam vino odorato miſceat, ac bibat. Aut myrrhæ obolos tres, coriandri parum, reſinam, pæoniæ radicem, cuminum Æthiopicum, hæc in vino albo, & aqua trita; aut cum aqua mulſa diluta, leviter tepida bibat. Auxiliatur & peucedanum, ariſtolochia, cepæ lachryma, panaces in vino, aut aqua leviter tepida datum. Uteros ad locum ſuum reducit crotonis radix pota, aut cuminum Æthiopicum, aut apium, aut fœniculi, & aniſi ſemen, aut piper, aut myrrha, & papaveris ſuccus potus.

Si cor ſtrangulatur, ab utero reprimitur, & ſpiritus habet, & anhelatio. Viticis, & pæoniæ ſemen in vino bibere oportet. Aut abrotonum, & panaces, & ammoniacum. Aut rutam, aut ſomnificum papaveris ſuccum. Rurſus igitur, ſi ſimiliter habet, melanthium terito, & melle ſubigito, & velut glandulam efformato, ac pennæ circumdato, & adponito. Aut philiſtion ſimiliter ſubdito. Aut telephium, aut anemones folia trita, in linteum indito, & modica myrrha admixta adponito.

Si in lumbos uteri incubuerint, ſuffoca-

tio[1] vero caput non contigerit, polypos coctos edat, & vinum nigrum odoratum meracum quamplurimum bibat. Quum vero velut ad viſcera converſi ſtrangularint, vinum cedrinum, & vinum Æthiopicum bibat, & calida lavetur, & odoratis fomentis utatur.

Si vento inflati fuerint uteri, aromata omnia in unguentum immittuntur, & laurus, & myrtus, & ſalvia, & cedri, ac cupreſſi ramenta. Hæc contundito, & trita cribrato, & in vinum odoratum inſpergito, & oleum roſaceum ſuperfundito. Quum vero tranſmoti uteri preſſerint, hordeum una cum paleis, & myricam, & cervi cornu vino ſubigito, ac ſuffito. Quum aſſiſtentes ſtrangularint, funiculum lucernarium accendito, & præ naribus exſtinguito, quo fuligo, & nidor ipſas ingrediantur, & picem, & caſtorium, & peucedanum, & myrrham unguento irino diluito, & ſubacta adponat. Bibat autem reſinam oleo dilutam. Si valde ſtrangularint, aut teſtudinis juxta mare natæ obolos tres in vini albi hemina, vel cyathis tribus, tritos, bibendos dato. Aut cedro in lucernam infuſo, lucernam accendito, & ubi exſtincta fuerit, ad nares adhibeto. Aut cœnum fœtidiſſimum ſimiliter. Aut lanam incenſam ſub nares mulieris ſuffito. Aut bituminis parum tritum in vino albo bibat. Aut eryſimi conchæ teſtam, & caſtorium in vino albo bibenda dato, & lavato. Si vero etiam tuſſiat, ſandarachæ obolum, ſulphuris vini obolos duos, amygdalas amaras depurgatas tres, aut quatuor, & caſtorii obolum cum vino odorato miſceto, & bibenda dato.

Si vero ſtrangularint uteri, & ſtrangulatio cor contigerit, & os concluſum fuerit, acetum calidum ſorbendum dato, & os paxillo, aut radio

aperito, & vinum inodorum ſimiliter exhibeto, & cum aceto mulſo. Si vero valde ſtrangularint, & voce deſtituta fuerit, cepam in vino tepido tritam in nares inſtillato, & excitato. Si vero uſque ad hepar adſcenderint, & ſuffocatur, voce deſtituitur, & nihil videt, & dentes conſerit, & dura fit & nihil ſentit, & frequenter reſpirat, & non audit. Hanc ſub præcordiis manibus comprehenſam frequenter inungito. Et dentibus cum paxillo diductis, vinum meracum tepidum infundito, ſi nihil prohibuerit. Et plerumque ſtatim melius habet. Si ad inguina uteri incumbant, ac innitantur, caprini ſtercoris pilulas, & leporis pilos, phocæ adipe ſubigito, ac ſuffito. Aut hederæ fructum, aut folia, aut corticem ſiccato, & quercus folia, ac reſinam admiſceto, oleoque ſubigito, ac ſuffito. Aut coaguli phocæ pellem conterito, & ſpongiam, ac muſcum cum phocæ adipe admiſceto, ac ſuffito. Aut ſtercoris caprini pilulas, & phocæ pulmonem, ac cedri ramenta ſuffito. Sed & bubulum ſtercus ſuffito. Aut cornuum bovis ramenta, & bitumen. Aut ſpinæ Ægyptiæ fructum, & cedri ramenta, & myrti folia ſicca. Hæc molli unguento ſubacta ſuffito. Multa vero aromata in unguentum injicito. Aut vinacea tuſa trita, & cedri baccas, & reſinam pineam, ſimul mixta, & paſſo cocto ſubacta ſuffito.

Fomenta, a quibus diſcedunt. Stercus bubulum contuſum, aceti dimidia menſura, & decocti ervi ex aqua marina, aut dulci ſimiliter dimidia adjecta, pro fomento adhibeto, foveto autem leviter, & lenticulæ decoctum bibendum dato, ac revomendum. Et farinam ſorbendam, & inſuper vinum. Poſtridie vero granum cnidium dato. Sed & quod urinam ciet. Ciceris partes

duas tritas, uvæ passæ optimæ tertiam partem, adfuso aquæ congio coquito, deinde excolatam aquam per noctem sub dio exponito, & postridie bibendam dato, & de cætero salviam, & lini semen, & polentam bis per diem in vini diluti heminis quatuor dato. Aut olei heminas dimidias tres, foliorum sambuci manus plenæ mensuram, hæc coquito, & cum calidis foveto, aut testis calidis immissis fomentum facito, muliere in sella collocata, & vestimentis cooperta. Aut sambuci folia cum myrto coquito, & in excolata aqua paleas hordei coquito, & fomentum facito, si calorem sufferre poterit. Aut acetum, oleum, mel, aquam. Hæc permixta, ac valde fervefacta, in vesicam infundito. Aut pini corticem, & rhois folia in aquam injicito, & fortiter coquito, & in excolatam aquam etiam hordei paleas immittito, ac coquito, & adfuso oleo foveto. Aut loti, & cupressi ramenta, aqua, & oleo adfuso, probe coquito, ac foveto. Aut cum aromatis unguentum infundito, & gallam injicito, & rhamni corticem, & polentam triticeam cum aqua. Si vero uteri extra prominuerint, & dependent velut scrotum; myrti baccas, loti ramenta, rubi, & oleæ folia simul coquito, & leviter tepide foveto. Aut cum vino una cum illis, & cum graveolentibus similiter. Externas autem partes cum ovi candido oblinito. Quum vero perfrigerantur, & lividæ factæ fuerint, cum aqua calida.

Mollitoria uteri. Adipem ovillum, ovorum vitellum, mel, oleum rosaceum sumito, & cum his farinam subigito, & ad lentum ignem tepefacito, & quod destillat lana exceptum emollito, ac adponito. Aut adipem ovillum aromatis conditum, & nitrum rubrum, anseris adipem, & oleum rosaceum colliquata, & lana excepta ad-

ponat. Aut anſeris adipem, ovillum adipem, ceram albam, netopum, roſaceum oleum. Hæc quamoptime permiſceto, & tenuibus linteis excipito, & ſtatim, ubi femina lota eſt, adponat tepida oſculo uterorum. Aut cervi medullam, & anſeris adipem in roſaceo oleo liquefaciat, & molli lana excepta ſubdat.

Mollia ſubdititia, quæ aquam ducunt, & mucos, & pelliculas, & non exulcerant. Myrrham quamoptimam, & ſalis granum, & picem aromatis imbutam terito, & adponito. Aliud. Grana cnidia decorticata triginta, Indicum, quod Perſæ piper vocant, & in hoc ineſt rotundum, quod appellant myrtidanum; cum lacte muliebri ſimul terito, & melle diluito. Deinde lana molli, ac pura excepta, & pennæ obvoluta ſubdito, & per diem finito. Si vero fortius facere voles, modicum myrrhæ admiſceto, tertiam videlicet partem, ſive trientem, & lanam mollem puram ſemiſuccidam.

Ex uteris educunt, & oſculum molliunt narciſſus, cuminum, myrrha, thus, abſinthium, ciperis. Hæc ipſa per ſe ipſa, & cum oleo roſaceo, aut albo, aut Ægyptio. Adponantur autem, ubi lota eſt.

Aliud, quod ſaniem cruentam educere poteſt. Cum tædis miſceto myrrham, ſalem, fel taurinum, cuminum, mel, & in lana ſubdito. Aut cumini folia ſimiliter in vino trita. Aut ſilphii ſuccum ad ficum admiſceto, & glandulam inde factam ſubdito. Idem facit & mori radix cum melle, & poſtea roſaceo illinito. Efficax eſt & allii caput integrum, & nitrum rubrum, & ficus pinguis, pari portione; miſceto autem & gallam parvam, & glandem facito, eamque liquore aliquo tinctam ſubdito. Et poſtea femina lota, cervi adipem in lana ſubditum habeat.

Aliud,

Aliud, quod cruenta omnia magis prioribus ducere poteſt, & mollire. Piper, elaterium, & lac muliebre miſceto, & cum his terito etiam mel, & oleum album, & cervi adipem, & linteo excepta ſubdat. Vehementer vero ducit omnigena hoc, ficuum pingue, elaterii potiones duas, nitrum rubrum, quantum elaterii, mellis parum, cum linteo, aut cum lana glandem facito. Aliud. Netopum, fel tauri, nitrum, cyclaminum, gallam cum melle terat. Poſtea vero lota, adipem cervi ſubditum habeat. Aut pulegium, & fel tauri tritum pennæ obducat, & in oleum Ægyptium tinctum ſubdat. Aut cyclaminum magnitudine tali cum æris flore. Aut anemones caput cum farina tritum pennæ obducito, & in oleo albo tingito.

Aliud, quod omnia ducit. Cucumeris ſylveſtris oblongi internam partem, excmto ſemine, cum lacte terito, & myrrham puram una cum ipſis, adjectoque modico melle, & oleo Ægyptio, molli lana excipito. Aut cucumeris ſylveſtris internam partem ſiccato, & melle adfuſo terito, ac glandem formato. Poſtquam autem lota fuerit, adipem ſubdat. Aut elaterii potiones tres cum aqua.

Mollitória. Ovi candidum, farinam, mel, ceram albam, hæc ſimul tepefacito, & quod deſtillat, lana exceptum adponito. Aut adipem anſeris, ceram albam, reſinam, unguentum roſaceum, cervi medullam liquefacito. Aut ovillum, vel caprinum adipem, ovi candidum, unguentum róſaceum. Ex his aut glandem facito, aut lana excipito.

Fomenta, per quæ uteri purgantur, ſi duri fuerint. Vinum ſuaviſſimum pari aqua temperare oportet, trium ſemicongiorum Atticorum

menſura, & fœniculi radices, ac ſeminis ejusdem quadrantem, & olei roſacei heminam dimidiam in ollam mittere, cujus operculum foramen habet, & vinum ſuperfundere, & arundine indita fomentum facere, & poſtea ſcillam adponere.

Si dolores repentini irruerint, & animi deliquia adfuerint, roſarum folia, cinamomum, myrrham puram, netopum, papaveris ſuccum, hæc in paſtillos drachmales efformato, & ſuper fruſto amphoræ candenti ponito, & pro ſuffimento utitor. Aut ſtyracis modicum in oleum mittito, ac utitor velut priore. Omnia, quæ in unguenta injiciuntur, tundito, ac cribrato, & ſuper ſtercus bubulum mittito, itemque ſtyracem, & netopum, roſaceum oleum quamoptimum, & Ægyptium album adfundito, & poſt purgationes ſuffito. Aut lauri, & myrti folia tundito, & cyperi fructum cum unguento albo Ægyptio ſubigito, addito etiam netopo, & ſuper ſtercore bubulo ſuffito. Auxiliatur & manna thuris, & cupreſſi ramenta, & cyperi radix tuſa. Sed & juncum odoratum aromaticum, & cardamomum & iridem tundito, ac cribrato, atque hæc omnia miſceto, & roſaceum oleum, ac netopum ipſis adfundito, & utitor in craſſiore tritici farina. Aut reſinam in recens formato fictili ſuffito, caſtorio, aut aliquo ex aromatis adjecto. Caput vero oleo roſaceo tingito, in aures autem myrteum, aut melinum oleum infundito. Et cicer album, & uvas paſſas coquito, ac decoctum bibendum dato, & in aqua calida deſideat. Et olivas albas, priusquam oleum remittunt, lancinato, ac ſiccato, & in vino odorato terito, & acetabulum Atticum præbeto. Aut cantharidum ventres, aut adiantum, & nitrum rubrum Ægyptium, & ferulæ radicem, & apii ſemen tritum, hæc exhibeto.

Si vero urinæ ſtillicidium corripiat, in aqua deſideat, & vinum dulce bibat. Si maxime ſtrangulatur in uterorum dolore, vinum ſuaviſſimum pari aqua temperatum, trium ſemicongiorum Atticorum menſura, & fœniculi radices, & ſeminis ejusdem trientem, & olei roſacei heminam dimidiam. Hæc in novam ollam mittito, & vino ſuperfuſo foveto. Et ſcillam adponat, donec oſculum molle, & amplum eſſe dixerit, & ſi exulceratum fuerit, ac puſtulæ ubique in ipſis fuerint, præſtat adipe anſerino cum thure curare.

Ad uterorum dolorem. Peucedanum, ariſtolochiam, panaces, hæc ſimul in vino dulci miſceto, & tepefacta bibenda dato. Et peplum album ſorbeat, & urticæ ſemen.

Aliud fomentum, ſive ſuffimentum. Si dolor habuerit, malicorium punici dulcis, loti ramenta, oleæ folia ſicca tuſa. Hæc cum oleo ſubigere oportet, & ſuper ignitum ſtercus bubulum mittere. Aut galbanum, myrrham, thus, oleum album Ægyptium, ſuper vitis ſarmenta. Aliud fomentum fortius ex bitumine. Bitumen, radicem xanthii, pilos leporis, rutam, coriandrum ſiccum, hæc omnia terito, & formatas inde placentulas, ſive paſtillos ſuffito. Aut ad picem, & ſandaracham tuſam tritam, cupreſſi ramenta admiſceto, & unguento adfuſo placentulas formato, & in ignem miſſas ſuffito. Aut cornu capræ in ramenta confectum oleo ſubigito, & in ignem miſſum ſuffito. Aut effoſa ſcrobe, vinacea uvæ torreto, & cinerem in ſcrobem mittito, & vino odorato inſperſo, mulieri circum inſidenti fomentum facito. Sint autem vinaceorum chœnices duæ, atque hæc ipſa quammaxime ſicca.

Si vero uterus doleat uſque ad veſicam, porri ſemen cum aqua tritum bibat. Aut cyclamini

radicem in vino albo jejunæ bibendam dato, & calida lavetur, & ſubcalidam jejuna bibat, & tepefactoria adponat. Aut allii caput integrum, & nitrum toſtum, & cuminum trita, ac melle ſubacta adponito, & calida lavetur, & ſubcalidam bibat.

Ad omnem uterorum morbum curandum. Lini ſciſſi una cum ſtipula pugillum tenuiter tuſum, in vino albo quamſuaviſſimo per noctem madefacito, deinde excolatum in ollula tepefacito, & in eo lanam molliſſimam tinctam adponito, & viciſſim priore detracta aliam ſubdito. Opitulatur autem & crocus, & myrrha, & ponticæ nuces, alba, & pura lana excepta, & cum adipe anſerino, ac unguento irino adpoſita.

Si dolor vexarit ex ſubdititiis purgatam, myrrhæ acetabulum, thuris tantumdem, melanthium, cyperum, ſeſeli, aniſum, apii ſemen, netopum, mel, reſinam, adipem anſerinum, ovi candidum, unguentum Ægyptium, ſingula paribus portionibus in vino albo dulci, duarum heminarum menſura terito, & tepidis infuſis colluito. Si dolor vehemens habuerit, cantharides, cyperus, calamus, juncus odoratus, & iris proſunt. Hæc in vino nigro coquito, ac utitor.

Alia collutio. Si dolor, & urinæ ſtillicidium vexarit, porri ſuccum, ſambuci fructum, ſeſeli, aniſum, thus, myrrham, vinum, in ſuccum redigito, miſceto, ac infundito. Aut myrrhæ acetabulum, thuris tantumdem, melanthii, & cyperi tantumdem, ſeſeli, aniſum, apii ſemen, netopum, mel, reſinam, anſeris adipem, ovi candidum, unguentum Ægyptium, ſingula paribus portionibus in vino albo dulci diluito, ac infundito. Aut mercurialis aquam decoctam cum myrrha, thure, netopo. Aut ſalviam, & hype-

ricum in aqua coquito, ac infundito. Aut apii ſemen, aniſum, melanthium, ſeſeli, myrrham, caſiæ fructum in vino coquito, ac colluito.

Alia collutio. Si dolor fuerit vehemens poſt purgationem, ſambuci fructum, & lauri baccas in vino nigro coquito, ac colluito. Aut ſambucum in aqua coquito, & aquam excolato, & vino dulci adfuſo colluito. Si poſt collutionem infuſam dolor oboriatur, aromata, quæ in unguenta injiciuntur, coquito, & de aqua duas heminas excolato, miſceto autem adipem anſeris, & oleum roſaceum, & tepida infundito. Amplius autem infuſum nulli, ut ſemel dicam, competit quam duarum heminarum. Aut mercurialem in aqua coquito, & ad ſuccum, myrrham admiſceto, aut thus, & netopum pari menſura, & tepidum infundito. Si vero uteros doleat, cyclamini radicem in vino albo jejunæ bibendam dato. Et calida lavetur, & ſubcalidam bibat.

Si ex fervido, & ſuperficiario ulcere pudenda fuerint exulcerata, myrti baccis in vino coctis colluat, & melilotum adponat. Et mali punici dulcis putamina in vino coquito, & myrrham, ac reſinam ſimul mixta vino diluito, & intinctum in his linteum ſubdito. Et ſi urinæ ſtillicidium corripiat, fomentum adhibeto, & pectinem illinito. Deſideat autem in decocto roſarum, aut rubi, aut myrti, aut oleæ, aut pampinorum vitis, aut juniperorum baccarum, aut ſalviæ. Si ventus in utero obortus fuerit, & dolor vehemens, & flatus non exit, cuminum adponat. Et ſalviam, ac cyperum tuſa madefacito per noctem, & mane excolato, & lucidum, ac clarum cremorem in vas infundito, & craſſiorem tritici farinam cum vino albo admiſceto, & ſilphii ſuccum ma-

gnitudine fabæ, cum farina coquito, & crudius ſorbenda dato.

Si columella in pudendis naſcatur, dolor obtinet. Et doloris quidem medela eſt apii ſemen. Columellam vero reſecare oportet.

Si ulcera in pudendis oboriantur, & pruritus corripiat, oleæ folia, & hederæ, & rubi, & mali punici dulcis trita, & vino veteri diluta, cum recenti carne adponito, ita ut folia carni oblinas. Et habeat ſubditam per totam noctem. Mane vero eximens, & myrrum in vino coquens, cum vino pudenda colluat.

NOTA

Ad finem primi libri de morbis muliebribus adjecta.

AD tuſſim pueri. Thapſiam in polenta edendam dato. Aliud. Ex ovo aſſato vitellum acceptum terito; & ſeſamum album toſtum, & ſalem cum melle delingenda dato.

Ad alvum pueri ſolvendam. Lanam illotam melle tinctam indito. Si vero antiquior fuerit puer, ceparum internas partes tritas cum melle indito. Si lac non fuerit, recentis tritici farinam elotam, melle, ac oleo admixto, tepidam ſorbendam dato.

Ad anhelitum pueri facit thus in vino dulci, & illuvies. Purgatorium. Glandulas facito ex mellis hemina, aniſi acetabulo, bituminis drachmis duabus, felle bovis, myrrhæ drachmis tribus, elaterii potione. Hæc in vaſe æneo coquito, & anſeris adipem admiſceto, & ubi uti voles, glan-

dulis anſerino, aut ovillo adipe illinito, lana autem utere molli.

Vomitum ſolvit ocymi ſuccus in vino albo. Aliud. Farinæ tritici recentis exſuccatæ aqua. Aut de malis punicis dulcibus, & acidis ſuccum exprimito, & deinde mel admiſceto.

Corroſivum ſic paratur. Veratrum nigrum, ſandaracam, ſquamam æris, ſingula paribus portionibus ſeorſim terito. Quum autem trita fuerint ad unam partem, duplam calcem admiſceto, & cedrine ſubacta illinito. Aliud corroſivum pharmacum ſic paratur. Florem æris pure combuſtum, donec ruber fiat, terito, ac utitor. Pharmacum nigrum. Squamam æris, & florem æris, ſeorſim ambo terito. Ubi vero contriveris, ita miſceto. Duas, aut tres pharmaci ſpecies facito. Unam fortiſſimam, quæ habet ad ſquamam, tertiam floris partem. Alteram, quæ quartam. Tertiam, quæ quintam. Hoc pharmacum ad omnia conveniens eſt.

Illitio ad anginam. Roris marini ſemen, ſtaphis ſylveſtris, abſinthium, elaterium, mel.

In doloribus podagricis. Abſceſſus nitro trito aqua diluto, cataplaſmatis modo integito, & tribus diebus non lavato. Ubi vero laveris, rurſus nitrum rubrum crudum cum modico melle terito, & hoc ſemper utitor. Inflammata illine portulaca cum farinæ maſſa, & lactucæ rubræ drachma, ex aqua diſſoluta.

Medicamenta occultatoria. Æs uſtum, ærugo, fel capræ, myrrha, hæc diſſolvuntur, & omnia ſimul trita vino albo diluuntur, poſtea in arundinem conjecta, ſicca in uſum veniant.

Pulvillus. Miſy præparatum in pila terito, & ſpumæ argenti chryſitidis appellatæ cinerem lotum admiſceto. Sint autem cineris partes tres,

misyos una. At misy in maza comburito, vitans, ne diffluat. Nam dum torretur, liquescit, ubi vero probe tostum fuerit, puniceum fit. Alius pulvillus. Cerusa eodem modo cum misy tosto miscetur, velut chrysitidis cinis. Alius pulvillus fortior priore. Spodium cyprium ex fuligine lota, & cerussa, & misy torrefactum. Sunt autem duae partes cerussae de spodio, una vero misyos. In haec anemonae folia contusa exprimito, & in aeris rubri vase ad solem exponito, & ut nihil illabatur, contegito. Quum vero crassa facta fuerint, pastillos formato, deinde siccato, & siccatos quammaxime fieri potest, comburito, & postea perfrigeratos leviter terito, & de spodio ex fuligine loto parem portionem misceto, deinde netopon instillato, & parum terito, deinde melle diluito, & resiccata in vase aereo asservato, ac utitor.

Pulvillus mollis. Spodium cyprium, chalcitis non lota leviter trita, flos aeris. Haec paribus portionibus misceto, ac terito. Alius. Spodium cyprium, chalcitis leviter trita, & cinis chrysitidis illotus. Haec inter se terito. Alius. Spodium lotum, chrysitis, & aeris flos, paribus partibus trita. Alius. Uvae acerbae succus, & spodium cyprium. Uvam immaturam in vigore constitutam sume, & succum per linteum in vas aeris rubri exprime, & aceti albi acerrimi tertiam partem admisce, atque sic in sole coque, & quinquies in die agita, ac conturba. Et ubi crassus factus fuerit succus, spodium cyprium tritum adjice, ac permisce, ita ut, ubi sex, aut septem dies in sole positus steterit, ad heminam succi Atticam, spodii drachmas octo immittas. Si vero acrius efficere medicamentum voles, minus de spodio; sin mollius, plus. Postea vero

ficcato hæc, donec in paſtillos formari poſſunt. Deinde domi ſiccato, ſurſum in fumum ſuſpenſa, atque hoc tamdiu, donec teſtacea fiant, ut inter terendum non adhæreant, poſtea ſic utere. Reponito autem in loco humiditatem nullam habente. Alius. Spodium, chalcitidem aceto albo ſubigito, deinde factos inde paſtillos ſiccato, & ubi oculum ſublinire voles, quamoptime terito, & vino veteri dulci concalefacito.

Ad argemon oculi ulcus. Populi nigræ lachrymam, lac muliebre miſce, ac utere. Si oculus lachrymetur, & dolor vexet, mali punici dulcis ſuccum expreſſum in æreo vaſe coquito, ut niger fiat inſtar picis. Si vero æſtas fuerit, ad ſolem exponito, deinde liquidum ſublinito. Si vero dulci lachryma fluat oculus, quum uva fuerit alba, valde matura, & gracilis in vite, decerptam exprimito, ac excolato, deinde in ſole ſiccato, & ubi ſiccus factus fuerit ſuccus, deradito, & æruginis dimidium obolum Attici ponderis admiſceto. Deinde hoc ſublinito.

Pulvillus inſperſilis. Plumbum, & ſpodium æquis partibus, myrrhæ decimam partem, ſucci papaveris parum, vinum vetus, arida tere, ac utere. Alius. Accipitur ſcoria, ſive recrementum plumbi, & ſpodii tertia pars, & ceruſſæ tertia, & chartæ uſtæ tertia, & myrrhæ pars decima.

Si pilos ex corpore exſtirpare voles, vitis lachrymam cum oleo illinito. Si vero etiam circa oculum tollere velis, evellito, & illinito, & cum tenui cuticula diſcedet, & locus rubicundus, ac boni coloris erit.

Ad inteſtinorum levitatem. Lentes, ac triticum recens, duarum chœnicum menſura, aqua ma-

cerato, & ubi mollia facta fuerint, in pila, aut mortario fortiter conterito, deinde aquæ heminis ſex adfundito, ac fortiter commoveto, & ubi purgamenta diſceſſerint, in ollam infundito, & modico melle adfuſo coquito, & valde cocta torrefacito, ac edenda præbeto. Si vero ſitierit, vinum vetuſtiſſimum bibat, atque hoc utatur, donec ſanus fiat.

Ad gravedinem. Si quis gravedinem habeat, myrrham tritam, admixto melle, linteo excipiat, & nares confricet.

Infuſum ſedis pituitam ducens. Thapſiæ potionem, & uvas paſſas quadraginta, aut grani cnidii, aut cneſtri potionem ſumito, & mellis dimidiam heminam, ac olei tantumdem admiſceto, & aqua marina diluito, in qua furfures cocti ſunt, aut ptiſana, donec pinguis facta fuerit. Aut adipem betæ ſucco admiſceto, & nitri drachmas decem. Aut ſalis heminam plenam aquæ marinæ admiſceto.

Si vero bilem ducere voles, ſucci ſilphii potionem, elaterii drachmam unam, & dimidiam, colocynthidis drachmam terito, & iiſdem, quibus prius, diluito. Si autem vehementius ducere velis, cucumeris ſylveſtris internam partem quarta drachmæ parte in dimidia aquæ hemina macerato, & per ſedem infundito, & ſi in egreſſu mordeat, ptiſanæ ſuccum poſtea infundito. Aliud. In lacte aſinino, aut in betæ ſucci heminis tribus internam cucumeris ſylveſtris partem macerato, & ſalem, mel, ac oleum admiſceto, & poſtea ptiſanæ ſuccum infundito. Aliud. Colocynthidis drachmam terito, & in lacte aſinino macerato, eademque miſceto. Aliud. Cucumeris ſylveſtris interioris drachmam, elaterii potionem, ſalis quantum digitis adprehendi poteſt, mel, oleum, aqua

marina diluito. At si stercus educere voles, nullum pharmacum bibito, sed aliis utere..

Infusum ad dysenteriam. Punici dulcis malicorium in vino ad dimidias coquito, & olei quartam heminæ partem admisceto, & thuris quartam drachmæ partem. Aliud. Unguenti rosacei dimidia hemina, ptisanæ succus, aqua marina cocta. Aliud. Veratri potiones duas tritas in aquæ dimidia hemina diluito, & olei tantumdem adfundito.

Potio. Mala cotonea dissecato, & in aqua macerato, & ubi aqua odorem acceperit, bibendam dato. Alia. Ptisanæ farinam in congium aquæ missam, coquito, donec pinguis fiat. Alia. Mala concisa siccata, & favum mellis in aqua macerato, ac simul terito, & ubi subdulcis facta fuerit, excolato, & apii folia injicito. Alia. Uvam passam albam, & calaminthen, & favum mellis in aquam mittito, ac terito, donec aqua subdulcis fiat.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE NATURA MULIEBRI

PRÆFATIO.

Pene ad verbum idem est cum modo dictis libris de morb. mul. *Morbi innumerabiles, ad Gnidiorum morem. Videas hic omnino oris uteri mutatum situm, obliquitatem, etiam in libro secundo muliebrium indi-*

catam, per infinitos casus, & obturationem. Neque parcior est medicamentorum farrago, ex triplici naturæ regno sumtorum.

SECTIO I.

DE muliebri natura, hæc dico. Maxime quidem numen in hominibus caussam esse; postea vero naturas mulierum, & colores. Nam quæ superalbidæ sunt, humidiores sunt & fluidiores. Nigræ vero duriores, acerbioresque, ac adstrictiores. Quæ vero vini colorem referunt, medium quid inter utrasque habent. Sic autem & in ætatibus contingit. Juvenculæ enim humidiores sunt, & multo sanguine plerumque refertæ. Aniculæ vero ficciores, & modicum sanguinem habentes. Mediæ autem medium quiddam inter utrasque habent.

Oportet autem, eum, qui hæc recte tractare velit, primum quidem ex diis ordiri. Deinde mulierum naturas discernere, itemque ætates, & tempora, & locos, in quibuscumque degunt. Frigidi enim loci fluidi sunt. Calidi vero sicci, & stabiles. Initium autem faciam ab humido secundum naturam.

Si aqua intercus in uteris oboriatur, menses pauciores, ac deteriores fiunt. Deinde repente deficiunt, & venter intumescit, & mammæ siccæ fiunt, & reliqua male habent. Et in ventre sibi habere videtur, & ex his cognosces, quod aqua inter cutem laborat. Sed & in ore uterorum significationem de se præbet. Tangentibus enim gracile adparet, & calor, & aqua ipsam corripit. Quum autem tempus amplius processerit, dolor imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitu-

dinem occupat. Hic morbus maxime fit ex abortu. Accidit item ex aliis. Quum sic habuerit, calida lavare oportet, & tepefactoria adhibere, donec dolor sedetur, pharmacum autem deorsum purgans bibendum dare oportet, post pharmacum vero uteros bubuli stercoris fomento fovere, & postea medicamentum cum cantharide præparatum adponere. Et interpositis tribus diebus id, quod cum felle paratur. Una vero die interposita, per triduum aceto infuso colluatur; & si quidem venter mollis, & vacuus fiat, & febres sedatæ fuerint, & menses prodeant, viro condormiat. Sin minus, rursus eadem facito, donec menses procedant, & aliquibus subdititiis utatur. Intermediis autem diebus crethmi corticem bibat, & pæoniæ grana nigra, & sambuci fructum, jejuna in vino, & mercurialem quamplurimam edat, & allium coctum, ac crudum, & cibis mollibus, & polypis, ac aliis mollibus utatur. Si vero pepererit, sana erit.

Si uteri ad hepar accesserint, muta derepente fit, & dentes conserit, & color niger fit, patitur autem hæc derepente, dum sana est. Fit autem hujusmodi affectio virginibus maxime antiquis, & viduis, quæ juvenculæ sunt, & pepererunt, ac viduæ manent. Quum sic habuerit, depulsione per manum infra facta, sub hepate, aut sub præcordiis fascia deligato, & aperto ore vinum odoratissimum infundito. Et graveolentia naribus adhibeto, ac suffito. Sub utero vero bene olentia. Postquam autem resipuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato, & lac asininum postea bibendum exhibeto. Deinde uteros odoratis foveto, & medicamenta cum bupresti præparata adponito. Postridie vero netopon unguentum. Intermissis autem duobus diebus, ute-

ros cum odoratis colluito. Et poſtridie pulegium adponito; die vero una interpoſita, aromata ſuffito. Atque hæc quidem viduæ facito. Virginem autem ut viro cohabitet, perſuadeto, ad uteros vero nihil adhibeto, neque pharmacum bibendum dato, verum conyzam, & caſtoreum in vino jejunæ exhibeto, & caput odoratis ne ungat, neque odorata olfaciat.

Si uteri prociderint, & foras egreſſi fuerint, calor habet maxime pudenda, & ſedem. Et urina paulatim deſtillat, ac mordet. Hæc patitur, ſi ex partu progreſſa viro condormierit. Quum autem ſic habuerit, myrti baccas, & loti ramenta in aqua coquito, & aquam per noctem ſub dio exponito, & pudenda cum eo decocto quam frigidiſſimo perfundito, & eadem trita pro cataplaſmate adhibeto, poſtea bibens aquam lentium, & mel, & acetum, donec uteri fuerint elevati, vomat. Et lectum a pedibus altiorem facito, & graveolentia ſub pudenda ſuffito; odorata vero ſub nares. Cibis vero utatur molliſſimis, ac frigidis. Et vinum aquoſum album bibat. Ne lavetur autem, neque cum viro dormiat.

Si vero penitus ex pudendis exciderint, dependent, velut ſcrotum. Et dolor corripit imum ventrem, & lumbos, & quum tempus proceſſerit, ad locum redire non volunt. Morbus autem corripit, quum ex partu progreſſa uteros doluerit, aut cum viro in puerperii purgatione concubuerit. Quum vero ſic habuerit, frigefactoria ad pudenda adponere oportet, & quod foris eſt depurgatum, & cum vino nigro, in quo malum punicum coctum eſt, ablutum, intro detrudere. Deinde mel, & reſinam mixta infundere. Decumbat autem ſupina pedes ſurſum extentos habens, poſtea ſpongias imponito, & ex lumbis deligato.

Quum autem ſic habuerit, a cibis quidem abſtineat, potu vero quampauciſſimo utatur, donec ſeptem dies præterierint, & ſi quidem ſic ingredi voluerint, bene habet. Sin minus, ſummas uteri oras deradito, calefacito, abluito, ac cerato picato illinito, & adligata ad ſcalam muliere, ſcalam juxta caput pulſato, & uteros cum manu intrudito, poſtea crura ipſius alternatim colligato, & ſic per diem, ac noctem ſinito, & modicum ptiſanæ ſuccum frigidum dato, aliud vero nihil. Poſtera die decumbenti cucurbitam quammaximam ad coxendicem adfigito, & multo tempore trahere ſinito; poſtquam vero detraxeris, ne ſcarificato, ſed reclinatam ſinito, & nihil aliud, quam ſuccum exhibeto, donec ſeptem dies præterierint. Si vero ſitiat, aquam dato frigidam quampauciſſimam. Ubi vero ſeptem dies præterierint, cibis molliſſimis, ac pauciſſimis utatur. Si vero ventrem exonerare velit, decumbens exoneret, donec quadraginta dies prætereant, poſtea ſurgat, & pauciſſime obambulet, & ne lavetur, ſed intra pudendum graveolentium ſuffitum admittat, & modica edat.

Si uteri adglutinati fuerint, incumbunt, & ſi contigeris, videbis locum durum ſub lateris mollitie, & dolor corripit imum ventrem, & laterum mollitudinem, & lumbos, & in crura dolor irruit, eaque extendere non poteſt. Sæpe vero etiam ſuppurantur, & linamentis inditis curatæ, ac fluentes moriuntur, ſi non uſſeris, aut ſecueris. Quum autem ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & multa calida lavare, ac fovere & quum recens lota fuerit, jubere, ut admota manu, cum digito os uterorum abſtrahat, & myrrham caloniam ſuffiat, roſaceo adfuſo. Bibat autem pæoniæ grana nigra

quinque, caſtorio admixto, in vino odorato, & in coxam ſanam decumbat, & adponat. Baccarim unguentum, aut oleum album ad coxam ſanam; & edat allium plurimum, & crudum, & coctum, & ſuccum ſorbeat, & cibis mollibus utatur. Poſtquam autem dolor quieverit, abduces euntem ſuper ſanam coxam, poſtea vero fomentum ex urina adhibeto, lauro inſperſa, & a fomento cyclaminum adponito. Poſtera die lotæ ſuffitus ex aromatis adhibeatur. Cæterum ex hoc morbo maxime ſteriles fiunt.

Si complicatum fuerit os uterorum, menſes non prodeunt. Si vero prodeant, pauci, ac pravi ſunt. Et ubi cum viro coit, dolet, & dolor imum ventrem tenet, ac lumbos. Et ſi contingat digitis, & os requirat, non eſt manifeſtum. Quum ſic habuerit, urina humana foveatur, & poſt fomentum lenticulæ decocto lavetur, & poſtquam lota fuerit, uteri unguento Ægyptio foveantur. Et ſi odor ad nares adſcenderit, ſpes eſt ipſam ſanam fore. Et quum dormire voluerit, Ægyptium oleum in lana ſubdat. Poſtera vero die conſideret, an magis correcti ſint uteri: poſtea odoratis foveto, & purgatoria, quæ non mordeant, ſubdito, & poſt ſubdititia medicamenta, pari menſura aceti ad aquam admixta, eluito. Quum autem menſes prodierint, jejuna, & illota, & ſuffita cum viro coeat. Maxime vero hoc morbo ſteriles fiunt.

Si uteri ad coxam decurrerint, & menſes non procedunt, & dolor ad imum ventrem accedit, & ad lateris mollitiem, & digito contigeris, deprehendes os in coxa. Quum ita habuerit, calida lavato, & allia plurima edenda dato. Et lac ovillum purum bibat, & poſtquam lac purum exhauſit, fomento adhibito, poſtea pharmacum infra

ſra purgans exhibeto. Quum autem purgata fuerit, rurſus uteros foveto ex fœniculo, & abſinthio permixtis. Ubi vero recens fota fuerit, os cum digito abſtrahito; & ſcillam adponito, & interpoſita die, poſtea id quod præparatur cum narciſſino adhibeto. Si vero tibi purgata eſſe viſa fuerit, netopon adponito, & poſtridie roſaceum unguentum. Cæterum prima menſium decurrentium die ab adponendo ceſſato; poſtera vero incipito, ubi defecerint. At in menſibus, ſi quidem ſanguis eruperit, ſatis eſt; ſin minus, cantharides quatuor bibat, pedibus, & alis, ac capite rejectis, & pæoniæ grana nigra quinque, & ſepiæ ova, & apii ſemen, cum vino. Et ſi dolor habuerit, & urinæ ſtillicidium vexarit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam bibat aquoſam. Si vero a prima non fuerit purgata, rurſus bibat, donec fiat; poſtquam autem purgatio decurrit, jejuna cum viro cocat. In purgatione vero mercurialem edat, & polypos coctos, & cibis mollibus utatur. Liberabitur autem a morbo, ſi in ventre habuerit.

Si ex partu non fuerit purgata, tumet venter, & crura, & rigor, ac dolor imum ventrem, ac lumbos tenet.. Quandoque etiam ad viſcera adſcendit, & animo linquitur. Atque hæc patitur, incipiente morbo; progreſſu vero temporis cavæ faciei partes rubeſcunt. Quum igitur ſic habuerit; fomento uteris adhibito, cyclaminum adponito. Bibat autem medicamentum cum tæda præparatum, donec fluxus fuerit commotus. Ad os vero uterorum adipem anſerinum illinito, & myrrham, & reſinam tepidam, & quammaxime deambulet; & ante cibum mercurialem coctam edat, & allium, ac porrum; & braſſicæ ſuccum ſorbeat, & cibis mollibus utatur, & magis marinis, &

calida lavetur. A pinguibus autem, & dulcibus abſtineat, donec ſana fiat.

Si uteri pituita impleti fuerint, ſtatus oboritur, & menſes albi pituitoſi ſuperveniunt. Aliquando etiam ſanguis tenuis pelliculis plenus, & præ humiditate cum viro coire non vult, & pallida, ac tenuis fit. Interrogare igitur ipſum oportet, an quod fluit, mordeat, & exulceret, & ſi non mordeat, pronunciare a cerebro fluxum eſſe. Si vero mordeat, a ventre. Si quidem igitur a ventre fuerit, a lenticulæ decocto vomat. Deinde veratro purgato, poltea idem in nares immittito. Poſtquam autem ſuperior venter tibi purgatus eſſe videbitur, pharmacum infra purgans bibendum dato. A cibis autem pinguibus, ac dulcibus abſtineat. Acres autem exhibeantur velut commodi, niſi pudenda fuerint exulcerata, præſtant autem frigidi. Et modice lavetur, non tamen calida, neque caput. Jejuna vero bibat hypericum, ſemen apii, ſalviam, in vino aquoſo. Quum autem ceſſaverit fluxus, cum ſucco groſſorum eluito, & poſtea acerbis colluito. Eſt autem morbus gravis.

Si uteri inflammati fuerint, menſes omnino non prodeunt, aut pravi, & pauci. Et quum jejuna eſt, vomitus ipſam corripit. Ubi vero quid ederit, vomit cibos, & dolor imum ventrem, ac lumbos habet, & animi deliquium invadit. Venter autem aliquando durus, aliquando mollis eſt, & inflatur, ac magnus fit, & putat ſe in ventre habere. Si vero contigerit, plenitudo illa vacua fit. Huic uſque ad decimum menſem tumor paulatim augeſcit, velut in ventre habenti. Ubi vero decem menſes præterierint, venter aqua impletur, & umbilicus eminet. Et ſi digitum admoveris, os uteri gracile, & collapſum compe-

ries. Et ubi menſes adparuerint, pauci ſunt, & pravi. Et claviculæ, ac collum adtenuantur, & pedes intumeſcunt. Quum igitur ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato, & ad uteros, quæ purgant, & non mordent, adponito. Et poſt adpoſitionem uteros eluito, pari menſura aceti acerrimi ad aquam admixta, & mercurialem edat, & ſuccum ejus, farina inſperſa, ubi cocta fuerit, abſorbeat. Morbus autem eſt periculoſus.

Si ignis ſacer, eryſipelas dictus, in uteris oboriatur, tumor fit a pedibus exorſus, & ad crura, & ad lumbos procedens. Quum autem tempus amplius proceſſerit, intumeſcit etiam venter, & rigor, ac febris corripit, itemque debilitas. Præ dolore vero quieſcere non poteſt, ſed jactat ſe ipſam. Dolor autem ex imo ventre adſcendit ad lumbos, poſtea ſurſum vergit ad præcordia, & pectora, & caput. Et mori ſibi videtur. Quum autem remiſerit, torpor occupat manus, aliquando etiam inguina, & crura, & poplites, & fluida fit, & modico quandoque tempore ſibi melius habere videtur. Deinde rurſus eadem patitur, & corpus puſtulis impletur, & facies rubeſcit, & ſitis fortis tenet, & fauces ſiccæ ſunt. Hic morbus ſi prægnanti fiat, moritur; ſin minus, curata ſanatur. Quum igitur ſic habuerit, adhibere oportet, ſi dolor habeat, frigefactoria, & ventrem turbare. Et ſi quidem in ventre habeat, cibis, ac potibus utatur, a quibus fetus non corrumpitur. Si vero non ſecedant, clyſterem adhibeto. Si autem in ventre non habuerit, pharmacum bibendum dato, & cibis pauciſſimis utatur molliſſimis, ac frigidis, & mercurialem edat; & ſambucum, & neque ſalſa, neque pinguia, neque acria, velut eſt origanum, aut thymus,

aut ruta. Poſtquam autem calor, & ſtrangulatio remiſerit, & tumor non fuerit ſedatus, medicamentum fortius infra purgans poſtea bibendum dato. Morbum autem hunc paucæ effugiunt.

Si uteri præter naturam hient, & menſes plus, quam oportet, prodeunt, viſcoſioreſque, ac frequentiores, & genitura non manet intus. Et ſi digito contigeris, os hians comperies, & febris, ac rigor, & dolor imum ventrem, & lumbos corripit. Hic morbus a fluxu ſanguinolento corripit. Fit autem, quum menſes ſuppreſſi derepente eruperint. Huic, quum dolor maxime habuerit, tepefactoria adponito. Et quum remiſerit, uteros foveto, & pharmacum infra purgans bibendum dato. Et quæ non mordent, ſubdito, & poſt ſubdititia medicamenta, cum acerbis colluito, & quamminimum lavato. Cibis autem ſicciſſimis utatur. Si vero his factis ſana non fiat, pharmacum bibendum dato, a quo ſurſum, ac deorſum purgetur. Et quum menſes moti fuerint, & quum quieverint, ejuſdem modi victum exhibeto. Morbus autem lethalis eſt.

Si uteri ad medium lumborum proceſſerint, dolor imum ventrem habet, & crura contrahuntur, & quum alvum exonerat, dolores acutiores fiunt, & ſtercus cum vi prodit, & urina deſtillat, & animo linquitur. Quum ſic habuerit, fiſtula ad veſicam adligata uteros ſufflato, & fomentum adhibeto. Aut multo calido lavato, & male olentia ſub pudenda ſuffito. Sub nares autem odorata. Quum autem dolor ceſſarit, lenticulæ decocto præpotato, pharmacum ſurſum purgans bibendum dato, a quo venter moveatur. Poſtquam autem uteri ad locum ſuum redierint, medicamentum infra purgans bibendum exhibeto, & poſtea lac bibendum dato. Poſtea fomento ad

uteros adhibito ex vino, medicamenta cum lauro præparata immittito, & adponito, quæ non mordent, admixto aceto. Postea aromata suffito. Cæterum steriles, & claudæ fiunt ex hoc morbo.

Quum fluxus albus obortus fuerit, velut urina asinina adparet. Et dolor imum ventrem habet, & lumbos, & lateris mollitudinem, & tumores sunt crurum, ac manuum, & cava elevantur, & oculi humidi sunt, & color arcuatus, ac albus fit. Et quum iter facit, anhelat. Morbus autem fit, si ubi natura pituitosa est, febricitarit, & bilis commota purgata non fuerit. Si quidem igitur venter acuerit, ventris profluvia fiunt. Si vero ad uteros vertatur, fluxus fit. Postquam igitur ventris profluvium habuerit, papaveris albi, ac rubri corticem pari pondere, & spinæ fructum in vino diluto terito, & polenta recenti inspersa bibat. Si vero velis malicorium calido cinere torrefactum, ac tritum ex vino bibat, pari polenta, ac farina inspersa. Minimum vero lavetur. Cibis autem utatur quam siccissimis, ac frigidis. Ubi vero fluxus quieverit, pharmacum bibendum dato, a quo superna purgentur, & lac asininum bibat. Postquam autem infra purgata fuerit, bubulum lac bibat, ad dies quadraginta, si poterit meracum, sub dio per noctem expositum, quarta aquæ parte admixta. Vesperi vero, ubi ebibit, alicam sorbeat. Quum autem decem dies fuerint transacti, lactis, & aquæ decimam partem detrahito: quantum autem detraxeris, tantam tepidi recens mulcti portionem additam bibat, postridie vero duas portiones, ut in decem portionibus pro modico diluto sit meracum, & ad quatuor dies bibat. Dum autem decimam partem detrahit, etiam de sorbitione amplius addat. Postquam autem quatuordecim dies

transſegerit, decimam lactis partem bibens; poſtea tertiam aquæ partem adfundens, ad dies decem bibat, & cibis utatur, & ſic fiant omnes dies quadraginta.

Quum conceperit, & uterum, ac partus geſtarit, ea, quæ natura ſterilis eſt, primum quidem menſes deficiunt, & pauciores fiunt, & tempus, in quo prius fiebant, tranſmittunt. Poſtea derepente multi fiunt, & puri, ac fortes, & ſi quidem ſemel facti fuerint, de cætero ſecundum rationem in ventre habet. Sin minus, & primum fiunt, & iterum atque iterum in menſe, poſtea ex ſe ipſo deſinet fluxus, pallidaque, ac tenuis fit. Pharmacum igitur & ſurſum, & deorſum purgans bibendum dare oportet. Et lac aſininum poſtea bibendum, aut ſerum. Poſtea adhibito fomento, uteros medicamento, quod non mordeat, purgato. Deinde cum aceto colluito. Poſtea aromata ſuffito. Hæc autem facito, ut prima menſium die facta ſint. Et ne ſit illota, & impaſta, cyceonem inſulſum craſſum bibens, & aromatis ſuffiatur, netopo adfuſo & unguento roſaceo. Poſtea cum viro coeat.

Si acetabula pituita plena fuerint, menſes quidem bene ſuccedunt, & in ventre habet. Corrumpit autem fetum, ubi fortior factus fuerit. Non enim retinere poteſt, ſed abrumpitur. Cognoveris autem hoc modo. Humida fit, & mucoſum, ac viſcoſum defluit, & non mordet, & in menſibus, ubi a fluxu purgari ceſſaverit, per duos, ac tres dies muci ab uteris prodeunt. Hanc groſſorum ſucco eluito, & collutione peracerba poſtea bis aut ter facta, de cætero adponito id, a quo pituita purgatur, & mollia fomenta adhibeto. Et poſt ſubdititia adpoſita, pari menſura aceti ad aquam admixta, eluito, & in menſibus

aromata ſuffito; poſtea impaſta, & illota cum viro dormiat.

Quum menſes occultati fuerint, dolor imum ventrem tenet, & onus incumbere ipſi videtur, & lumbos dolet, ac laterum mollitudinem. Quum vero ad præcordia uteri adlapſi fuerint, ſuffocant, & ubi frequenter acida evomuit, ad modicum tempus melius habet. Dolor autem & ad caput, & ad collum procedit. Poſtquam igitur adlapſum parant, aut adlapſi ſunt, tepefactoria adhibeto, & graveolentia ſuffito, infra autem odorata, & caſtorium bibendum dato, & conyzam. Ubi vero deorſum prociderint, infra graveolentia ſuffito, ſub nares autem odorata. Sedatis autem doloribus, pharmacum bibendum dato. Et lac aſininum poſtea bibendum. Deinde ſuccum, a quo vomat, dato, & ad nares adponito. Poſtquam autem purgaveris, fomento uteris adhibito ex his, quæ cum lauro præparantur, id, quod ex narciſſo præparatur, adponito. Et tribus interpoſitis diebus, fomento adhibito, id, quod ex cantharide præparatur, adponito, & poſtera die adipem anſerinum, poſtea intermiſſis tribus diebus, collutione cum aceto parata, eluito. In purgationibus autem mercurialem ante cibos edat, & cibis molliſſimis utatur, & acria edat. Et bis in die calida lavetur. Si vero menſes non fiant, ubi hæc opportuno tempore feceris, cantharides bibendas dato, & poſtquam prodierint, jejuna, & illota, ac ſuffita cum viro dormiat.

Quum in ventre habens fetum menſtruum, aut bimeſtrem, corruperit, & ad perfectionem geſtare non poterit, & tenuis præter naturam fiat. Hujus uteros purgare oportet, ac corpus pinguefacere. Non enim prius fetum perferre poterit, quam uteri ipſius craſſi fiant, & robuſti eva-

dant. Si vero craſſefacta fuerit mulier præter naturam, non concipit in ventre. Nam omentum multum, ac craſſum incumbens, uteros deprimit, & genituram non ſuſcipit. Hanc adtenuare oportet, & pharmacum infra purgans, bibendum dare, & ad uteros adponere, quod purget ipſos, & flatus inducat. Si vero os uterorum durum fiat, aut cervix, digito intromiſſo, id cognoſces. Itemque ſi ad coxam fuerint averſi. Quum ſic habuerint, nihil acre adhibeto. Si enim os exulceraveris, ubi inflammatum fuerit, periculum eſt, ne penitus ſterilis fiat. Verum adponito, quæ non mordent, a quibus purgetur.

Si mulierem parere non potentem, purgare velis, & fuerit bilioſa, aut pituitoſa. Cognoſces autem, utrum horum ſit, ſi arena ſubſtrata, quum menſes fiunt, in ſole ſanguinem ſuperfundas, ac ſiccari ſinas. Si enim bilioſa fuerit, ſupra arenam ſanguis pallidus erit. Si vero pituitoſa, velut mucus erit. Et ſane utrum horum fuerit, infra purgato, & ad uteros ſubdititia adponito. Si menſes omnino non fiant, ſi quidem præ dolore id contingat, primum ventrem infra purgato, deinde medicamentum, a quo ſanguis ex uteris purgatur, adponito, poſtea intermiſſa die una, aut altera, rurſus id, a quo ſanguis purgatur, adponito. Reliquo vero tempore corticem crethmi in vino tritum bibat.

Si humidius fuerit os uterorum, quam oportet, acria adponito, quo morſum perreptet, & inflammatum valde durum fiat. Si vero induratum fuerit, acria adhibeto. Mordentia enim ſaniem diffundunt. Deinde mollia adponito. Sed & ad alios morbos non minus adponito.

Si puerperæ uteri in coxam incubuerint, aut ad lateris mollitudinem, ad ſanam coxam oleum

Ægyptium album, aut baccarim unguentum adponere oportet, & in ſanam coxam decumbat, & pæoniæ grana nigra quinque bibat, & fructus ſambuci conchæ teſtam majorem, & caſtorii magnitudinem fabæ in vino, poſtea lota ſuffiatur, & potibus ac cibis mollibus utatur, & mercuriali, & acribus omnibus, excepto raphano, ac cepis.

Quum ſuffocarint uteri, graveolentia omnia ſuffire oportet, bitumen videlicet, ſulphur, cornu, lucernarium funiculum, phocæ adipem, caſtorium. Odorata vero ſubter pudenda.

Si vero puerperæ inflammati fuerint, uteri, ardet, & ſuffocatio habet. Quum autem ſic habuerit, muſcum marinum tenuem tritum ſuper linteolo extentum pro cataplaſmate adhibeto, poſtea crudam hordeaceam farinam, & cinerem ſarmentitium, ac lini ſemen, oleo, & aceto adfuſo, coquito, donec velut farinæ ſubactæ maſſa fiat. Deinde quam calidiſſima ferre poteſt, imo ventri imponito.

Si vero fixi fuerint uteri, lentem, & mentam multam in aceto coquito, ut vaporem inde in os trahat, & nares adhibeat, & graveolentia ſuffito, & mercurialem edat, & in ſucco ejus farinam coctam ſorbeat. Quam celerrime autem, & priuſquam dolor occupet, exhibere oportet pharmaca, quæ uteros a dolore levant, & cibos per alvum ſecedentes, adſumat. Si vero venter calefiat, clyſterem adhibeto.

Si ex partu inflammati fuerint uteri, ſolani ſuccum in pudenda infundito, & ubi hic calidus factus eſt, alium infundito. Si vero hic non fuerit, lentiſci, aut rhamni, aut betæ, aut cucurbitæ ſuccum expreſſum infunde, & quod in medio hujus eſt tenerrimum, deraſum longa forma

inde, poſtea ceruſſam aqua tritam, & lana exceptam adpone. Si vero horruerit, tolle.

Si mulier ab utero debilis ſit, & bilis ipſam ſuffocet, & opus ſit ipſam leviter purgare, & dolorem ſedare, peucedani ſuccum trium cyathorum menſura bibendum dato.

Si in lumbis, aut lateris mollitudine fuerint uteri, & tranſmovere velis, ſulphur, & bitumen terito, & melle cocto adfuſo, glandulam craſſam facito, & in ſedem indito, & uteri ſi ſicci fiant, hæc quam celerrime adponito.

Mulieri, ſi uteri ſicci fiant, & ad pudenda promineant, & inguina dura fiant, & calor in pudendis inſit, cancerari incipit. Quum ſic habuerit, cucumeris ſilveſtris internam partem aridam terere opotet, & aquæ hemina adfuſa, in ſedem immittere, & purgari ſinere, donec purgetur. Quum autem mulieri pharmacum dederis, admiſce ad pharmacum ea, quæ uteros purgant, & quæ expellunt.

SECTIO II.

Potiones, & ſubdititia medicamenta, quæ ſecundas educere, & menſes detrahere poſſunt.

CAntharides quinque, avulſis alis, & pedibus, ac capite, deinde tribulos ad mare naſcentes una cum radice menſuram, quanta eſt conchæ teſta, terito, & anthemi pallidam, ſive luteam internam partem ſiccam tritam, conchæ teſtam addito, & ſeminis apii tantundem, & ſepiæ ova quindecim, & in vino dulci diluto bibenda dato, & quum dolor habuerit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat.

Aliud. Ranunculi foliorum, & floris triti Ægi-

nei ſtateris pondus in vino dulci bibat. Quum autem dolor habuerit, cicer album, & uvas paſſas in aqua coquito, & perfrigeratam bibendam dato, & ubi urinæ ſtillicidium vexarit, in aqua tepida deſideat.

Aliud. Adianti ſtaterem Ægineum in vino albo, pari aqua admixta, bibendum dato.

Aliud. Violæ albæ ſemen, quantum tribus digitis adprehendi poteſt, in vino albo, eodem modo temperato, bibendum dato.

Aliud. Leucoii nigri radicem in vino eodem modo ſumat.

Aliud. Crinanthemum, quod in domibus naſcitur, eodem modo miſceto, ac bibendum dato.

Aliud. Anchuſæ foliorum pugillos duos in vino albo, æquali aqua admixta, bibendos dato.

Aliud. Chamæleonis radicem, velut veratri potionem, deraſam in vino albo, aqua pari menſura admixta, bibendam dato.

Aliud. Braſſicæ, & porri ſuccum, ad utrumque ſucci ſilphii obolis tribus admixtis, ex vino albo cum pari aqua bibendum dato,

Aliud. Olivas albas, priuſquam oleum inſit, compunctas ſiccato, poſtea tuſas, & cribratas, ac in vinum injectas bibendas dato. Hoc & menſes detrahit, & ſecundam expellit.

Aliud. Dictamni cretici obolum in aqua bibendum dato. Et ſi hoc in potu dato, ſecundam ejicere non potes, ſambuci ſucco cocto immiſſo foveto, & cantharidem adponito. Hoc etiam fetum expellit. Quum autem morſum intulerit, auferat, & roſaceo unguento tinctum adponat, donec elapſa fuerit.

Aliud.. Populi nigræ creticæ grana novem trita in vino bibenda dato. Cum hoc etiam abluatur, ſi difficulter pariat.

Aliud. Conyſæ teſtam conchæ majorem cum porri ſucco diluito, & netopi teſtam conchæ majorem admiſceto, & hæc in vino bibenda dato.

Aliud, quod menſes detrahit. Peucedanum, & panaces, & pæoniæ radicem in vino bibenda dato.

Aliud, quod fetum mortuum, & ſecundas ejicit. Violæ & portulacæ ſemen contundito, ac miſceto, & in vino albo veteri exhibeto.

Aliud, quod menſes detrahit. Seminis violæ albæ, quantum tribus digitis adprehendi poteſt, & ſtercoris caprini pilulas quinque, aut ſex, in vino odoratiſſimo permiſceto, & bibenda dato, ubi prius fomentum ex aqua, & oleo immiſeris. Adhibeto autem fomentum in ſella, & ubi hæc bibit, quam celerrime lotam reclinato. Braſſicam vero edendam exhibeto, & ſuccum ejus ſorbendum.

Aliud. Seminis violæ albæ, quantum tribus digitis adprehendi poteſt, in vino bibendum dato, & in aqua calida deſideat. Si vero id non habeat, fœniculi radices contuſas in aqua mulſa tepida macerato, & exhibeto.

Aliud. Fraxini grana decem in vino bibenda dato. Hoc in omni uterorum morbo commodum eſt, & valde ciet urinam.

Aliud. Succum ſilphii magnitudine ervi, & naſturtii ſemen terito, ac admiſceto, & in vino, aut lacte canino bibenda exhibeto. Hoc etiam fetum expellit

Aliud fetum ejiciens. Ranunculum herbam, & parum elaterii in aceto temperato mixta bibenda dato.

Aliud ad idem. Braſſicæ caulem tenerum, extremitate ex netopo illita, adfricato.

Aliud, ſi menſes non fiant. Terebinthi fructum tritum, in vino, & aqua dilutum, ac excolatum, jejunæ bibendum dato, & calida lavetur.

Aliud menses ciens. Rubra pæoniæ grana in vino jejunæ bibenda dato.

Aliud ad puerperii purgamenta purganda. Fœniculi semen, & crethmi corticem, & thus in vino bibenda dato.

Aliud. Tædam quam pinguissimam in vino coquito, & pæoniæ grana quinque in vino terito, & heminæ quadrantem bibendum dato.

Aliud mercurialis semen, & folia in vino bibenda præbeto.

Aliud. Pæoniæ grana nigra quinque, & sepiæ ova in vino bibenda dato.

Ad omnem puerperam. Ad irionem, & polentam oleum adfunde, & coctum sorbeat, & cibis quammollissimis utatur.

Aliud. Scammoniam in lacte muliebri tritam, lana exceptam adpone.

Aliud. Mercurialis folia trita in linteo subde.

Aliud. Herbam artemisiam tritam, & unguento rosaceo imbutam, adpone.

Aliud. Albam radicem tritam, ac rosaceo unguento subactam adpone.

Aliud. Pæoniæ radicem melle, unguento rosaceo, & Ægyptio subactam, in lana subde.

Aliud. Farinam non lotam eodem adpone.

Aliud. Lolii, & tritici farinam, simul melle subactas, in lana subde.

Aliud, quod menses, & puerperii purgamenta purgat, & aquam ducit. Radicis struthii tusi triti, quantum tribus digitis adprehendi potest, melle subactum adpone. Nascitur autem in Andro in littoribus.

Aliud ad uteros depurgandos. Mercurialis contusæ, & cucumeris sylvestris modicum in vino tere, & melle subacta adpone.

Aliud. Pilos leporis combustos, ac tritos in vino, & melle cocto, & aqua subactos bibendos dato, & aqua calida lavetur.

Aliud partus purgatorium. Polentam crassius fresam dimidii hemichœnicis mensura, in aquæ heminis quatuor coquito, & ubi efferbuerit, bis, aut ter sorbendam dato.

Aliud purgans puerperii purgamenta. Sambuci folia coquito, & oleo adfuso, bibenda dato. Edat & brassicas coctas, & porrum.

Aliud purgans uteros. Rhois folia, & irionem terito, & in vino, polenta inspersa, bibenda dato.

Aliud. Misyos obolos duos tritos, & vino subactos adponito.

Aliud. Lini semen tritum, vino subactum adponito.

Aliud. Trifolii semen in vino bibendum dato. Si vero ad lumbos uteri incubuerint, polypos coctos edat, itemque assatos, & vinum bibat nigrum, odoratum, meracum quamplurimum.

Aliæ potiones, medicamenta subdititia, ac purgatoria. Rhoem rubrum, & vinacea in aqua coquito, & farina tritici recentis in aquam inspersa, bibendam dato.

Aliud. Farinam in aquam injectam bibendam dato.

Aliud. Mora rubi siccato, ac terito, & polenta recenti admixta, amborum acetabuli mensuram in vino odorato, & aquoso bibat.

Aliud. Terram nigram samiam in aqua tritam, tali magnitudine bibendam præbeto.

Aliud. Hypocistidem in vino bibendam dato.

Aliud. Mala punica vinosa exsuccato, & polentam cum succo subactam siccato. Postea tritam in vino bibendam dato.

Aliud. Baccas myrti nigras tritas in aqua diluito, & polenta inſperſa, bibendas exhibeto.

Aliud. Mali punici dulcis aſſati drachmam in vino tritam bibendam dato.

Aliud. Triticum, & hordeum torrefacta, trita, & ad farinam redacta, in vino nigro bibenda dato.

Aliud. Mali punici dulcis internam partem, pari aqua admixta, bibendam dato.

Aliud. Cicutæ, quantum tribus digitis adprehendi poteſt, cum aqua bibendum dato.

Aliud. Farinæ tritici recentis, & gypſi æquales partes mixtas in aqua bibendas dato.

Aliud. Mali punici dulcis corticem, ac corium, in vino bibendum dato.

Aliud, ſi ſanguis ex uteris fluat. Viticis folia in vino nigro bibenda dato.

Aliud ad fluxum, ac dolorem. Roſmarini radicem in vino bibendam dato.

Alias item potiones ad uteros habes. Cedri fructus, ſeſeli, cuminum Æthiopicum, caſiæ fructum, juniperi baccas, milium, lentiſci fructum, nigellam, dauci radicen, ac ſemen. Aromata vero, thymum, thymbram, ericem, hypericum, papaver album, crethmi radices, ac ſemen, malvæ radices, mercurialis ſemen, & folia, urticæ ſemen, ſalviam, populum nigram, dictamnum, pſeudodictamnum, amomum, cardamomum, helenium, ariſtolochiam, caſtorium, adiantum, dracontium, peucedanum, rutæ folia, ac ſemen, apii ſemen feniculi ſemen, hippoſelini ſemen, & radices, hippomarathri ſemen, & radices, ſtruthii ſemen, & radices, hyſſopum cilicium, irionem, pæoniam, panaces. Quodcumque horum volueris, & cum altero permixtum, & per ſe in vino aut aqua, prout volueris coctum, exhibeto bibendum. Com-

moda ſunt, & purgatoria, & quæ dolores ſedant. Malvæ radicem in aqua dato.

Aliud. Pæoniæ ſemen modico cedrino oleo admixto, in vino bibendum dato; & uterorum dolores ſedabis.

Aliud, quum uteri ſuffocarint. Caſtorium, & conyzam in vino albo bibendo dato. Si vero ad nares acceſſerint, cnidii grani internam partem albam, melle admixto, naribus illinito.

Aliud ſedans dolores. Malvæ radicem, & fœniculi, ac crethmi corticem ex aqua bibenda dato.

Aliud. Stellas marinas nigras, & braſſicam miſceto, & in vino odorato bibenda præbeto.

Aliud. Myrrhæ obolos tres, coriandri parum, reſinam, pæoniæ radicem, cuminum Æthiopicum, hæc trita in vino albo diluta, leviter tepefacta, bibenda dato.

Aliud, quod ſecundas expellit. Ricini radicem bibendam dato.

Aliud, ſi ad cor adlapſi uteri ſtrangularint. Viticis, & pæoniæ ſemen in vino bibendum dato. Adpoſititia acria ſanguinem ducentia Cantharides quinque thuri, ac myrrhæ admiſceto, & glandulam longam magnitudine gallæ formato, & lana obvolutam linteo albo circumdato, & unguento Ægyptio albo, aut roſaceo madefactam adponito.

Aliud. Bupreſtim, ſi parva fuerit, totam, ſi magna, dimidiam, ad prædicta admiſceto, & eodem modo adponito. Si vero mollioribus uti velint, bupreſtides in vinum mitte, & cuminum Æthiopicum, & ſeſeli, ac aniſum addito, ac ferveſacito, ad decem vero bupreſtides, acetabulum olei admiſceto, reliquis omnibus æquali portione acceptis. Admiſceto etiam myrrhæ, ac thuris parum. Ex hoc pugillum accipito, & velut priorem glandulam ſubdito.

Aliud

Aliud. Nigellam terito, cum melle, & vino ſubactam in glandulam redigito, ac utere velut ſuperiore.

Aliud. Philiſtium eodem modo præparatum adponito.

Aliud. Telephium eodem modo præparatum ſubdito.

Aliud. Anemonæ folia trita linteo excipito, & myrrhæ parum admiſceto, & eodem modo ūtitor.

Aliud, quod ſanguinem ducit. Glandem Ægyptiam terito, & ſuſinum unguentum, quod eſt in terra Ægyptia, addito, & aqua diluta, ac lana involuta adponito.

Aliud bilem purgans. Cucumeris ſilveſtris medullam tritam, ac melle ſubactam, & ad glandis formam redactam, adponito.

Aliud. Colocynthidis ſylveſtris internam partem terito, & melle ſubactam, eodem modo ſubdito.

Aliud. Elaterii potiones quatuor, adipe anſerino, & caprino, & miſy admixto, in glandulam formato, & in linteo adponito.

Aliud. Thlaſpi tritum, & melle imbutum adponito.

Aliud. Foliorum fici ſaniem deradito, & elaterii potiones duas admiſceto, & nitri tantumdem, melleque ſubacta adponito.

Aliud, ſi uteri inflammati fuerint. Nitrum rubrum, ficus pinguedinem internam, utriuſque pares portiones tritas, & ad gallæ magnitudinem efformatas ſubdito.

Aliud cumini folia cum vino trita, in linteo ſubdito.

Aliud. Radicem albam terito, & melle adfuſo fervefacito, & glandulam inde factam ſubdito.

Aliud. Succum ſilphii, & ficum, mixta in glandem formata, adponito,

Aliud. Cucumeris ſylveſtris ſemen tritum eodem modo.

Aliud. Fel tauri, nitrum rubrum, netopon, cyclaminum terito, & de ſingulis gallæ magnitudinem, de cyclamino vero plurimum, melli admiſceto, & adponito.

Aliud. Cyclamini caput purgatum, in aqua tritum, ac linteo illigatum adponito.

Aliud. Myrrham, ſalem, cuminum, fel tauri, hæc melle ſubacta, ac linteo excepta, ſubdito.

Aliud. Grana cnidia triginta deligito, & tria Indici pharmaci oculorum, quod piper vocatur, & alia tria de rotundis. Hæc tria in vino veteri trita, & oleo dulci diluta, ac ſubacta, lanaque excepta ſubdat, & urina eluatur.

Aliud. Tithymali ſuccum melle ſubactum, ac linteo exceptum adponito.

Aliud. Scillæ radicem longitudine digitorum ſex ſumito, & duobus digitis lana obvolutis ſubdito.

Alia mollientia, a quibus aqua purgatur, & ſanguis, ac menſes ducuntur, ſi non diuturni fuerint, & os uteri mollitur. Narciſſinum, cuminum Æthiopicum, thus, abſinthium, cyperum: aliorum quidem ſingulorum æquales portiones ſumito, narciſſini vero partes quatuor. Hæc trita, & in glandulam efformata, linteoque crudi lini excepta adponito.

Aliud. Cyclaminum magnitudine tali, & florem æris magnitudine fabæ terito, melle ſubigito, & efformatam hinc glandulam ſubdito.

Aliud. Pulegium, myrrham, thus, fel ſuillum, melle ſubigito, & in glandulam efformata ſubdito.

Alia acerba. Rhoem vino nigro ſubactum adponito.

Aliud. Cnicum eodem modo præparatum ſubdito.

Aliud. Loti ramenta eodem modo adponito.

Aliud. Rhoem, melle admixto, ſubdito.

Alia mollientia. Sulphur, adipem, vitellum ovi, farinam melle ſubige, & tepeſacta in lana ſubde.

Aliud. Pinguedinem anſeris, adipem ovillum, ceram albam, reſinam, unguentum roſaceum, tenui linteo excepta, adpone.

Aliud. Medullam cervi, & adipem liquefacito, & in lana adponito.

Aliud. Adipem ovillum, aut caprinum, & ovi candidum, roſaceo unguento ſubactum, ac lana exceptum adponito.

Quæ ad eluendos uteros infunduntur. Groſſos hybernos in aquam miſſos ad lentum ignem coquito, & oleo ad decoctum adfuſo eluito. Deinde vero malicorium, & gallam, & loti ramenta in vino acerbo coquito, & hoc excolatum infundito.

Aliud. Fecem vini combuſtam in aquam mitte, & poſtea cum aqua collue, deinde malicorio, myrti baccis, foliis rhois in vino coctis, vinum excolatum infunde.

Aliud. Lentiſci, ſalviæ, hyperici folia in vino nigro coquito, ac infundito.

Aliud. Si quid in uteris fuerit exulceratum; butyrum, thus, myrrham, reſinæ parum infunde.

Aliud. Porrum in aqua coquito, & excolatam aquam ad vinum admixtam infundito.

Aliud Sambuci fructum, aniſum, thus, myrrham, vinum ſumito, & horum ſuccum infundito.

Aliud. Braſſicam in aqua coquito, & in braſſicæ ſucco mercurialem coquito, modico lini ſemine adjecto, & poſtea excolatum infundito.

Aliud. Myrrhæ acetabulum, thus, ſeſeli, aniſum, ſemen lini, netopum, reſinam, mel, pinguedinem anſeris, acetum album Ægyptium, horum ſingulorum æquales portiones terito, & in vini albi heminis duabus diluito, & poſtea tepida infundito.

Aliud. Mercurialem in aqua coquito, ac excolato, & myrrhæ acetabulum, thuris, netopi, ſingulorum æquas portiones admiſceto, ac tepida infundito.

Aliud. Salviam, & hypericum in aqua coquito, ac infundito.

Aliud. Sambuci fructum, & lauri baccas, æquis portionibus, in vino coquito, deinde vinum infundito.

Aliud. Pulegium in aqua coquito, & oleo ad aquam adfuſo immittito.

Aliud. Pinguedinem anſeris, & reſinam, colliquefacta infundito.

Aliud. Butyrum, oleum cedrinum modicum cum melle liquefacito, & tepida infundito.

Aliud. Cyperum, juncum rotundum odoratum, calamum aromaticum, pari portione myrrhæ admiſceto, & cum his ſiſymbrium in vino coquito, ac infundito.

Aliud. Semen apii, aniſi, ſeſelis, nigellam in vino coquito, ac infundito.

Aliud. Cedrum creticam in vino coctam infunde.

Aliud. Bryoniam albam, & myrrham in aqua diluta infunde.

Aliud. Argenti florem cum vino, & aqua infunde.

Aliud. Elaterii potiones duas aqua dilutas infunde.

Aliud. Cucurbitas, ſive colocynthidas ſylve-

ſtres duas in vini, aut lactis cocti heminis quatuor madefacito, excolato, ac infundito.

Aliud. Cucumeris ſylveſtris medullam palmi parvi magnitudine in aquæ heminis quatuor coquito, & melle, ac oleo adfuſo infundito.

Aliud. Radicis thapſiæ duas potiones, & mel, ac oleum in duabus aquæ heminis diluito, ac infundito.

Aliud. Veratri duas potiones in duabus aquæ heminis tepidæ infundito.

Aliud. Veratri duas potiones in duabus aquæ heminis tepidæ infundito.

Aliud. Thlaſpios acetabulum, melle admixto, in duabus aquæ heminis diluito, ac tepide infundito.

Aliud. Cucumeris ſylveſtris magnitudinem palmi parvi in aquæ heminis quinque coquito, & melle adfuſo infundito.

Aliud. Grana cnidia ſexaginta oleo, & melle diluta infundito,

Aliud. Si natura pituitoſa fuerit, cneori potionem tritam in aquæ mulſæ hemina Æginæa diluito, ac infundito.

Aliud. Si bilioſa fuerit, daphnes potionem odoratæ illius drachmæ pondus, ſcammoniæ potionem terito, & in aquæ mulſæ, aut aquæ uvæ paſſæ hemina Attica diluito.

Aliud. Daphnoidis potionem eodem modo, & ſi bilioſa fuerit, hæc infunde. Si vero pituitoſa, grana cnidia electa, & ſucci tithymali potionem infundito. Similiter etiam cneoro, & peplo, utrisque his uti oportet. Immittito autem cum infuſo non ampliore, quam duarum heminarum. Suffitus porro ſunt hæc contuſa. Gallam ſuffito.

Aliud. Ramenta loti ad oleæ folia ſicca contuſa miſceto, & oleo ſubacta ſuffito.

Aliud. Prunas ſubjicito, & hordei paleis humidis inſperſis ſuffitum facito.

Aliud. Super amphoræ oleariæ operculo ſtœben incendito.

Aliud. Cupreſſi ramenta ſuffito.

Aliud. Scammoniam, myrrham, thus, unguento adfuſo, ſuffito.

Aliud. Bitumen, & hordei paleas miſceto, ac addita pinguedine phocæ ſuffito.

Aliud. Fraxinum, cupreſſi ramenta, cyperi radicem, unguento roſaceo ſubacta, ſuffito.

Aliud. Calamum, cyperum, bryoniam, muſcum arboreum, apii ſemen, aniſum, ſimul mixta & unguento roſaceo ſubacta ſuffito.

Aliud. Reſinam ſiccam cineri fervido inſperſam ſuffito.

Aliud. Cinnamomum, myrrham, caſiam, paribus ſingula portionibus ſuffito.

Aliud. Crocum admixta myrrha, & muſco, æquali cum croco portione ſuffito

Aliud. Calamum, cneorum, crocum, folia roſarum rubra ſuave olentia trita, & ſiccata ad crocum admiſceto, & ſtyracem dimidia croci portione addito. Hæc trita mixta, & ſiccata, melle cocto modico ſubigito. Horum vero omnium ſuffitus ſit oboli Attici pondus. Suffiantur autem ſuper ſtercore bubulo. Formetur autem ſtercus velut acetabulum olearium, habeatque fundum tenue, & ſit ſiccum. Ignis autem ſit ſarmentitius, in quo ſtercus jaceat, & ex illo mulier incidens contecta ſuffiatur.

Aliud. Galbanum, reſinam, mannam, unguento roſaceo ſubacta ſuffito.

Aliud. Panacis, & cupressi ramenta, unguento Ægyptio albo subacta suffito.

Aliud. Cinnamomum, nardum, & myrrham unguento rosaceo imbuta suffito.

Aliud. Violæ albæ semen, cedri ramenta, & galbanum, melle subacta suffito.

Aliud. Stercoris caprini pilulas, & leporis pilos, pinguedine phocæ subacta suffito.

Aliud. Coaguli phocæ pelliculam contusam, ac tritam, & spongiam, & muscum arboreum, trita simul mixta, atque phocæ pinguedine excepta suffito.

Aliud. Stercus caprinum, & pulmonem phocæ, ac cedri ramenta suffito.

Aliud. Stercus bubulum, cedri ramenta, & bitumen suffito.

Aliud. Spinæ Ægyptiæ fructum, & cedri ramenta, & myrti siccæ folia. Hæc trita, & unguento molli subacta suffito. Multa vero aromata in unguentum injicito.

Aliud. Vinacea tusa trita, & cedri baccas, & resinam pinus, simul mixta, & passo cocto subacta suffito.

Fomenta. Stercus bubulum contusum, ac cribratum, aceti dimidia mensura, & decocti ervi dimidia adjecta, leniter pro fomento adhibeto.

Postquam autem fomentum adhibueris, lenticulæ decoctum bibendum dato, ac revomendum. Et farinam sorbendam, ac vinum insuper bibendum. Postridie vero granum cnidium devorandum exhibeto. Sequenti die, quod urinam ciet, hoc scilicet. Ciceris albi partes duas tritas, uvæ passæ tertiam partem, adfusa aqua ad dimidias coquito, deinde excolatam aquam per noctem sub dio exponito, & postridie bibendam dato. Et de cætero salviam, ac lini semen, polenta ad ambo

hæc admixta, bis per diem in vini diluti heminis quatuor dato.

Aliud. Olei heminas dimidias tres, foliorum ſambuci, manus plenæ menſuram. Hæc cocta in craterem calidum fundito, & per teſtas calidas immiſſas fomentum facito, muliere in ſella collocata, ac veſtimentis cooperta.

Aliud. Foliorum ſambuci manus plenæ menſuram, & myrti tantumdem in aqua miſſa coquito, & ad excolatam aquam, hordei paleas injicito, coquito, & linteo excipito, ac cum hoc fomentum facito, prout maxime calorem ferre poterit.

Aliud. Acetum, oleum, aquam, mel, hæc mixta valde fervefacito, deinde accepta veſica capiente congium, aut utriculo ex tenui corio facto, infundito, & panniculo laneo obvoluto, foveto. Quum autem tepidus factus fuerit panniculus, alium obvolvito.

Aliud. Pini corticem, & rhois folia in aquam conjecta fortiter coquito, & in excolata aqua hordei paleas coquito, oleo adfuſo, ubi vero ſimul coxeris, linteo excipito, ac foveto.

Aliud. Loti ramenta, & cupreſſi, aqua, & oleo adfuſo coquito. Deinde ſimul cocta linteo excipito, ac foveto.

Aliud. Aromata in aquæ chœnicem conjecta coquito, & in excolata aqua furfures triticeos coquito, & foveto.

Aliud. Eodem modo gallam contuſam, & rhamni corticem in aqua coquito, & cum aqua furfures triticeos ſubigito, ac oleum admiſceto, poſtea ſemiaſſatum panem duos chœnices habentem facito, linteoque excipito, ac foveto.

Aliud. Braſſicam, & porrum decoquito, & cum ſucco eodem modo fomentum facito.

Aliud hordei paleas loquito, oleo adfuſo, & linteo excipito, ac foveto.

Aliud. Solanum, & oleæ folia coquito, & eodem modo fomentum facito. Atque hæc ſane, ſi quidem humidis uti volueris, pro fomento velut ſcripta ſunt, adhibe. Si vero ſiccis, panes parato, & exaſſatos, & ſemiaſſatos, & cum his foveto. Sed & teſtis calidis linteo involutis foveto, itemque cum ipſis linteis calefactis & cum lenticulis vaſis teſtaceis, fervente aqua infuſa. Adponito autem ad pedes.

Aliud. Iridis radicem tundito, ac coquito, & eodem modo ſoveto.

Si aqua in uteris gignatur, menſes pauciores fiunt, & deteriores, & per longius tempus, & prægnans eſt ſemper per duos menſes, aut paulo amplius. Quum autem hoc tempus advenerit, & corrumpit, & aqua multa in ipſa gignitur. Huic autem lac bibendum dare oportet, & peplum, mecona dictum, donec fetus moveri inceperit. Plerumque vero ante hoc corrumpitur, & per abortum extruditur, & uteri ſanguine manant. Hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quam aliter. Hoc autem cognoſcere poteris, quod hydrops ineſt, ex digiti contactu. Comperies enim oſculum uterorum gracile, & obſcuratum, ac plenum humiditate.

Si vero non circa initia, ſed dum jam movetur, fetus ipſi corrumpatur, ac ſuffocetur, tunc & venter imus intumeſcit, & ad contactum dolet, velut ulcere præſente, & febris ipſam, ac dentium fremitus corripit. Et dolorem habet acutum, & vehementem circa pudenda, & imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, ac coxendices. Quum ſic habuerit, calida ipſam lavare oportet. Et qua parte dolor hæſerit, tepefactoria ad-

hibere, experimento facto de eo, quod maxime admittat, & pharmacum deorſum purgans bibendum dato. Interpoſito vero tempore, quantum tibi ſufficiens eſſe videbitur, & collutione facta, & fomento adhibito, cyclaminum adponito, ita ut melle ſubactam, & linteo exceptam deliges, & ad os uterorum adponas. Cupreſſi etiam ramenta in aqua madefacta, eodem modo adponito. Verum hæc breviore tempore, & per longius temporis intervallum, quanto magis mordent, & exulcerant. Et ſpecillum ſtamneum paratum immittito, & digitum eodem modo. Potiones quoque bibendas dato, experimentum faciens, quas libenter admittat, & cum viro dormiat, maxime opportuno tempore præſente. Si enim genituram conceperit, & prægnans facta fuerit, ac pepererit, ſubexpurgantur & quæ prius in ipſa fuerant, cum ipſo puerperii purgamento. Atque ſic maxime ſana fieri poterit.

Si indurati fuerint uteri, & os ipſorum aſperum fit, & menſes occultantur. Quum vero adparuerint, velut arena ſunt, & genitura hoc tempore non fit. Si vero etiam digito contigeris. aſperum comperies os uterorum. Quum ſic habuerit, cyclaminum terere oportet, & ſalem, ac ficum crudam admiſcere, & cum melle efformata adponere, & fomento adhibito, purgatoria infundere. Edat autem mercurialem, & braſſicas coctas, & ſuccum ſorbeat, & calida lavetur.

Si indurati fuerint uteri, & menſes occultantur, & os ipſorum connivet, & non concipit. Quum ſic habuerit, ſi digito contigeris, comperies os aſperum, & digitum non intromittit, & febris ipſam corripit, ac dentium fremitus. Et dolor habet imum ventrem, & laterum mollitudinem, & lumbos. Patitur autem hæc, ſi

fœtus in ipſa corruptus, fuerit putrefactus. Quibusdam vero etiam ex partu contingit. Sæpe etiam aliter. Quum ſic habuerit, multa calida ipſam lavare oportet, & fomentum adhibere. Quum autem recens lota, aut fota fuerit, immiſſo ſpecillo os aperito, ac dilatato, & per digitum eodem modo, & velut in priore ſcriptum eſt, adponito. Et potiones ſimiliter bibendas dato, & eodem modo curato velut priorem.

Si uteri ad latus adlapſi fuerint, tuſſis detinet, & dolor ſub latus, & uterus durus ſicut pila inſidet, & ad contactum dolet velut ab ulcere. Et contabeſcit, & videtur peripneumonia eſſe, & convellitur, & gibboſa fit. Et menſes omnino non adparent, quibuſdam vero prius conſpecti, evaneſcunt. Tunc autem fientes, debiles ſunt, ac pauci, aut deteriores quam antea, & genitura non fit hoc tempore. Quum ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & eo epoto, multa calida ipſum lavato, & ex tepefactoriis, quod maxime admittit, adhibeto, & a quibus ſanguis purgatur, ea adponito, & lini ſemen toſtum, tuſum, ac cribratum, & peplum album, & ſalviam cum polenta tenui, & caſeum caprinum, ſordibus, & ſalis muria deraſis, hæc miſceto, ut caſei ſint partes duæ, reliquorum vero una, polenta autem ſit antiqua, non ſalſa, & jejunæ in vino bibenda dato. Veſperi vero cyceonem craſſum, melle adfuſo, exhibeto, & ex potibus quemcumque libenter admiſerit, bibendum dato. Et frequenter fomentum adhibeto. Calidam vero adſpergito, & per ceratum leniter mollito, ac a latere detrudito, & latus faſcia lata deligato, & lac bubulum quamplurimum ad dies quadraginta bibendum præbeto. Cibis autem utatur quammolliſſimis. Morbus hic ve-

hemens eſt, & lethalis, & paucæ, etiamſi curentur, ipſam effugiunt.

Si os uterorum concludatur, forte fit velut groſſus ficus. Et ſi digito contigeris, comperies durum, ac contractum, & digitum non intromittit, & menſes occultantur, & genituram non ſuſcipit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem. Quandoque etiam ſurſum procedit, & ſuffocat. Quum ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum præbeto, & multa calida lavato, & quæ os molliunt, adponito, & ſpecillum immittito, ac aperito, & digitum ſimiliter, & calidam adſpergito. Quum autem molle factum fuerit, ea, quæ ſanguinem purgant, adponito, & ex potionibus dato, experimento facto, quam libenter admittat, & braſſicam edat, & ſuccum ejus ſorbeat.

Si uteri obliqui fiant, etiam os ipſorum obliquum fit, & menſes ipſi nunc occultantur, nunc prius adparentes evaneſcunt, & non ſimiles fiunt, ſed deteriores, & pauciores quam antea, & genitura non fit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & coxam, & adtrahit ipſam. Quum ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & calida lavare, ac fovere. Ubi vero recens fota, aut lota fuerit, digito immiſſo, os uterorum corrigat, ac dirigat, & odoratorum ſuffitum admittat, & ex potionibus dato, juxta experimentum, quam libenter ſuſcipit. Cibis autem utatur mollibus, & allia edat cocta, ac cruda, & cum viro dormiat, & in ſanam coxam decumbat. Alteri vero fomentum adhibeat. Morbus autem difficulter cedit.

Si inflati fuerint uteri, & venter adtollitur, ac inflatur, & pedes intumeſcunt, & cavæ faciei

partes. Color vero injucundus fit, & menſes non fiunt, & genitura hoc tempore non fit, & anhelat, & anxia mœret, & quum ſurrexerit, aut progreſſa fuerit, erectæ cervicis ſpiratio ipſam tenet, & quicquid ederit, aut biberit, ipſam moleſtat, & gemit, & magis ægre triſtatur, quam priuſquam ederet. Sæpe vero etiam ſuffocatur. Quum ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & calida lavato, ac fomentum adhibeto. Interpoſito vero tempore quodam, adponito ea, a quibus purgetur, ac non mordeatur. Frequentiſſime vero totum corpus foveto. Tunc autem & ſub pudenda odorata ſuffiantur. Sub nares autem graveolentia, & potiones dato, quæ uteros purgant, & ad locum compellunt. Et mercurialem edat, & lac bibat, velut de latere dictum eſt. Morbus autem non eſt diuturnus.

Si ſanguinis grumi in utero coierint, os ipſorum velut ervo plenum fit, & ſi adtigeris, ita habere deprehendes, & menſes non fiunt. Neque genitura retinetur, quam diu ſic habuerit. Quum igitur ita habuerit, cyclamini corticem detrahito, & allium, & ſalem, & ficum, & mellis parum terito, ac permiſceto, & glandulam hinc formatam ad uterorum os adponito, & alia uteris convenientia medicamenta ſubdito, quæ videlicet acria ſunt, ac corrodunt, & a quibus ſanguis purgatur, & de potionibus dato eas, quæ uteros purgant, & omnia circumradito, & veſicæ pellicula, ſive cuticula, digitis obvoluta, os uterorum deradito.

Si obtorti fuerint uteri, & menſes non fiunt, & genitura non manet intus, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudines, & ſi digito contigeris, os uterorum adtingere non poteris, nam fortiter ſeceſſit. Quum

ſic habuerit, pharmacum bibendum dare oportet, a quo ſurſum, ac deorſum purgetur, magis tamen deorſum, & os ipſum, ac uteros quam maxime fovere, ac calida lavare bis in die, & de potionibus dato, quam libenter ſuſceperit pro experimento, & viro condormiat frequentiſſime, & braſſicam edat.

Si uteri commoti in loco non manſerint, quo prolapſi fuerint, dolores exhibent, inconſpicui fiunt. Quandoque vero eminent velut ſedes prolapſa. Et quum quidem ſupina decubuerit, in loco manent. Quum autem ſurrexerit, aut ſe inclinaverit, aut alias ſe commoverit, exeunt. Sæpe vero etiam quietem habent. Hanc quam maxime quieſcere oportet, & non moveri, & lectum ad pedes altiorem ſtatui, & iiſdem uti, velut in ſuperioribus, & cum acerbis infuſis conſpergere, & graveolentia ſuffire. Sub nares autem odorata, & malum punicum in medio per umbilicum perforato, & in ipſo picem, quæ maxime congruat, cum vino tepefacito, & non valde premens, quampenitiſſime adponito. Quum autem quid adpoſueris, lata faſcia exceptum, ex lumbis deligato, ne dilabatur, ſed maneat, & faciat, quod expetitur, & peplum cum caſeo, & polenta bibendum dato, velut adlapſu ad latus dictum eſt, & ex potionibus quammaxime admiſerit, bibendam præbeto. Cibis autem molliſſimis utatur, & cum viro quammaxime dormiat.

Si hiaverit os uterorum magis quam ſolet, menſes plures fiunt, & deteriores, & humidiores, & per longius tempus, & genitura ipſam non contingit, neque intus manet, ſed rurſus foras effunditur, & ſi digito contigeris, os uterorum hians comperies, & impotentia ipſam corripit præ menſibus, & febris, ac rigor, & dolor

tenet imum ventrem, & lumbos, ac lateris mollitudinem. Patitur autem hæc maxime, ſi quid in ipſa fuſum fuerit, & corruptum computruerit, patiuntur etiam ex partu, & aliæ aliter. Quum ſic habuerit, pharmacum bibendum dare oportet, a quo ſurſum purgatur, & quum dolor habuerit, tepefactoria adponere, & calida lavare, & interpoſito tempore, per infuſa colluere, velut ſcriptum eſt in priore, & de potionibus dare quamlibentiſſime ſuſceperit, & ſuffire, quæ ſiccant. Edat autem polypos, & mercurialem.

Si levigati fuerint uteri, & menſes plures fiunt, & deteriores, & humidiores, ac frequentiores, & genitura intus non manet, ſed rurſus exit, & ſi digito contigeris, comperies os leve. Et impotentia ipſam corripit præ menſibus, & febris, ac rigor, & dolor imum ventrem, & lumbos, ac lateris mollitudinem, maxime ſi quid in ipſa corruptum computruerit & ex partu, & alias. Quum ſic habuerit, curare oportet, ubi dolor habuerit, velut ſcriptum eſt in priore.

Si uteri ad ventrem nutaverint, dolor acutus, & vehemens coxendices, & lumbos, ac laterum mollitudinem habet. Et crus claudicat. Quum ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, poſtridie vero ſuffire hoc modo. Hordei chœnices duas, & oleæ folia probe contuſa, & gallam contuſam, ac cribratam, & hyoſcyami tertiam chœnicis partem. Hæc mixta, & olei hemina dimidia adfuſa, efformata in olla per dies quatuor, ter in die ſuffito. Noctu vero lac bubulum, & mel, & aquam bibat, & calida lavetur.

Si ad caput converſi fuerint uteri, ſignum hoc eſt. Venas in naſo, & ſub oculis dolere

videtur. Hanc calida multa lavare oportet, etiam in capite, lauro, & myrto in aqua incoctis, & caput unguento rosaceo illinatur, & odorata subter suffiantur, & brassicam edat, & succum absorbeat.

Si ad crura, & pedes conversi fuerint, ex hoc cognosces. Magnis pedum digitis convellitur sub ungues. Et dolor crura, ac femora tenet. Quum sic habuerit, multa calida ipsam lavare oportet, & fomentum adhibere, quod maxime libenter admiserit, & subter suffire graveolentia. Et unguento rosaceo unguere.

Si mulier cibum aversans uteros doleat, & febris ipsam ac rigor corripiat, pepli albi quintam dimidiæ chœnicis partem, & seminis urticæ tantumdem, & casei caprini rasi dimidiam chœnicem, simul cum vino vetere, mollito, deinde cocta sorbenda dato.

SECTIO III.

SI ex partu fluxus corripiat, & cibi in ventre non maneant, uvam passam nigram, & mali punici dulcis grana trita, & coagulum hœdi, vino nigro diluito, ac utitor, ita ut caseum caprinum derasum, & polentam tritici torrefactam adjicias, & bene temperata bibenda præbeas.

Si ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula sauciata est, & dolor ad viscera procedit, & cor convellitur. Hanc multa calida lavare oportet, & tepefactoria, quæ maxime admiserit, adhibere, & asininum lac bibendum ad dies quinque dare. Postea vero vaccæ nigræ lac bibendum præbere, ita ut sine cibo degat, ad dies quadraginta. Ad vesperam

vesperam vero sesamum tritum bibat. Morbus hic est periculosus.

Si mulier diu non concepit, mensibus adparentibus tertia, aut quarta die, alumen tritum unguento dilutum, lana exceptum adponat, & per tres dies adpositum habeat. Tertia vero die fel bovis radito, & ramentum oleo dilutum, ac subactum, linteo exceptum adponito. Et tres dies adpositum habeat. Sequenti vero cum viro coeat.

Ad uterorum morbum sedandum, lini scissi una cum stipula pugillum tenuiter tusum, in vino albo quamjucundissimo per noctem madefacito, deinde excolatum in ollula tepefacito, & in eo lanam mollissimam tinctam adponito, & vicissim priore detracta aliam subdito.

Si uteros purgare voles, primum quidem hordeum oleo imbutum in prunis suffire oportet. Postridie vero carnem ovillam coquere, cum hordei decocto sub dio per noctem exposito. Sit autem decoctum hordei congii mensura, & valde ipsas coquito. Ubi vero coctæ fuerint, leviter tepidas edat, & jusculum sorbeat. Postridie autem thus, & pulegium tritum, melle subactum, & lana exceptum ad triduum subdito.

Si uteri ad sedem conversi fuerint, & secessus secedere prohibuerint, dolores habent & lumbos, & imum ventrem, & ilia. Quum sic habuerit, calida ipsam lavare oportet, & lumbos fovere, & graveolentia suffire, & adponere quæ purgant, & impellunt ipsos uteros, & bibenda dare ea, quæ maxime admittit.

Si ulceratum fuerit os uterorum, aut inflammatum, myrrham, & adipem anserinum, & ceram albam, & thus in leporis pilis, qui sub ventre

ſunt; miſceto, ac terito, & in lana molliſſima adponito.

Si ſecundæ decedere non poſſint, ſtatim quidem a cibo abſtinere oportet. Viticis autem folia trita in vino, & melle, oleo adfuſo, tepefacito, & heminæ menſuram bibendam dato.

Si inflammati fuerint uteri, ſambuci folia tenerrima in tritici recentis craſſiore farina coquito, & leviter tepida ſorbenda dato.

Si uteri tranſmoti fuerint, hederam ſicciſſimam tritam, & linteolo tenui illigatam, ſubdito, & pingue aliud nihil adhibeto. Bibendum vero dato triticum recens, & peplum toſtum, & ſalviam, & cyperum, & aniſum. Hæc trita vino diluta cum furfuribus hordei bis in die dato, pro vice dimidiam heminam.

Si menſes conſtituto tempore non fiant, braſſicæ folia, & rutam terito, poſtea paleas hordei chœnicis menſura madefacito, donec flacceſcant, & per noctem ſub dio exponito. Mane vero in hemina inde excolata braſſicam, ac rutam diluito, & adfuſo oleo conquaſſato, & bibenda dato, poſtea polypum vino albo ſuffocatum edendum dato, & vinum ebibendum. Si vero volueris, piſces odoratiſſimos coctos edendos dato, & juſculum ſorbendum.

Si ex fervido, & ſuperficiario ulcere pudenda fuerint exulcerata, myrti baccis in vino coctis pudenda colluat. Et poſtea mali punici dulcis putamina in vino coquito, & myrrham, ac reſinam ſimul mixta vino diluito, & intinctum in his linteum ſubdito.

Si urinæ ſtillicidium corripiat, cucumeris, ſive cucurbitæ os, & fundum reſecato, & ſubjecta pruna cucumerem circumponito, & inſperſa in ignem myrrha, mulierem ſuper cucumerem locato,

ita ut ſummam cucumeris partem quampenitiſſime in pudendum indat, quo vapor plurimus in pudenda tranſmittatur. Et ex potionibus urinam cientibus jejunæ aliquas exhibeto.

Si ad cor progreſſi uteri ſuffocent, & non decedant, porri ſemen tritum, & pulegium in aquæ cyathis tribus, & aceti albi cyatho uno, & mellis tertia cyathi parte diluito, tepefacito, & jejunæ ſorbenda dato.

Si ex partu, aut abortu rigor corripuit, juniperi fructum, & ſalviam ſimul trita in aceti albi cyatho diluito, & vini albi diluti poculum adfundito, verſato, ac ſtare ſinito. Mane vero excolato, & tepefactum bibendum dato.

Si uteri inflati fuerint, & ſi ventus in utero fiat, & dolor, ſalviam, & cyperum tuſa madefacito per noctem, & mane excolato, & purum cremorem in ollam fundito, tritici farina craſſiore adjecta, & aceti albi cyatho adfuſo, & ſucci ſilphii magnitudine fabæ addita, & cocta crudius ſorbenda dato.

Si in pudendis graveolentia fuerit, & columella naſcatur, & dolor habeat, dolorem quidem ſedabit apii ſemen jejunæ in vino datum. Graveolentiam vero, aniſum eodem modo datum. Columellam vero reſecare oportet.

Si ulcera fiant in pudendis, & pruritus corripiat, oleæ, & hederæ, & rubi, & mali punicæ dulcis folia trita in vino veteri dilue, & poſtea carnem recentem foliis intege, & adpone. Et habeat ſubditam per noctem. Mane vero eximat, & myrtum in vino decoquat, & cum vino putenda colluat.

Si genituram non ſuſcipiat, menſibus ſecundum naturam fientibus, membrana ante uteri os excrevit. Contingit etiam ex aliis cauſſis. Co-

gnoſces autem hoc, ſi digitum admoveris, membranæ prætextum continges. Ad hæc medicamentum ſubdititium facere oportet. Reſinam itaque, & æris florem melle diluito, & linteum ex his tinctum penitiſſime indito, filo ad extremam partem dependente illigato. Quum itaque hoc exſiluerit, myrtum in vino coquito, & cum vino tepido eluatur.

Si anhelationes corripuerint mulierem, ſulphuris magnitudinem fabæ, & naſturtii tantumdem, & rutam, & cuminum Æthiopicum, hæc trita, & vino diluta, jejunæ bibenda præbeto. Oportet autem & a cibis aſtinere, & non frequenter edere.

Si pariens inflata fuerit, hepar ovillum, aut caprinum calido cinere obrutum, edendum dato meracius ad dies quatuor, & vinum bibat vetus. Si lumbos doleat, aniſum, & cuminum Æthiopicum bibat, & calida lavetur, & ſubcalidam bibat.

Si menſes non fiant, teſtam craſſam exurito, ac terito, & origanum in pinguedine anſeris coctam terito, & ad teſtam in linteum admiſceto, ac tepida adponito.

Si uteri concluſi fuerint, & menſes non adparuerint, colocynthidem ſylveſtrem, & ſilphii ſemen, cuminum Æthiopicum, nitrum, ſalem thebaicum, adipem renalem, farinam, myrrham, & reſinam. Omnia hæc fervefacito, ſimulque mixta, ac trita in glandulam efformato, & adponito.

Si uteri ad viſcera converſi ſtrangularint, vinum cedrinum, & cuminum Æthiopicum bibat, & calida lavetur, & ſubcalidam bibat.

Si menſes non fiant, adipem anſeris, & netopum & reſinam mulier lana excepta ſubdat.

Si vero magis quam convenit, prodeant, ſuſinum, & rajæ linguam in lana adponat.

Si tranſmoti uteri aliquo adlapſi fuerint, hordeum decorticatum tritum una cum paleis ſume, & cum cornu cervino vino ſubige, & hinc uteros ſuffito.

Si ſecundæ decedere non poſſint, fœniculum vino, & oleo, ac melle fervefactum bibendum dato.

Si menſes non adpareant, & velis ipſos detrahere, craſſiorem tritici farinam, & hordeum coquito, & oleo adfuſo edenda dato.

Si inflammati fuerint uteri, cotyledonis folia, & porrum in craſſiore tritici farina coquito, & adfuſo oleo edenda dato.

Si moti uteri aliquo adlapſi fuerint, & dolorem exhibuerint, oleæ ſcabiem, & lauri, ac cupreſſi ramenta in aqua coquito, & linteo excepta adponito.

Si uterus doleat, & ad veſicam fuerit dolor, porri ſemen in aqua tritum jejunæ bibendum præbe, & tepefactoria adhibe.

Si uteri prominuerint, lotos ipſos cum aqua tepida, & vino, ac oleo illitos rurſus intrudito, & ex lumbis deligato, & graveolentia ſuffito, & ſi urinam emittere non poterit, calida lavato, ac foveto, & cupreſſi ramenta ſuffito. Et potiones urinam cientes bibendas dato.

Si fluxus fiat, acerba ſuffito, & ſtercus aſini deraſum, lanæ illigatum ſubdito. Sit autem ſtercus ſiccum.

Si in pudendis ulcera fiant, adipem bubulum illinito, & adponito, & cum vino, in quo myrtus cocta eſt, colluito.

Si ex partu os uterorum fuerit exulceratum, florem roſarum tritum, & vino imbutum, in pilis leporinis adponito, & acerbis colluito.

Si uteros doleat, allii caput integrum, & nitrum tostum, & cuminum terito, & melle subacta subdito; & calida lavetur, & subcalidam bibat.

Si ex fervido, ac superficiario ulcere pudenda fuerint ulcerata, adipem bubulum, & butyrum, & anseris adipem, ac susinum unguentum misceto, & ex his pudenda illinito, & aqua tepida colluito.

Si uteri adscendentes suffocarint, funiculum lucernarium accensum exstinguito, & naribus admoveto, quo fumum adtrahat, postea myrrham unguento dilutam, & lana exceptam adponito. Et resinam oleo dilutam bibendam dato.

Si secunda non secedat, conyzam tritam, lana exceptam adponito, & ignen in vino tritam bibendam dato.

Si caput doleat, & imum ventrem, & lumbos, bilis in uteris est. Huic itaque pharmacum dare oportet, quod sursum, ac deorsum purgare potest, & calida lavare, & adponere, quæ bilem purgant. Et anisum, ac nigellam vino diluito, & bibenda dato.

Si fluxus oboriatur, cancros fluviales in vino suffocato, & vinum bibendum dato, & quæ siccant, suffito, & adponito.

Si fluxus oboriatur, porri pugillum in vino tritum bibendum dato, & siccis, & acerbis utatur. Si fluxus oboriatur, muli stercus combustum, tusumque, ac cribratum, vino dilutum bibat. Reliquis autem eodem modo utatur. Si fluxus oboriatur, & jam diuturnus fuerit, spongiam combustam, ac tritam, vino odorato dilutam, bibendam dato, & per suffitus resicca, & quæ restringunt, adpone.

Si uteros purgare velis, nitrum, cuminum,

allium & fidus terito, & melle fubacta adponito, & calida lavetur, & fubcalidam bibat.

Si uteros doleat, cyclamini radicem in vino jejunæ bibendam dato, & calida lavetur, & fubcalidam bibat.

Si lac exftinctum fuerit, reliqua quidem eodem modo curato; fœniculi vero femen bibendum dato, & radices fœniculi decorticatas, ac butyrum fimul coquito. Quum autem cocta fuerint, frigefacito, ac bibenda dato. Commodum eft etiam hippomarathrum, & hippofelinum fimul coctum. Si lac extinctum fuerit, porrum tritum, aqua dilutum bibendum præbe, & calida lavetur, & porrum, ac braſſicam edat, fimul coctis cytifi foliis, & fuccum forbeat. Si lac exftinctum fuerit, falviam, cedri, aut juniperi baccis adjectis coque, & ad diffufum fuccum, vinum adfundat, ac bibat, & ad cætera farina infperfa, additoque bulbo, & modico oleo adfufo, edat. Et acria, & acida, & falfa, ac cruda olera omnia vitet. Nafturtium vero in vino potum commodum eft. Nam lac purgat, & calida lavetur, & fubcalidam bibat.

Si velis mulierem prægnantem fieri, ipfam, & uteros purgato, poftea farinam jejunæ edendam dato, & vinum meracum infuper bibendum, & nitrum rubrum, cuminum, ac refinam, melle fubacta in linteo fubdito, & ubi aqua defluxerit, nigros peffos mollitorios adponat, & cum viro dormiat. Si prægnantem facere voles mulierem, ipfam, & uteros purgato. Deinde linteum tenuiffimum reficcatum, ac melle imbutum in glandes efformato, & in fici fucco tinctos adponito, donec fuerint aperti. Poftea vero magis intrudito. Ubi autem defluxerit aqua, vino, & oleo colluta, cum viro dormiat. Bibat autem & pulegium in vino cedrino, quum viro condormire volet.

Medicamentum, fetum ex uteris pellens. Cucumeris ſylveſtris ſuccum potionis menſura, in mazam conſperſum adponito, ubi ad duos dies antea jejunavit. Aliud. Staphidis ſylveſtris pugillos duos in aqua mulſa dilutos, bibendos dato.

Experimentum fecunditatis. Caput allii integrum deraſum, uteris adponito. Poſtridie vero digitum immittat, ac contingens conſideret, & ſi quidem oluerit, inde os, bene habet; ſin minus, rurſum adponat. Aliud experimentum. Netopum modicum in lana involutum adponat, & conſideret, an per os oleat.

Alia ſubdititia medicamenta. Scorpii marini fel, in lana involutum, & in umbra ſiccatum adponito. Pulegium ſiccum tritum, melle imbutum in lana adponito. Cucumeris ſylveſtris ſemen & teſtam combuſtam, vino ſubactam, cum pilis leporinis, in lana ſubdito. Alumen Ægyptium, lana involutum adponito. Cantharidas vino ſubactas, in lana ſubdito. Herbam artemiſiam vino ſubactam adponito. Nigellam in vino tritam, in lana ſubdito.

Aliud ad recens enixam. Unguentum roſaceum, & ceram, in lana adponito. Bulbion ex tritico, tritum, & vino ſubactum, in lana ſubdito. Vini albi veteris fecem combuſtam, & vino albo exſtinctam, ac tritam, in lana adponito. Galbanum, netopum, & miſy, cum unguento roſaceo, in linteo adponito. Elaterii potiones duas, & favum cum vino, in linteo adponito. Butyrum, & alumen melle ſubactum, in linteo ſubdito. Scammoniæ ſuccum, & adipem cum maza miſceto, & vino imbuta, in linteo adponito.

Si concipere nolit, miſyos fabæ magnitudinem, aqua dilutam, bibendam dato, & per annum non concipiet.

Si periculum facere velis in muliere, an prægnans ſit, aut non, rubro lapide, ſive terra erithrea oculos ſublinito. Et ſi quidem ingrediatur pharmacum, prægnans eſt; ſin minus, non.

Si prægnanti pudenda fervido, & ſuperficiario ulcere fuerint exulcerata, amygdala trita, & medullam bubulam in aqua coquito, & modica farina adjecta, pudenda illinito, & baccarum myrti decocto colluito.

Si virgo ex lapide laborarit, ſemen radicis Æthiopicæ in vino veteri ad dies decem dato. Deinde in aqua ad dies viginti, & bis in die multa calida lavato.

Cataplaſmata. Allium, portulacam, apium, loti, & cedri ramenta, trita ſimul, mixta aqua mulſa, diluito, & cataplaſma hinc factum imponito. Rubi folia, myrti folia, ſimul trita aqua mulſa diluito, & polenta admixta ſubacta imponito. Sambuci folia, myrti folia, terebinthi folia tenerrima, eodem modo adponito. Loti ramenta, mori folia, ſimul trita, mixta, aqua diluta cum uva paſſa imponito.

Suffitus. Oviculæ, aut capræ cornu tuſum, & hordeum toſtum, ac freſum, oleo ſubigito, ac ſuffito. Cervi cornu, & olivas nondum habentes oleum, ſimul trita mixta ſuffito. Rhoem rubrum, & polentam toſtam oleo ſubigito, ac ſuffito. Polentam, & ſtercus bubulum, & paleas oleo ſubigito, ac ſuffito. Loti ramenta, & rhois folia, & cupreſſi ſiccæ ramenta, vino nigro auſtero ſubacta ſuffito. Galbanum, mannam, & reſinam, unguento ſubacta ſuffito. Capræ cornu, & gallam, & adipem ſuillum, ac cedriam ſuffito. Terram ex aſinorum pedibus deradito, & ſtercus aſininum cum vino nigro ſubigito, ac ſuffito.

Collutiones. Folia myrti, & lauri, ac hederæ in aqua coquito, & cum hac tepida colluito. Rhois, & mali punicæ, ac rubi folia in aqua mulſa coquito, & cum ea excolata colluito. Sambuci, & lentiſci folia in aqua coquito, & excolatam leviter tepidam infundito. Fœniculi, & braſſicæ radices tuſas in aqua coquito, oleo adfuſo, & poſtea cum excolata colluito. Oenanthen, & cyperum, & uvas paſſas in aqua mulſa coquito, ac colluito.

Malagmata. Malvam, & fœnumgræcum in aqua fervefacito, & cum excolata aqua leviter tepida colluito. Cupreſſi ramenta, & amaracum in paſſo aqua temperato coquito, ac colluito. Serpyllum, & violæ albæ radicem, in aqua mulſa coquito, ac colluito. Hypericum, & lentiſcum, & baccas cedri in aqua coquito, & cum leviter tepida colluito. Favum, & butyrum, & reſinam, & adipem anſerinum in aqua coquito, & colluito.

Fomenta. Lolium toſtum, ac molitum in poſca meraciore coquito. Poſtquam autem coxeris, linteo illigato, & foveto. Lentem toſtam, decorticatam, & in farinam craſſiorem alicæ ſimilem redactam, in aqua coquito, & linteo illigato, ac foveto. Ervum eodem modo parato, ac foveto. Commoda eſt & ſalvia eodem modo parata. Salviam, & hypericum in aqua coquito, & hordei paleis in decocto coctis, & linteo exceptis foveto. Loti, & cupreſſi ramenta in uvæ paſſæ cremore coquito, linteoque ipſa illigato, ac foveto. Oleæ, & myrti, & hederæ, ac lauri folia in aqua coquito, & in decocto hordei paleas coquito, deinde linteo illigato, ac foveto. Cupreſſi ramenta, & cedri, & hordei furfures ſimul miſceto, & in uvæ paſſæ cremore ſubigito, ac panem formato, & cum hoc aſſato, calido in linteum illi-

gato, foveto. Violæ albæ semen, aut radices in aqua coquito, & cum aqua furfures tritici subigito, ac panem formato, cum quo calido in linteum involuto, foveto. Serpyllum in aqua coquito, & furfure triticeo in aquam conjecto, eodem modo foveto. Spongias calefacito, & adhibeto, & cum mollibus lanis, & panniculis laneis, & vasis testaceis aqua infusa, & utriculis eodem modo, & decoctionibus in utres infusis, foveto.

Purgatorium. Si mulierem parere non potentem, facere velis, ut prægnans fiat; considerare oportet in mensibus, an biliosa, aut pituitosa sit. Cognosces autem hoc, arena tenui sicca ad solem conspersa, & quum menses prodierint, sanguine super arenam in sole effuso, ita ut ipsum siccari sinas. Si enim biliosa fuerit, sanguis super arenam siccatus, pallidus fit. Si vero pituitosa, velut mucus existit. Horum igitur, utrum tandem fuerit, ventrem purgato, sive sursum, sive deorsum purgatione opus habere visa tibi fuerit, postea paucis diebus interpositis, uteros purgato.

Uterorum fomenta. Si duri fuerint uteri, & non concipiat, vinum quamjucundissimum cum pari aqua temperatum, trium semicongiorum Atticorum mensura, & fœniculi radices, & seminis fœniculi quartam partem, & unguenti rosacei semiheminam, hæc in vas novum fundito, & vinum adfundito. Vasis autem operculum perforato, & imposita arundine foveto. Arundinem vero cum operculo tollito. Si enim sine operculo abstuleris, exuretur. Postquam autem fota fuerit, scillam adponito, velut infra scriptum est. Adponito autem, donec dixerit molle, & amplum esse uterorum osculum, & si quidem exulcerata fuerit & pustulæ in purgatione fuerint, si summa

labia ulcerata fuerint, anifum, & adipem anferinum in rofaceo oleo terito, & in lana involvito, & accepta carne bubula, magno pedis digito craffiore, fex digitorum longitudine, ipfam pharmaco illinito, & lana exceptam involvito, & ad extremam carnis partem, quæ foras fpectat, filum adligato, & reliquam in uteros indito, ubi eft ulcus.

Menfium purgatoria. Si non procedat menftrua purgatio, cucumeris fylveftris internam partem pondere trium obolorum, & artemifiam herbam, & thuris obolum terito, & admixto melle in lana involvito, & ad os uteri adponito, quinquies in die hoc faciens.

Aliud. Vitem viridem terito, & melle admixto, lana excipito, & eodem modo adponito.

Aliud. Cupreffi fructum, & cucumeris fylveftris internam partem, & thus terito, & melle admixto, lana excipito, & eodem modo fubdito.

Aliud. Cupreffi fructum, & thus terito, & melle admixto, lana excipito, ac fubdito.

Aliud. Abrotoni obolos tres cum melle lana excipe, ac fubde.

Aliud. Elaterii obolum, & myrrhæ obolum terito, & cum melle lanæ involvito, ac fubdito.

Purgatorium, fi mulier non concipiat. Tauri urinam collige trium heminarum menfura. Deinde artemifiam herbam, aut parthenium, aut adiantum, & laurum viridem, & cedri ramenta fimul contunde. Deinde in effoffa fcrobe carbones accende, & impofita olla urinam tauri infunde, & contufa in mortario adjice, poftea fellam circumpone, & artemifiam herbam, aut hyffopum, aut origanum impone, & muliere fuper hæc collocata, donec fudet, fove. Ubi vero fudarit, lava cum calida, & in lavacrum artemifiam, & laurum

immitte. Deinde ſubdititium medicamentum adhibe. Aut artemiſiam, aut bulbium in vino albo tritum lanæ involutum ſubdat. Hæc ad tres dies faciat, & deinde cum viro dormiat.

Subdititium pharmacum ad conceptum faciens. Ex nitro, & thure cum melle glandem formato, & adponito.

Aliud purgatorium molliens. Caricam coquito, donec granula abjiciat, & hanc expreſſam, leviſſime tritam in lana cum roſaceo unguento adponat.

Aliud acrius. Braſſicæ, rutæ pares portiones tere, ac utere eodem modo.

Aliud molle, & purgatorium. Medullam anſeris, aut bovis, aut cervi, magnitudine fabæ, adfuſo unguento roſaceo, & lacte muliebri, terito, velut molle pharmacum teri ſolet, deinde ex hoc os uteri illinito.

Aliud tepidum purgatorium. Anſeris medullam magnitudine nucis, reſinæ lentiſſimæ aut terebinthinæ magnitudinem nucis. Hæc in unguento ad lentum ignem liquefacito, & velut ceratum facito, & deinde ex hoc tepido os uteri illinito, & pectinem madefacito.

Aliud detrahens purgationem & ſiſtens. Pæoniæ grana nigra aut rubra, tria aut quatuor in vino trita bibenda dato. Si vero magis detrahere voles, grana nigra eodem modo trita bibenda præbeto.

Aliud purgans ac detrahens. Lauri baccas ad ſummum viginti, & ſeſelis dimidium acetabulum, cum vino trita bibat.

Aliud. Tauri fel, trium dimidiorum obolorum Atticorum pondere, in vino jejunæ bibendum dato. Et efformata quoque ex ipſo catapotia devoranda dato.

Aliud. Farinam recentem, myrrhæ obolos tres

croci tantumdem, caſtorii obolum, hæc cum unguento roſaceo trita adponat.

Aliud purgatorium. Semen urticæ, & malvæ ſuccum, cum adipe anſerino tritum ſubdat.

Aliud. Si non purgata fuerit ex partu, floris farinæ quantum tribus digitis comprehendi poteſt, coquito, & melle adfuſo, ventri velut cataplaſma imponito, & bibendum dato.

Aliud, quod uteros aperit, & purgat. Cantharides quinque aceto albo adfuſo terito, & non valde liquidum pharmacum facito, ſed ut digitis effingi poſſit, & de ficu alba pingui, ſine granulis & pelle, duplam cantharidum partem admiſceto, & efformatam glandulam tenui lana involutam ſubdito.

Aliud. Si ex partu non fuerit purgata, trifolium in vino albo bibendum dato: hoc etiam menſes educit, & fetus expellit.

Aliud purgans uteros. Quum puero immortuo ſanguis intus manſerit, colocynthidem ſylveſtrem in melle tritam delingat, aut ſubdat.

Aliud ſanguinem purgans. Sanguinem ex uteris expelles, ſi violæ albæ ſemen tritum, vino dilutum, bibendum dederis.

Aliud, quod ſimiliter ſanguinem ex uteris expellit. Rhois ſeminis, quum rubrum fuerit, grana viridia triginta terito, & roſas caninas rubras, rubicundo ex ipſis delecto, in vino bibenda dato, quum ſanguis eruperit.

Aliud purgatorium. Si menſes non adparuerint, ſtyracem & origanum terito, commiſceto, & adipe anſerino adfuſo adponito.

Aliud, quod ſubditum uteros purgat, ac evacuat. Abſinthii radicem tritam cum melle, cum oleo adponito.

Subdititia uteros purgantia, aperientia, &

aquam ducentia. Scillæ fruſtum longitudine ſex digitorum, & digiti parvi craſſitudine accipito, & de hoc duos digitos circum deradito ac levigato, & reliquum lana ſordida involvito, eam vero partem, quæ circumraſa eſt, ad os uterorum ſubditam, per diem ac noctem adpoſitam ſinito. Poſtquam autem lavit & abſtulit, aqua odorata colluatur.

Aliud purgatorium molle, quod aquam & pituitam ducit, & pallidos ac ſubcruentos menſes detrahit, ſi non diuturni fuerint, & os emollit. Unguentum narciſſinum, cuminum quod edimus, myrrham, thus, abſinthium, cupreſſum, ſalem, roſaceum oleum ſumito. Et de aliis quidem ſingulis congium accipito, narciſſini vero partem quartam, & omnia in glandem efformata, ac crudi lini lintea excepta ſubdito. Aut linteum tenue pennæ circumdato ac deligato, & in oleo albo Ægyptio tinctum adponito, & tota die adpoſitum ſinito. Deinde ubi lavit & abſtulit, aqua odorata colluatur.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE STERILIBUS.

PRÆFATIO.

Multa ad verbum exſcripta ex libris muliebrium, pauca nova habet & ſingularia, experimenta ad adgnoſcendam conceptionem abſona.

DE his quidem, quæ accidunt mulieribus in ſingulis adfectionibus, prius dictum eſt. Nunc autem oſtendam, ob quas cauſſas mulieres omnino ſteriles fiunt, & cur non pariant, antequam ſanentur. Cauſſam vero hanc eſſe dico: ſi os uterorum omnino averſum fuerit a pudendo, non concipiunt. Non enim ſuſcipiunt uteri geniturам, ſed ſtatim foras exit. Contingit autem hoc etiam, ſi parum diſtortum fuerit os uterorum præter naturam a pudendo. Et ſi omnino concluſum fuerit os uterorum, neque ſic ſuſcipiunt. Neque ſi recens concluſum fuerit magis, quam oportet. Singula vero relata manifeſta ſunt. Etenim ſi omnino averſum fuerit, aut concluſum, menſes non prodeunt omnino, aut prodeunt violenter cum morbo, ſi ſanguis coegerit uteros pro more converti. Et ſi purgata fuerit mulier, aliquando os uterorum ipſi a pudendo avertitur. Si vero parum diſtortum, aut recens concluſum fuerit, prodeunt quidem menſes, prodeunt autem violenter, & paulatim per multos dies. Hæc autem omnia manifeſta fiunt, ſi ſic habent contingenti mulieri, & ſi horum aliquid fuerit, curata mulier fecunda fit. Quandoque etiam ſua ſponte. Hæc autem ſingula cur fiant, dicetur. Dictum autem eſt & in muliebribus morbis.

Si leves fuerint uteri. Contingit autem hoc & ex natura quibuſdam, & ſi ulcera innata magnas cicatrices reliquerint. Si leves igitur uteri fuerint, mulier in ventre non concipit. Nam geniturам ſuſcipiunt quidem uteri, ſi non alia aliqua cauſſa obſtiterit, non autem concipiunt, ſed ſemen foras emittunt. Hoc autem maxime clarum fit contingenti, & ſi interrogetur, an aliquando ulcera in uteros ipſi oborta fuerint, menſes vero

vero ſano quidem modo prodeunt in hoc morbo. Verum talis plerumque incurabilis eſt, & hæc cauſſa eſt, ut in ventre non concipiat.

Si ulcus in uteris factum fuerit ab adfectione quadam ex relatis, & non ſtatim ſanatum, ſed impurum factum fuerit, permanet ulcus ad multum tempus, quemadmodum & id, quod in aure exiſtit; & male olet mulier, & quandoque ſanies male olens ipſi ex pudendo fluit, & quamdiu ſane ulcus habuerit, in ventre non concipit. Non enim concipiunt uteri genituram. Huic autem menſes ſano modo procedunt. Verum ex contactu, & interrogatione maxime clarum fit de relatis. Curata vero fecunda ſit, exigua tamen ſpes eſt.

Si quid ex menſibus in uteris remanens ſciſſuram, ac ſegmentum habeat, quod circa oſculum, aut paulo penitius caleſcat, & rurſus frigeſcat, neque ſic in ventre concipit. Impedimentum enim hoc incumbens, genituram, quo oportet, tranſire non permittit. Et ſi quidem in principio curetur, ſaneſcit, & fecunda fit. Si vero tempus acceſſerit, ſterilis manet. Manifeſta eſt autem adfectio maxime ad contactum. Durum enim quiddam intus eſt.

Si magis, quam convenit, uteri hiarint, neque ſic prægnans fit. Non enim concipiunt uteri ſemen genitale. Sed & hoc ad contactum clarum fiet, & menſes acervatim prodeunt, & per paucos dies. Fit autem & natura hæc adfectio, & a relatis morbis. Et ſi quidem a natura fuerit, incurabilis eſt morbus; ſin minus, non ſani prodeunt menſes, utpote muliere non exiſtente ſana, neque ſic prægnans fit. Non enim compingitur ſemen a ſanguine morboſo. Sed ſanguis, qui a corpore morboſus deſcendit, ge-

nituram ſeroſam facit. Seroſa vero facta genitura, tempore modico, aut multo, foras progreditur una cum ſanie. Atque hoc ex corpore mulieris, & ex menſibus manifeſtum fit. Prodibunt enim ipſi menſes, velut dictum eſt, ſive bilioſa, ſive pituitoſa, ſive aquoſa fuerit. At brevi curata fecunda fit; ſin minus, non.

Si vero mulieri menſes non prodeant omnino, aut ab omnibus relatis, etiam ſic non concipit. Venæ enim ſanguine plenæ genituram non ſuſcipiunt, & in uteris aliquid inveterati ſanguinis ineſſe neceſſe eſt, quod genituram nutriri prohibet.

Si vero pauciores quam debeant, menſes prodeant, neque ſic prægnans fit; cauſſæ vero in priore morbo relatæ ſunt; fit autem hoc manifeſtum ex interrogatione, & ſi quidem a natura pauci menſes prodeunt, incurabilis eſt. Si vero ab adfectione aliqua ex relatis, brevi curata, fecunda erit.

Si plures, quam debent, menſes mulieri prodeant, neque ſic in ventre concipit. Uteri enim, ſanguine evacuato, genituram non concipiunt præ debilitate. Si vero etiam conceperint, ſanguis multus derepente in uteros mulieris deſcendens, genituram ſuffocat. Manifeſtum autem & hoc eſt ex menſibus, qui multi prodibunt. Et ſi quidem natura mulier multos menſes demittit, ſterilis fit. Si vero non natura, ſed ab aliqua ex relatis adfectione, brevi curata fecunda erit.

Et ſi os uterorum ex pudendo exciderit, neque ſic concipit. Nam os durum fit, & genituram non ſuſcipit, & intumeſcit, & propterea in totum infecunda fit. Manifeſta eſt autem hæc adfectio ex eo, quod contingit.

Et ſi non prodeant menſes, velut debent, ſed deorſum proceſſerint in ſedem, neque ſic in ven-

tre concipit. Manifestum est enim, quod os uterorum a pudendo aversum est, aut conclusum, & si quidem ad sedem aversum fuerit osculum, aut conclusum, curata fecunda fit. Utrumque vero ex interrogatione, ac responsione manifestum fit. Si enim menses semper sic prodierint, clarum est, quod his morbus caussa est. Atque tot, ac talia mulieribus contingunt, propter quæ non pariunt, antequam curentur, & propter quæ omnino steriles fiunt. Quare mirari mulieres non oportet, quando coeunt quidem, non autem sæpe pariunt.

Experimenta, per quæ indicatur, an prægnans fiet mulier. Si cognoscere voles, an mulier prægnans fiet, butyrum & lac mulieris masculum alentis bibendum dato, & si eructaverit, concipiet; sin minus, non. Aliud. Netopum modicum lana exceptum subdat, & postea mane, an quod subditum est, per os oleat, consideret, & si quidem oleat, concipiet; sin minus, non. Aliud. Cuicumque mulieri a subdititiis non valde fortibus dolores ad articulos processerint, & stridor dentium ipsam habuerit, & vertigine adfecta fuerit, & oscitarit; huic major spes est, ut prægnans fiat, quam ei, quæ nihil horum patitur. Aliud. Caput allii integrum depurgatum, ad derasum, ad uterum adponat, & postridie videat, an per os oleat, & si oluerit, concipiet; sin minus, non. Aliud. Si cognoscere voles, an mulier concipiet, anisum in aqua tenuissime tritum bibat, ac dormiat, & si quidem pruritus ipsam circa umbilicum corripuerit, concipiet, sin minus, non.

Prægnantem mulierem, si non ex alio cognoscas, ex hoc cognosces. Oculi videntur distracti, ac caviores, & candidum in oculis, albedinis

naturam non habet, ſed lividius adparet. Quæ in ventre habent, maculam ſolarem in facie habent, & poſtquam conceperunt, vinum odio habent, & cibos averſantur, & oris ventris morſu, ac ſaliva plenæ fiunt. Mel, & aniſum tenuiſſime terito, deinde in aqua diluito, ac exhibeto, & dormire ſinito, & ſi quidem tormen ipſi fiat circa umbilicum, prægnans eſt; ſin minus, non eſt. Poſt hæc autem omnia, farinam bibat, & mel, & origanum in vino, & oleo.

Quæcumque in utero habentes, maculam ſolarem in facie habent, femellam geſtant. Quæ vero bene coloratæ permanent, maſculum plerumque geſtant. Si papillæ ſurſum converſæ fuerint, maſculum geſtat. Si deorſum, fœmellam. Accipe de lacte, & farina miſce, & paſtillum forma, & ad lentum ignem aſſa. Et ſi quidem comburatur, marem geſtat. Si vero diffundatur, femellam. Aut idem hoc lac ſuper folia emulctum contemplare. Et ſi quidem condenſatur, maſculum geſtat. Si vero diffuſum fuerit, femellam.

Curationes ad conceptionem experimento cognitæ. Si qua liberorum generationem expetat, quæ ſine liberis ſit, & ſi qua jam antea prægnans fuerit, nunc autem non pariat. Quum ſtomachus uteri durus fuerit totus, aut ſumma parte, & concluſus, ac non rectus fuerit, ſed ad alteram coxam averſus, aut ad inteſtinum rectum inclinatus, aut in ſe ipſum contractus, aut labium ſtomachi ſibi ipſi incubuerit. Undecumque igitur aut aſper fuerit, aut calloſus; fit autem durus & a concluſione, & a calloſitate; his menſes non adparent, aut multo pauciores, aut pejores, quam oportet, adparent, & per longius tempus. Et menſes quidem juxta ſanitatem corporis, & uterorum, exitum inveniunt. Itemque

juxta naturalem, ac justum modum, & a calore, & humiditate mensium, & stomacho non valde læso. At genituram rursus non suscipit propter læsionem, quæcumque tandem impedierit susceptionem a stomacho non bene habente. Huic post fomentum toti corpori adhibitum, pharmacum bibendum dare oportet, & corporis purgationem primum facere sive sursum & deorsum, sive deorsum solum. Et si quidem sursum purgans pharmacum dederis, ante purgationem fomentum ne adhibeto, sed postea. At fomento prius facto, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Si vero sursum purgante non opus habere videatur, præmisso fomento, deorsum purgans bibendum dato. Quum autem corpus probe habere visum fuerit, postea fomentum adhibeto, ita ut uteros frequenter insidere facias in fomento, quod maxime conferre visum fuerit. Injicito autem in fomenta, cupressi ramenta, & lauri folia contusa, & multa calida sæpe lavato. Quum vero recens lota, & fota fuerit, uteri osculum dilatato, simulque dirigito, si opus fuerit, cum specillo stanneo, aut plumbeo, a tenui auspicatus: deinde cum crassiore, si admiserit, donec probe habere videtur. Tingito autem specillum in mollitorio diluto, quodcumque liquidum factum conferre videbitur. Specilla vero retro lata facito: deinde lignis longis adaptato, ac sic utitor. At vero hoc tempore in vino albo, dulci, quamsuavissimo, tædam pinguissimam in tenuia frusta concisam coquens, bibat, & apii semen contusum, & cumini Æthiopici semen, & thus quamoptimum. De hoc jejuna bibat moderata copia per quot dies bene habere visa fuerit, & edat catulos pingues percoctos, & polypum in vino dulcissimo coctum, & de jusculo bibat, & brassicam coctam, & vi-

num album insuper bibat, & ne cœnet, & bis in die lavetur. A cibis vero hoc tempore abstineat. Postea vero, si processerit secundum stomachum, & purgationem aliquam foras ostenderit, de potione aliquid bibat per unum atque alterum diem, & a specillorum usu cesset, & conetur uteros purgare subdititiis, & medicamentis.

Cuicumque vero stomacho recto, & molli, & sano, & probe habente, & in debito loco sito, menses omnino non adparuerint, aut pauciores, & per amplius tempus, & non sani, morbum perscrutatus, quem uteri habent, & an corpus etiam aliquid conferat, comperies caussam, a qua prægnans non fit, & quum quidem sic habet, curationem facito, adhibens id, quod convenit, si admiserit, curationem incipiens a fortibus, prout tempestivum esse videbitur, desinens autem in molliora, donec uterus probe purgatus esse visus fuerit, & stomachus consistere recte habens in sufficiente loco situs.

Si vero a pharmaco, & a potione non processerit, neque ubi ipsum bibit moderato tempore, a potione quidem hac cesset. Quum vero probe habuerit, per usum specillorum os stomachi mollito, & ut hiet, facito, ad viam subdititio præstandam, tum a medicamentis suffumigabilibus, tum a mollitoriis. Postquam autem probe mollitum, ac suffitum esse videbitur, adpositis pharmacis uteri purgationem facito, donec probe habere visum fuerit, incipiens a mollibus ad fortiora, desinens autem rursus in mollia odorata. Pleraque vero ex fortibus medicamentis uteri exulcerant, & prohibent, ne rectus consistat, & probe habeat ad genituræ susceptionem, & uterum siccum faciunt.

Si vero mulier a pinguedine uteros sibi læsos

esse putet ad conceptionem, adtenuato ipsam quammaxime, & ad reliqua gracilem facito.

Vernum autem tempus optimum est ad conceptum. At vir non sit ebrius, neque vinum album bibat, sed fortius, ac meracius, & cibos edat fortissimos, & calida ne lavetur, & robustus sit, ac sanus, & a cibis abstineat, qui ad rem non conducunt. Quum autem purgata mulier visa fuerit, & stomachus uteri recte habere, lavetur, & caput fricetur, & nihil omnino illinatur. Postea linteo inodoro loto capillis circumdato, reticulo loto nihil olente deliget, linteo primum supposito. Deinde ubi galbanum ad ignem, aut solem calefactum, ac probe mollitum subdidit, quiescat. Postea mane exsoluto reticulo, ac linteo, caput suum alicui olfaciendum exhibeat, & si probe fuerit purgata, olet; sin minus, non olet. Verum hæc a cibis abstinens faciat. Si vero non fecundæ adposueris, nunquam olet, neque purgata, neque alias, & si prægnanti adposueris, neque sic olebit.

Quæ vero sæpe concipit, & fecunda est, ac sana, ei si adposueris, etiamsi non purgaris, olebit ipsius vertex, alibi vero non. Quum vero cognoveris ipsam recte habere, ad virum accedere jubeto, & mulier quidem a cibis abstineat. Vir autem non sit ebrius, verum frigida lotus, & cibis paucis conducentibus pastus; & si mulier genituram se concepisse cognoverit, primo tempore non amplius ad virum accedat, sed quiescat. Cognoscet autem, si quidem vir dixerit, se emisisse; mulier autem præ siccitate ignorat. Si vero uterus rursus reddiderit genituram eadem die, humidus erit, & si humidus factus fuerit, rursus cum viro misceatur, donec concipiat.

Alia curatio. Ubi fomentum toti corpori ad-

hibueris, medicamentum bibendum dato sursum, ac deorsum purgans, Deinde lacte asinino postea in potu exhibito, uteros per fistulam duobus diebus foveto cum urina muliebri putrida, nitro injecto. Tertia vero die cum urina bibula. Quarta autem, & quinta, fœniculi semen tritum, & sambuci folia, ac lauri, & cupressi ramenta. Hæc coquito, aqua adfusa. Oportet autem post fomentum, multa calida lotam, adponere adipem aromatis imbutam, statim a fomento, & ad noctem. Postea vero hoc præparato. Myrrham stacten, butyrum, adipem anserinum, medullam cervi, resinam, & netopum. Horum singulorum æquales portiones permixtas, ac liquefactas adponat in lana milesia molli quamoptima. Deinde plumbeis penicillis quinque, ad octo digitorum longitudinem fabricatis, uterum aperito. Primus ex his sit tenuis, alter crassior, & reliqui alius alio crassior sit. Aperiuntur autem per dies quinque, & semper lota adponat, & ex lumbis deliget, ne excidant, & semper ulterius intrudat, postremum vero quampenitissime. Postquam autem aperueris, purgatorium adpone, cantharidas tritas quinque, & colocynthidis longæ internam spongiosam partem, & myrrham. Hæc melle cocto subacta, & in glandem efformata, lana involuto, excepta summa parte. Deinde in oleum suavissimum tingito, ac adponito. Utere autem & hoc purgatorio, felle tauri, & flore æris assato, & nitro, & myrrha modico melle dilutis, ac linteo tenui deligatis, & linteo superne pharmaco obducto adponito. Utere & bupresti cum myrrha, & elaterio cum melle cocto, & cantharidibus cum elaterio, & myrrha. Postquam autem purgata fuerit, postridie ubi lavit, uterum colluito. Cuminum Æthiopicum tritum, & me-

lanthium, & resinam, & oleum, & mel, ac vinum dulce. Hæc mixta, & tepefacta infundito. Postquam vero infuderis, erectam obambulare jubeto, quo collutio infusa concutiatur. Subdito autem crocum, & myrrham, & thus, singula paribus portionibus sicca linteo illigata, ita ut anserinum adipem admisceas, ac linteo oblinas. Atque hæc adponito per dies septem. Octavo vero suffitum facito cum myrrha, bitumine, & hordeo, oleo odorato subactis; his lento igni injectis, ac suffito per fistulam facto. Postquam autem suffitum feceris, postridie castoris testem terito, vino albo adfuso, & ipsum melle oblitum, & lanæ involutum adponat in noctem. Mane vero eo sublato, ac emollito, ad virum accedat, & ubi condormiit, quiescat, & si non prima vice conceperit, eodem rursus adposito, virum adeat. Cæterum hunc medicationis ductum incipere oportet, ubi menses prodierint. Desinentibus autem mensibus, conceptorio medicamento adposito condormire. Priore vero tempore neque mulier ad virum accedat, neque vir ad mulierem.

Quum autem mulier non conceperit, prius concipere solita, uteri vero viri genituram in se ipsos suscipiunt, penitus necesse est mulierem serosam hanc facere. Quandoque enim in uteris pus innascitur, pus autem in uteris a tuberculis fit. Et sane ob hoc genitura viri, quando cum viro coit, uteros non contingit, quo videlicet ipsa viri genitura compingatur. Nam pus ipsam dissipat, ne adferatur. Mortificat enim pus, & putrefacit genituram, proinde & pus ex uteris expurgare oportet, & tuberculum in utero sedare, quo de cætero non impediat, genituram compingi, ac efferri. Festinare itaque oportet ad expurgandum, priusquam pus in uteris in callum

concrescat, & uteros colluere hoc modo. Lac equinum coctum exacte colato, ut tenuissimum, & purissimum evadat, & hoc infundito, clysteris instrumeneo idoneo facto. Et summa quidem clysteris pars levis sit, argentea, velut specillum, & statim modico intercedente spatio, foramen perforetur. Sint autem & alia foramina, non magna, sed angusta, hinc atque hinc, ex transverso clysteris æquali interstitio distantia, & clysteris quidem apex solidus sit. Reliquum vero totum cavum sit velut fistula. Adligare autem oportet vesicam suis feminæ, atque hanc probe radere, ac confricare; postquam autem adligaris, lac in vesicam infundito, foramina vero tenui linteo obstruito, ne lac adfluat. Ubi vero obturaveris, vesicam deligato, & ipsi mulieri dato, cui collutionem infundere paras. Illa vero, exceptis obturamentis, in uterum indat. Ipsa enim sciet, ubi indere oportet. Postea autem tu vesicam manu premito, quamdiu pus foras effluxerit. Manifestum autem hoc erit, ubi non amplius pus simul cum lacte exierit, palam etiam clarum est, quod non amplius inest. Atque tunc cessare oportet, & post hoc, ubi paululum recreata fuerit, ad modicum tempus, cucurbitæ siccæ fundum resecato, itemque apicis summam partem, quo perforata sit, ita ut similem efficias in reliquis, excepto apice velut clysterem; crassitudine vero paulo tenuior sit, quam virile pudendum. Hanc cucurbitam sic formatam vasi circumponito, vase vino impleto. Sit autem vinum odorum fragrantissimum, & siccissimum, ac vetustissimum, deinde lapidem nigrum pellucidum in vinum injicito, porro cucurbitam ex ære albo factam circumponito, & mulier circuminsideat, pudendum circum cucurbitæ glandem adhibens, qualiter

oportet, quo cucurbita vera super æream emineat, duorum digitorum intra pudendum mensura.

Quum mulier genituram suscipere non poterit, necesse est membranam superexcrevisse in osculo uterorum. Oportet igitur æruginem æris, & fel tauri, & serpentis adipem simul miscere, deinde pharmaco hoc lanam imbuere, & in byssinum linteum involvere linteo melle sublito, & facere subdititium magnitudine maximæ olivæ, & adponere ad pudendum per totam noctem. Supina autem jaceat, & in die auferat, & calida aqua lavetur quamplurima ex myrti decocto. Adponat autem & postea singulis noctibus, & deinde cum viro coeat.

Alia curatio. Marrubii foliorum manus plenæ mensuram in vas Atticum injicito, & aquæ potabilis heminas Atticas quatuor adfundito, & ubi per novem dies præmaceravisti, per alios novem dies jejuna, lota, duos cyathos de hoc bibat, pari mensura passi albi admixta. Quum autem tertiam diem potando transegerit, fomentum adhibeatur, cicutæ foliis in ignem missis, per novem dies, & post fomentum lavetur. Atque sic rursus de hoc bibat. Quum vero per triduum fomentum adhibuerit, marrubium ipsum tritum in die adponat per triduum, & mercurialem tritam in melle Attico bis in die. Præmaceretur autem in vini albi congio, hippomarathri, & fœniculi radix, & tædæ pinguissimæ ramuli, & rubiæ quarta pars, & fœniculi semen, & verbenacæ radices multæ, præmacerenturque diebus non minus quam novem, & postea femina loto capite, in balneo heminam per diem de meri cremore bibat, unde reclinata se ipsam concalefaciat. Atque hinc post potum alternis diebus id, quod ex felle paratur, per diem ad dies sex adponat. Quum autem jam

virum accedere vult probe purgata, hyoſcyami folia, ac radices in aqua fervefaciat, & ex his quam calidiſſimis per triduum ad noctem fomentum adhibeat, & lota virum accedat, poſt hoc vero fomentum etiam cervi pudendum ſiccum ſufficit, & de hoc in vinum album dilutum deradens, per triduum bibendum, & quum partus dolor inſtiterit, bibendum dato. Nam hoc partum accelerat.

Alia curatio. Fel tauri fervefacito, & alumen Melium, & cornu cervi uſtum terito, & permixtis, ac in glandulas efformatis utitor.

Aliud curativum. Cuminum in vino nigro coctum, tritum, in glandem efformato, & ad noctem adponito, poſt hæc vero fecem vini albi, tenuiſſimam videlicet fecis partem, comburito, & combuſtam in penna auferas, linteoque illigatam ad noctem ſubdas, & femina porrum coctum edat, poſt hoc tragium terat, & melle dilutum in noctem adponat, & deinde tragii fructum tritum, in vino albo dilutum, tædæ ramentis adjectis, bibendum dato, & poſtea origanum alternis ſuffito, & ſic ad virum accedat.

Alia curatio ad mulierem parere nequeuntem. Si mulierem parere nequeuntem, puerperam facere velis, in menſibus conſiderare oportet, an bilioſa ſit, ſive pituitoſa, cognoſces autem, utrum horum magis ſit, ſi ubi menſes prodeunt, arenam tenuem, & ſiccam in ſole ſubſtraveris, & de ſanguine infuderis, & ſi quidem bilioſa fuerit, ſanguis in arena ſiccatus, luteus fit. Si vero pituitoſa, velut mucus. Utrum igitur horum fuerit, ventrem purgabis, ſive ſurſum, ſive deorſum opus habere videtur. Deinde intermiſſis tribus diebus, uteros purgato, & ſi humidius uterorum oſculum

ſuerit, acria adponito, quo commorſum, & inflammatum os uterorum durum evadat.

Si vero mulier internis partibus non febriat, neque præ uteris concipiat, neque viro miſceri queat, ſed dormiat, & cibum averſetur, vinum melle admixto pudendis infundatur, & myrrham ſuffito. In ſedem vero glandes indat, & vinum adipe anſerino admixto in pudendum infundat. Deinde etiam oleum pari melle mixtum infundat.

Si mulieri uteri gracileſcant, & oſculum ipſorum exaſperetur, & concludatur, & menſes ipſi non adpareant, neque concipiat. Sed febris corripit lenta, & dolores incidunt ei in lumbos, & imum ventrem. Morbus autem hic maxime fit, quum quid in ipſa fuerit corruptum, ſit autem & ex partu. Hanc calida lavare oportet, & fovere. Quum autem lota, ac fota fuerit, os uterorum dilatare cum ſpecillo, & myrrham tritam cum pari netopo adponat. Aut unguentum, aut oleum roſaceum in linteo, & plumbum inſtar glandis formatum adponat, felle bubulo illitum. Et in quatuor diebus infecundas cognoſces, & fomentum adhibeto, & pharmacûm bibendum dato.

Si vero præter naturam mulier fuerit craſſefacta, in ventre non concipit. Nam omentum craſſum, ac multum incumbens, os uterorum deprimit, & genituram non ſuſcipiunt. Hanc adtenuare oportet, & pharmacum deorſum purgans bibendum dare, & ad uteros adponere, quod purgat, ac flatum inducit.

Si os uterorum durum fiat, aut cervix, ex digiti contactu cognoſces. Itemque ſi ad coxam averſi uteri fuerint. Quum ſic habuerit, nihil acre adhibeto. Si enim os uterorum exulceraveris, quum inflammatum fuerit, omnino periculum eſt, ne

ſterilis fiat. Verum adponito, quæ non mordent, a quibus pituita purgatur.

Quum menſes mulieri prodierint, & præterierint, primum quidem caput purgare oportet. Deinde veratrum exhibere, ſive ſemel, ſive bis opus fuerit. Poſtea vero fomentum adhibere, fomentatorio ex cucurbita conſtructo, ſic autem facto. Aquam marinam in vas infundito, & porro immiſſo, fiſtulam cucurbitis imponito, & cum luto quamoptimo illinito, ne tranſpiret. Deinde per ſellam erectam quadrangularem tranſmittito ipſam fiſtulam, quo duorum digitorum menſura emineat ultra ſectionem, tunc prunas ſubaccendito, & in deſeſſu caveat, & quum deſidet, & quum ſurgit, ne comburatur. Sed deſideat, dum adhuc frigidum eſt fomentatorium, & ſurgat, dum fiſtula eſt perfrigerata. In hoc vero fomento plurimam diei partem conſumat, & in hujuſmodi fomenti uſu ad quinque dies perſeveret. Per decem vero dies pro porro allium in fomentum immittito, & hujus faſciculum contuſum in aquam marinam injicito. Poſtea vero reliquis diebus ipſa ſola aqua marina foveatur, ne ultra procedat per totam curationem.

Cæterum poſtremum fomentum, quum a curatione deſiſtere voles, ſic facito.

Catulum recentiſſimum reſecato, & aromatum omnis generis odoratiſſimorum, ac ſicciſſimorum ſpecies contundito, & interaneis catuli exemtis, aromata indito, ac expleto. Subjectis autem lignis, & catulo in vas miſſo, vinum odoratiſſimum adfundito, & fomentum per fiſtulam facito, & ſi vires permittunt, totam diem cum hoc fomento ipſam foveto, ac interrogato, an odor aromatum per os olere videatur, non enim exiguum hoc ſignum eſt ei, quæ curatur, ad conceptionem. Subdititiis

vero utere, croci quantum voles, & myrrhæ magnitudinem fabarum duarum, & salem sufficientem permisce illorum respectu, & fellis taurini fabarum duarum magnitudinem. Si vero mitiore uti voles, minus fellis admisce. Si fortiore, plus. Hæc trita melle instillato tere, donec id, quod teritur, fiat tale, ut digito efformare possis. Quanto autem magis triveris, tanto siccius, & viscosius, ac melius erit. Ubi autem efformaris crassius quam glandem, & summam partem acutam, & medium crassius, & deinde consequenter quo ad uterum adponatur, in hoc ipsum surculos origani duos levigatos infigito. Sint autem longitudinis sex digitorum. Deinde lana mollissima surculos involvito, & filo tenui superne deligato, & præmineat filum quatuor digitorum longitudine præ surculis infixis: postquam autem perfudit, & puram se ipsam fecit, ipsum ad uteri os adponat, linteum sub coxas subjiciens, & per noctem adpositum sinat. Erit autem ipsi purgatio aquosa, postridie ubi surrexit, lavetur, & ea die super fomentum ne insideat. Quum autem fomentum adhibuerit, & de fomento surrexerit, ceratum sit quamoptimum prima illa die factum, & in ipsum cervi maxime medullam commisceto; sin minus, adipem anserinum, & quum a fomento surrexerit, quotidie, ubi se perfudit, & puram circa ventrem fecit, cerato uterum inungat. Aut reliqua quidem omnia superioribus admisceto, excepto felle, origanum vero levissime tritum in glandem permisce, & adponat.

Aliud. Reliqua quidem omnia ad eundem modum facta, verum pro origano absinthium admisceto, & eodem modo efformata adponat.

Aliud. Ex tritico melanthium deligito, & probe terito, melleque admixto, in pilæ formam redactum

adponat. Verum febres inducit, & articulum tumefacit, & vehementer mordax hoc eſt.

Aliud. Mel, & veratrum nigrum tenue non multum, coquito. Vehementer enim mordax evadet. Sed & hoc febrificum eſt. Eodem modo mel coctum, & elaterii portionem coquito, & factam inde glandem ſubdendam dato, & hoc febrificum eſt. Ducit autem & ſanguinem. Quædam vero ex his etiam pelliculas. Si vero voles, etiam dracontium derade (eſt autem lene), & hoc cum melle cocto, aut crudo in pilæ figuram velut magnam gallam efforma.

Cæterum conare, ut phyſicus ſis, ad hominis habitum, ac robur reſpiciens. Ex his enim nullus eſt, qui non omnia ad amuſſim faciat. Proinde ex his ipſis conjecturam faciens, totius corporis, & capitis purgationibus, medicamentis, & uteri fomentis, ac adpoſititiis uti conare. Hæc autem elementa tibi ſunt. Verum medela horum unicuique particularis eſt. Et ubi horum quid non feceris, ſemper in fomento perſeveret. Hoc enim eſt, quod mollit, & ducit ſeroſos, ac ſanioſos humores. Poſtquam vero ab hac curatione deſiveris, his, quæ ſecundum naturam fiunt, deſinentibus, ſanguinem de manu detrahere oportet, ſi quidem fortis fuerit, de ambobus brachiis, ſi vero debilior, de altero ſufficit. At vero diæta, qua in his curationibus uti oportet, alibi a me indicata eſt. Si vero ſuffire voles, lolium ex tritico deligito, & molito, factoque igne ſarmentitio lentiſſimo, in catinum mittito, & mulierem ſuper ſellam impoſitam, mollibus linteis inſtratam, ſedere jubeto, cruribus quammaxime diductis. Atque hæc curatio, ſi quidem ſufficiens tibi fiat, in quatuor menſibus bene eſt; ſin minus, ad hæc præcipe etiam ut ad virum ne accedat eo tempore,

quo

quo curatur. Inter curandum autem tædam in aqua macerato, & jejunæ cyathum bibendum dato, & penicillum ſtanneum aſſidue ſubditum habeat, & cotyledones, ſive umbilicos veneris una cum ſale, & cumino in aqua coquito, & tepidam ſorbendam exhibeto. Et latæ quidem cotyledones femellas gignere videntur, parvæ vero, & concluſæ, maſculos.

Conceptorium ſummum. Melanthium mulieri in vino nigro acerbo bibendum dato. Mulierem juvenculam fluxus ruber infeſtabat, & medicamentis datis, & capite purgato, ac vena ſecta, nihil melius habebat. Videbatur autem hæc cauſa ipſi eſſe, ne conciperet. Dabam itaque ipſi vinum album, in quo aſpalathi radices efferbuerant, mane, & ante cœnam, & fluxus ſedatus eſt, & non longe poſt concepit, & peperit maſculum. Erat autem corpore coloris candicantis, & probe carnoſa.

De mola. Molæ porro conceptus cauſſa hæc eſt. Quum multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint, neque fetus rectus fit, & venter plenus eſt velut prægnantis. Nihil autem in ventre movetur, neque lac in mammis generatur. Mammæ autem turgidæ ſunt. Hæc itaque & ad duos annos, ſæpe etiam tres ſic habet. Et ſi quidem una caro fiat, mulier perit. Neque enim fieri poteſt, ut ſuperſtes maneat. Si vero plures, erumpit ipſi per pudendum ſanguis multus, ac carnoſus. Et ſi hoc moderate fiat, ſervatur; ſin minus, a fluxu correpta perit, & morbus quidem talis eſt. Judicare vero oportet ex plenitudinis mole, & quod in ventre non movetur. Nam mas trimeſtris, femina quadrimeſtris motum habet. Poſtquam igitur tempore hoc prætergreſſo non movetur, nimirum hic morbus

est. Est autem hoc magnum signum, quod lac in mammis non generatur. Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione. Et primum quidem totum corpus foveto. Deinde per sedem clysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat. Fortassis enim quod compactum est, commoveris, id quod fetus esse putatur, muliere a pharmaco concalefacta. Sed & uteros colluito, quo sanguinem educas; sin minus, subdititiis utatur e bupresti, & dictamnum creticum in vino bibat; sin minus, castoris testem, & retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinem adfigito, & plurimum sanguinem detrahito, atque hoc maxime conjectura virium ipsius facta.

Ad uteri purgationes, quum non fiunt sive ex partu, sive etiam alias; tædam pinguissimam contusam in vino albo coquito, & trium cyathorum mensura utatur. Aut pæoniæ grana quatuor, cumini Æthiopici parum, & seselis paulo plus. Aut cedri baccas. Si vero suffocationes adfuerint, castorii parum.

Si vero purgatione moderata ex partu facta, venter maneat, aut etiam flatus conclusus, & dolore vexetur sive cum febre, sive citra febrem, succi scammoniæ quintam potionis partem, aut seseli, aliud quoddam ex odoratis, & rutam in vino albo bibendam dato. Si autem bibere nolit, illitionem ad sedem facito, velut verbi caussa, ex felle taurino, & melle, ac nitro.

Si vero ex purgationis corruptione dolore vexetur, & odoratis exhibitis nihil cedat, & febris adsit, lactis caprini heminas duas decoquito, deinde eo perfrigerato pinguedinem detrahito, excolatoque, & aquæ mulsæ tertiam partem admisceto, quo dulcius fiat. Bibat autem hoc ter jejuna. Si vero dolor non quiescat, neque venter subeat,

ad vesperam in calidam aquam in solio insideat. Quum autem perfota fuerit, ubi inde surrexit, cum vino nigro austero aqua diluto, olei dimidia parte addita, tepide colluito, & inde dormiat.

Subdititium uterorum. Si conclusum fuerit, aut durum osculum uterorum; ficum albam expurgato, & nitrum Ægyptium purissimum tritum admisceto, & subdititium facito magnitudine gallæ non magnæ, quod in lana molli in unguentum irinum tinctum adponat per tres, aut quatuor dies, prout visum fuerit. Post hoc conducit fomentum odoratum, postea vero molli quodam opus est subdititio, quod saniosa maxime ducat. Deinde mercurialem, si tenera fuerit, cum unguento rosaceo, in linteo ad diem, ac noctem subdat.

Ad idem. Fel taurinum, & salem fervefacito, & sulphure trito admixto, in oblongam spiram, ac tractum efformato, & ad duos dies, ac noctes nudam ad ipsos uteros adponito. Et deinde rursus mercurialem. Post hoc myrrham puram inspergito, & rosaceo, ac irino unguento admixto diluito, indeque uteri osculum quampenitissime illinat.

Ad idem. Iridem odoratam contusam, ac cribratam seorsim, & cyperi tantumdem, & crocomagma magnitudine massæ manum implentis, vino odorato diluito, & ad unguenti formam redigito, & spleniis palmi longitudine inducta, ac illita, in parvam pyxidem reconde, ne transpirent, & adponat.

Si vero ulcerati fuerint uteri, aut osculum exasperatum fuerit, aut ab aliquo subdititio commorsi fuerint, adipem in lana illinito, & rosaceum, ac ceræ parum inungito.

Quum prægnans corruperit fetum menstruum,

& ad finem perferre non poterit, & tenuis præter naturam fiat, hujus uteros purgare oportet, & ipſam medicamentis curare, & craſſefacere. Non enim ad perfectionem geſtare poterit, donec ſe ipſam refecerit, & uteri robuſti facti fuerint.

Si vero concipiat quidem, corrumpat autem fetus bimeſtres, exacte eodem tempore, & neque prius, neque poſterius, & hoc perpeſſa fuerit bis, aut ter eodem modo; aut etiam ad amplius tempus progreſſum corrumpat eodem modo. Hujus uteri non amplius extenduntur, fetu in ipſis augeſcente, & ex bimeſtri, aut trimeſtri ad ampliorem modum excedente. Verum fetus quidem augeſcit, uteri vero non creſcunt, & propterea multæ eodem tempore corrumpunt. Hujus uterum colluere oportet, & ſubdititiis quammaxime inflare, aut hiſce medicamentis. Colocynthidis internam partem tuſam cribrato, & ſilphii parum cum paulo ampliore melle cocto admiſceto, & hæc circum ſpecillum obducito ea craſſitudine, quantum ſtomachus ad uteri os ſuſcipere poteſt, & ſemper ultra protrudito, donec ad internam uteri partem penetrarit. Quum autem pharmacum colliquerit, ſpecillum eximito, & rurſus eodem modo paratum elaterium, & colocynthidem ſylveſtrem, ſimiliter velut prius medicamentum adponito. Edat autem hoc tempore allium multum, & ſilphii caulem, & reliqua diæta utatur, quæ flatum maxime in ventre inducere poteſt. Adponat autem ſubdititium tertio quoque die, donec bene habere viſa fuerit. Quandoque vero pluribus diebus interpoſitis, & in ſumma, prout libenter admiſerit. Interjectis autem diebus, utatur mollibus, poſtquam vero per emollitoria oſculum uteri præparaveris, & menſes adparue-

rint, paulum remorata, ubi jam ſicca fuerit, cum viro coeat.

Quum autem flatum in uterum inducere voles, allii caput integrum, & ſilphii ſuccum ad ſubdititia admiſceto. Quod ſi qua prægnans decem menſes perficere non poſſit, ſed corrumpit, & hoc ſæpe patitur, ex hujus utero aquam purgato, & ipſam medicamentis curato, quo aqua purgetur.

Si vero genituram continens, non prægnans fiat, id quod multis contingit, ſtomacho uteri præter naturam hiante, menſes plures, quam convenit, & humidiores prodeunt, ut & id, quod a femina prodit ſemen, ad fetificationem non concipiatur, & viri genitura inſuper accedens corrumpatur. Contingunt autem hæc, & corpore, & uteris ægrotantibus. Verum oportet huic medicamenta deorſum purgantia dare, & interpoſito aliquo tempore, totum corpus fovere, & uteros cum aceto, & aqua marina, ſpecillis, ac ferramentis ignitis immiſſis. Conjiciantur autem in fomentum cupreſſi ramenta, & lauri viridis folia contuſa, & polycnemi folia. Faciendum eſt hoc fomentum tempore opportuno, poſt hoc vero lavetur, & fomentum adhibeatur ex loti ramentis, & roſis, ac polycnemi foliis aceto incoctis. Ad finem autem ſuffitus fiat ex verbaſci foliis contuſis, ac loti ramentis. Verum ante lotionem ſuffito myrrham, & thus, utraque æquis partibus trita, & myrti ac lauri folia. His permixtis, & in lentum ignem conjectis, recens adhibito fomento ſuffito, bis in die, fomentum autem adhibeatur recens lotæ. Sed & poſt ſuffitum lavet, & uteri ſtomachum ad priſtinam naturam reducat. Et ſi vires ſufficiant, ante hæc omnia venam in manu ſiniſtra ſecato, atque ita reliqua facito. Si vero ſtomachus ſic habeat, menſes au-

tem non prodeant, aut vitiose, aut minus, ad reliqua omnia ampliorem purgationem adhibeto, & sic curato, subdititiis etiam utens, si opus habeat, & ex prioribus lavans, & suffitum faciens, ac siccans.

Si mulier invita abortum faciat, nec ita ejicere velit, triticum torrefactum, & molitum, & uvam passam albam contusam, aqua mulsa dulci diluta, modico oleo adfuso, jejunæ bibenda dato, postea raphani semen tritum, & acetum, ac adipem anserinum, permixta bibat, & lauri folia trita adponat. Deinde bibat origanum, & pulegium, & polentam ex aqua, ita ut lauri folia tusa, ac trita admixto gummi, aquæ inspergat, diluat, ac bibat. Aut adipem ovillum, & anserinum, & mel simul mixta, ac trita delingenda præbeto. Aut pastinacæ semen levissime terito, & lacti superstantem concretionem admisceto, & adipem anserinum eliquatum. Hæc fervefacta sorbenda dato. Aut origani folia viridia, si haberi possunt; sin minus, sicca levissime trita, ex aqua bibenda dato. Aut lauri baccas levissime terito, & suis feminæ adipem liquatum, & mel admisceto, & simul omnia trita deligenda præbeto. Aut pastinacæ semen levissime tritum ex vino diluto bibendum dato.

Si uteri genituram non contineant, plumbum, & lapidem, qui ferrum ad se rapit, leviter terito, & linteo illigato, quo in muliebri lacte tincto, subdititio utatur. Aut æris florem tritum, ac melle dilutum subdat.

Quum uteri genituram viri eructant tertia die, necesse est mulieris, quæ hæc patitur, uteros callos repletos esse, & non potest viri genitura intus in utero manere, sed excluditur, & prop-

terea concipere non poteſt, quamdiu callus in utero fuerit.

At calli expulſio ſic fit. Pennas ſumito minutiſſimas, ac molliſſimas, hiſque ſimul colligatis, uteros illinito, quemadmodum oculos illinere ſolent, ita ut pennas exæques, ipſarumque ſummas partes tenuiſſimo filo deliges, & multo roſaceo illinas. Sic autem facito. Supinam reclinato, & ſub medios lumbos pulvinar ſubjicito, & ſpecillum immittito, ita ut cruribus mulieris extentis, & hinc atque illinc diductis, ſpecillum ſurſum, ac deorſum vertas, donec promineat, poſtquam autem videris in oſculo uteri collum, optimum quidem hoc fuerit, ſi non adhæreat in coxa, ſed ultro ſequatur. Si itaque in oſculo uteri inhæret, volſella tenuiſſima prehenſum extrahere conare, providus ut placide hoc fiat, & non violenter. Et poſtea viro condormiat.

Si prægnanti menſes compareant, ſtercus aſininum ſiccum, & rubricam, & ſepiæ teſtam terito, & linteo illigata adponito. Aut pæoniæ ſemina nigra in vino diluto trita bibenda dato.

Si vero a coitu imum ventrem doleat, & ſanguis recens ipſi adpareat, lini ſemen tuſum, & muſcum mollem, & adipem anſerinum mixta, ac molli lana excepta imponito.

Si uteri extra naturam progreſſi fuerint, calor habet maxime pudenda, & ſedem, & urina paulatim deſtillat, & pudendum mordet, patitur autem hæc, ſi recens ex partu viro condormierit. Quum ſic habuerit, myrti baccas, & loti ramenta in aqua coquito, & aquam per noctem ſub dio exponito, atque ſic frigidiſſimam pudendis adfundito, & trita hæc adponito. Poſtea aquam lentium bibens, melle, & aceto admixtis, vomat, donec uteri fuerint retracti, & lectus a pedibus

altior ſit, & graveolentia ſub pudenda ſuffito, odorata vero ſub nares. Cibis utatur quammolliſſimis, ac frigidis, & vinum aquoſum album bibat, & non lavetur, neque cum viro dormiat.

Si vero uteri omnino ex pudendis exciderint, dependent velut ſcrotum, & dolor corripit. Hoc autem contingit, quum ex partu laborarit, ut uteros concuſſerit, & cum viro dormierit in puerperii purgatione. Quum ſic habuerit, frigefactoria adponat, & quod foris eſt, depurgatum, ac cum vino nigro vinoſo, in quo malum punicum coctum eſt, ablutum intro detrudat. Deinde mel, & reſina, pari menſura eliquata, in pudenda infundantur, & decumbat ſupina pedes ſurſum extentos habens, poſtea ſpongias adponat, & ad lumbos deliget. Quamdiu vero ſic habuerit, a cibis abſtinere oportet; potu vero quampauciſſimo uti, donec ſeptem dies prætereant, & ſi quidem ſic redire voluerint, bene eſt; ſin minus, ſummas uteri partes deradito, lavato, & cerato picato illinito. Deinde pedes ad ſcalam deligato, ſcalamque juxta caput pulſato, & cum manu intrudito. Poſtea crura ipſius alternatim colligato, & diem, ac noctem ſinito in quiete, & modicum ptiſanæ ſuccum frigidum dato, aliud autem nihil. Poſtera die ipſam reclinato, & cucurbitam quammaximam ad coxam adfigito, & multo tempore trahere ſinito, & cum detraxeris, reclinatam facere ſinito, & nihil aliud præter ptiſanæ ſuccum exhibeto, donec ſeptem præterierint dies. Cibis autem tunc molliſſimis, ac pauciſſimis utatur Si vero ventrem exonerare voluerit, decumbens id faciat, donec quatuordecim dies prætereant: poſtea ſurgat, & quamparciſſime deambulet, & ne lavetur, & cibis modicis utatur, ſub pudenda vero ſuffitus per gra-

veolentia fiat. Et poſtquam obambulare inceperit, ſubligar geſtet.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE VIRGINUM MORBIS.

PRÆFATIO.

Brevis libellus. Fluxum uterinum plethoræ tribuit, & per venæ ſectionem eumdem ſanat, perque venerem. Citatur ab auctore libri muliebrium, & videtur ejuſdem auctoris eſſe.

PRincipium ſit mihi compoſitionis eorum, quæ perpetua ſunt in arte medica. Non enim poſſibile eſt morborum naturam cognoſcere, ſiquidem artis eſt invenire, niſi quis noverit naturam in indiviſibili, ex qua in principio diſcreti ſunt: primum de morbo ſacro adpellato, & de adtonitis, ſive ſideratis, & de timoribus, ex quibus adeo fortiter pavent homines, ut delirent, & dæmones quoſdam videre ſe putent, ipſis infeſtos, quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando vero utroque tempore. Poſtea ab hujuſmodi ſpectris multi jam ſe ſtrangulaverunt, plures autem mulieres, quam viri. Eſt enim muliebris natura animi magis dejecti, ac imminuti.

Cæterum virgines nubiles, & maturæ viro, hoc magis patiuntur, una cum menſium deſcenſu,

antea non valde hinc adflictæ. Poſtea enim ſanguis in uteros confluit, velut effluxurus. Quum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum, tunc ſanguis non habens effluxum præ multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſverſum.

Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium adprehendit. Quemadmodum quum aliquo longo tempore deſidente, ſanguis ex coxis, ac femoribus depreſſus, in tibias, ac pedes torporem inducit. A torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſe ipſum revertatur. Revertitur autem celerrime, quum ſteterit in aqua frigida, quæ ultra malleolos madefaciat. Atque hic quidem torpor facile cedit. Cito enim propter venarum rectitudinem refluit. Et locus corporis non eſt periculoſus. At ex corde, & ſepto tranſverſo tarde refluit. Venæ enim obliquæ ſunt, & locus periculoſus, & ad delirium, ac inſaniam paratus. Quum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres adpellant. His autem ſic habentibus, præ acuta quidem inflammatione, inſanit, præ putredine vero clamat, præ caliginoſitate autem timet, ac formidat, præ compreſſione vero circa cor ſtrangulationes parat, præ ſanguinis autem malitia, animus mœrens, ac anxius malum adtrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos proſilire, ac incidere jubet, & ſtrangulari, tanquam meliora ſint hæc, & omnem vitæ utilitatem excedentia.

Aliquando vero ſine ſpectris, ac phantaſmatis voluptas quædam adeſt, ex qua mortem velut bonum aliquod amat; poſtquam autem reſipuit

homo, mulieres tum alia multa, tum pretiosissimas muliebres vestes Dianæ consecrant, a vatibus id jubentibus deceptæ.

Cæterum curatio, ut hinc liberentur, est sanguinis detractio, si nihil fuerit, quod impediat. Ego vero jubeo virgines, quum hujusmodi patiuntur, quamcitissime viris cohabitare. Si enim conceperint, sanæ fiunt. Si vero hujusmodi non adfuerint ipsis simul cum pubertate, aut paulo post corripientur, nisi viro nupserint. At vero ex mulieribus viro junctis steriles magis hæc patiuntur.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE MORBO SACRO.

PRÆFATIO.

Longe ab HIPPOCRATIS *ingenio recedit opusculum, quod totum in ratiociniis versatur. Demonstrare satagit auctor, malum non a deorum ira oriri, sed a cerebri humiditate. Nuperiorum etiam temporum esse putes, quod nimis accuratam Anatomes cognitionem ostendat in cerebri humani cum animalium cerebro, comparatione, & demum naturam morbi ex cerebris ovium & caprarum incisis conetur eruere. Venarum etiam satis accu-*

ratam dat descriptionem. Systema videtur sequi eorum, qui a pituita & bile morbos deducunt. Aerem ad cerebrum ponit venire. Dictio fusa & Asiatica. Passim a CÆLIO *& aliis antiquis citatur.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Sacri morbi explicatio, nomen, natura, subjectum, sedes, causæ, insultus, symptomata, signa, curatio, ac multa problemata describuntur.

CAPUT I.

Sacrum morbum cæteris morbis neque diviniorem, neque sacratiorem esse; idque nomen tum ab imperitia & admiratione, tum a magorum, expiatorum, circulatorum & ostentatorum ficta pietate ortum habuisse.

DE morbo, quem sacrum dicunt, sic se res habet. Nihil quicquam aliis morbis divinus aut sacratius esse mihi videtur; sed eamdem, ex qua reliqui morbi oriuntur, naturam habet. Homines vero ex imperitia & admiratione ei naturam & causam divinam esse censuerunt, quod nulla in re reliquis morbis sit similis. Et per consilii inopiam, quod (morbum) non cognoscunt, illi divinitatem asservant; at per facile parabilem curationis modum ei medentur: expiationibus enim aut incantationibus ab eo liberantur. Quod si propter admirationem divinus censeatur, multi morbi sacri erunt, & non unus;

quemadmodum ego alios demonstrabo nihil ... nus admirabiles, neque minus prodigiosos ... nemo sacros esse existimat. Primum enim ... quotidianæ, & tertianæ, & quartanæ ni... minus sacræ esse, neque minus quam hic morbus a Deo fieri mihi videntur, quamvis admirationem nullam habeant. Deinde vero insania laborantes homines, ac desipientes ex nulla manifesta causa, tum multa, tum simul intempestiva facere video. Vidi etiam multos in somno lugentes & vociferantes; quosdam etiam suffocari, quosdam exsilire, & foras fugere, ac decipere, quoad expergiscantur; postea vero sanos esse, & ut antea resipiscere, eosque pallidos ac debiles; atque hæc non semel, sed sæpenumero. Aliique multi sunt & varii morbi, quorum quodque recensere, prolixa foret oratio.

CAPUT II.

Epilepsiæ curationem a Magis & expiatoribus institutam; prognosi, diæta & expiationibus (non autem medicamentis) perfici. Neque Deum morbi hujus auctorem, neque morbum sacrum esse prodit; propulsisque expiationibus & incantamentis, preces, templa, & sacrificia Deo digna probat.

MIhi certe videntur, qui primi hunc morbum sacrum fecerunt, ejusce esse homines, quales nunc sunt magi, & expiatores, & circulatores ac ostentatores quidam, qui se valde pios esse, plurimumque scire simulant. Hi quippe divinitate imperitiam suam obvelantes & promoventes, quum nihil haberent, quod ob-

latum prodeſſet, ne prorſus ignari eſſe proderentur, ſacram hanc eſſe affectionem pronunciarunt. Atque additis idoneis rationibus tutam ſibi curationem propoſuerunt, oblatis expiationibus & incantationibus, balneisque abſtinere jubentes, & multis cibis ad hominum laborantium eſum ineptis. Ac marinis quidem, mullo, melanuro, mugili, & anguilla: hi enim piſces præcipue periculoſi ſunt. Ex carnibus vero, caprina, cervina, ſuilla & canina; hæ namque carnes alvum maxime conturbant. Ex volucribus, gallo, turture, & otide, prætereaque his, quæ valentiſſimæ eſſe cenſentur. Ex oleribus autem, mentha, allio, & cepa: nihil enim acre infirmo conducit. Veſtimentum etiam nigrum haud induere (præceperunt;) niger enim color lethalis: neque in pelle caprina decumbere, neque eam geſtare; neque pedem pedi, neque manum manui ſuperimponere: hæc enim omnia (curationis) impedimenta eſſe. Quæ omnia divinitatis gratia addunt, velut amplius quiddam ſcientes, & alias cauſas proferentes, quo ſi convaleſcat (æger,) eorum gloriæ & ſolertiæ attribuatur; ſin vero moriatur, in tuto poſitæ ſint ipſorum defenſiones, & occaſionem dicendi habeant, ſe non in cauſa, ſed Deos eſſe: neque enim medicamentum aliquod edendum aut bibendum exhibuerunt; neque balneis excoxerunt, ut in cauſa eſſe videantur. Ego vero cenſeo Libycorum mediterraneam regionem incolentium, neminem ſanum eſſe, quod caprinis pellibus & carnibus utantur, quum neque ſtratum, neque veſtimentum, neque calceamentum aliud habeant, quod non ſit caprinum. Non enim alia ulla ipſis ſunt pecora, quam capræ & boves. Si autem

hæc oblata & comesta morbum augent, & non comestà medentur, nullius sane Deus auctor est, neque expiationes juvant, sed quæ eduntur, medentur & lædunt, numinis vero vis evanescit. Sic igitur mihi videntur hi, qui hoc modo hos morbos curare aggrediuntur, neque sacros ipsos esse, neque divinos arbitrari. Ubi enim talibus expiationibus, ac tali curatione tollantur, quid vetat etiam aliis artibus similibus illarum, & discedere ab hominibus & accedere? Quare non Deus amplius auctor est, sed aliquid humanum. Quisquis enim lustrationibus, & magicis incantamentis talem affectionem abigere valuerit, is etiam aliis artibus depellet; eaque ratione divina vis penitus avertitur. Talia dicentes ac excogitantes, amplius quid se scire simulant, & homines decipiunt, proponentes his lustrationes, ac purificationes; quum multa ipsorum verba ad Deum ac numen referantur. Atqui mihi sane non de pietate verba facere videntur, ut ipsi putant, sed potius de impietate, & quod Dei non sunt: pietasque, ac divinitas ipsorum impia est ac scelesta, quemadmodum ego docebo. Si enim lunam deducere, & solem obscurare, tempestatemque, ac serenitatem inducere, & pluvias, ac siccitates, & mare sterile, ac terram facere, & alia hujusce modi omnia se scire profitentur, sive ex sacrorum mysteriis, sive ex alia quadam professione, aut meditatione hanc potentiam jactent; qui talia studio habent, impii sane mihi esse videntur, neque Deos esse putare; neque si sint, quicquam posse, neque ullum extremum malum facientes coercere. Cujus rei gratia, quomodo non ipsis infesti sint? Si enim homo incantamentis, ac sacrificiis utens, & lunam detrahet; & solem obscurabit, & tempestatem, ac

ſerenitatem faciet, non utique ego horum quicquam divinum eſſe cenſuerim, ſed humanum; ſi ſane divinitatis potentia ab humana voluntate ſuperetur, & in ſervitutem redacta ſit. Fortaſſis autem hæc non ita ſe habent, ſed homines, victus indigi, multa & varia moliuntur, & verſute agunt, tum in alia omnia, tum in hunc morbum, in ſingulis affectionis ſpeciebus cauſam Deo adſcribentes: non enim ſemel, ſed multoties eadem ab ipſis commemorantur. Si enim capram imitentur, ſi balatum edant, ſi quæ dextris partibus convellantur, Matrem deorum cauſam eſſe ajunt. Si vero acutiorem & vehementiorem ſonum emittat (æger), hunc equo aſſimilant, & Neptunum auctorem eſſe dicunt. Si vero etiam aliquid ſtercoris emittat, quod ſæpe quibusdam contingit præ morbo coactis, Hecates Enodiæ appellatio additur. Si autem tenuius & crebrius dejiciat, velut aviculæ, Apollo Nomius. Si vero ſpumam ex ore demittat, ac pedibus calcitret, Mars cauſam habet. Quicunque porro pavores noctu ingruunt, timores, deliria, proruptiones a lecto, terriculamenta, ac fugæ foras, Hecates inſidias eſſe dicunt, & heroum inſultus, expiamentisque utuntur ac incantamentis, & ſceleſtiſſimum ac impiiſſimum, meo ſane judicio, faciunt numen. Expiant enim morbo correptos, ſanguine & aliis ſimilibus ſceleribus inquinatos, aut facinoroſos, aut ab hominibus veneno infectos, aut qui ſceleſtum aliquod facinus perpetrarunt, quos contraria his facere oportebat, ſacrificare, ac precari, & ad templa ferentes, Diis ſupplicare. Nunc vero horum quidem nihil faciunt verum expiant, & partim expiationes in terra occultant, partim in mare projiciunt, & partim ad montes deferunt

runt, ubi nemo attingat, neque conculcet. Oportebat autem ea ad templa deferre, ac Deo reddere; si quidem Deus est auctor. Non tamen ego puto hominis corpus a Deo inquinari, sordidissimum a purissimo; verum etiamsi contingat ab alio inquinari, aut quid perpeti, cupiet utique a Deo purgari, ac purificari magis, quam inquinari. Deus itaque est, qui maxima ac sceleratissima peccata lustrat & expiat, refugium factus nobis; ipsique terminos templorum ac delubrorum Diis designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat; & ingressi respergimur, non ut inquinemur: sed si quod etiam prius scelus habeamus, purificemur. Ac de expiationibus quidem sic se res habere mihi videtur.

CAPUT III.

Sacri morbi natura seu ortus: causæ ut reliquorum morborum. Humor pituitosus, non biliosus, cerebrum, genus: venarum distributio; partis impotentia, & torpor.

Hic vero morbus nulla re divinior reliquis mihi esse videtur; sed naturam habet, quam etiam alii morbi; & causam, unde singuli gignuntur. Naturam autem illius & causam, ab eodem divinam fieri, a quo & cætera omnia; & sanabilis esse mihi videtur nihilominus quam alii, nisi jam multo tempore invaluerit, ut fortior sit medicamentis, quæ adhibentur. Incipit autem velut etiam alii morbi secundum genus. Si enim ex pituitoso, pituitosus, ex bilioso, biliosus gignitur; & ex tabido, tabidus, & ex lienoso, lienosus: quid prohibet, ut cujus pater & ma-

ter hoc morbo correpti fuerint, eo etiam (posterorum) ac nepotum aliquis corripiatur? Quum nempe genitura ab omnibus corporis partibus procedat, a ſanis ſana, a morboſis morboſa. Aliud porro ſignum magnum eſt, quod nihilo divinior reliquis ſit morbis; pituitoſis enim natura oboritur; bilioſis vero non accidit. Atqui ſi divinior ſit reliquis, ſimiliter omnibus morbum hunc incidere oporteret; neque inter bilioſos ac pituitoſos diſcrimen facere. Sed enim ipſis cerebrum, hujus affectionis, ut etiam aliorum maximorum morborum, cauſa eſt. Quo vero modo, & ex qua cauſa fiat, ego manifeſte docebo. Cerebrum hominis, quemadmodum etiam cæteris omnibus animalibus, duplex eſt: medium autem ipſius dividit membrana tenuis. Quapropter non ſemper eadem capitis pars dolet; ſed ſigillatim alterutra, aliquando vero totum (caput.) Sed & venæ in cerebrum tendunt ex univerſo corpore, multæ & tenues; duæ vero craſſæ, altera ab hepate venit, altera a liene. Et quæ quidem ab hepate venit, hoc modo ſe habet. Altera quidem venæ pars deorſum tendit, per partes ad dexteram, juxta ipſum renem ac lumbum, ad internam femoris partem, & pertingit ad pedem, & vocatur vena cava. Altera vero ſurſum tendit per venas dextras, ac pulmonem; diſtribuitur autem & in cor, & in brachium dextrum. Reliquum vero ſurſum fertur per claviculam in dextram cervicis partem, (&) ad ipſius cutem, ita ut conſpicua ſit. juxta autem vero occultatur, atque hic finditur. Et craſſiſſima quidem, ac maxima, & valde cava ipſius pars in cerebrum deſinit; alia vero pars in aurem dextram, quæ venula tenuis eſt; alia autem in oculum dextrum, alia in ipſum naſum. Atque ſic quidem venæ ab hepate ſe habent. Tendit autem & a liene

vena in ſiniſtra ſurſum ac deorſum, velut ab hepate; verum tenuior & imbecillior. In has autem venas etiam majorem ſpiritus copiam inducimus; hæ enim corporis noſtri ſpiracula ſunt quæ aërem in ſeipſas trahunt, & in reliquum corpus, ac venulas derivant, refrigerantque, ac rurſus emittunt: non enim poſſibile eſt ſpiritum conſiſtere, ſed ſurſum meat ac deorſum. Si enim alicubi conſiſterit, ac interceptus fuerit, impotens redditur illa pars, ubi conſtiterit. Cujus rei ſignum hoc eſt: quum enim deſidenti, aut decumbenti venulæ compreſſæ fuerint, ut ſpiritus a vena non permeet, ſtatim torpor occupat. Ac de venis quidem reliquis ſic ſe habet.

CAPUT IV.

Quomodo epilepſia fetui in utero, & caput ſanum, ac ægrum oboriatur. Purgati fetus in utero commoda, non purgati læſiones. Catarrhoicæ ex pituita affectiones, ac epilepſiæ ſymptomata, vocis ſuppreſſio, deſipientia, manuum impotentia, oculorum diſtortio, ſpuma, ſuffocatio, ſtercus, calcitratio.

AT vero is morbus pituitoſis oboritur, bilioſis minime. Incipit autem fieri quum adhuc fetus in utero eſt; purgatur enim, & adoleſcit cerebrum, ut etiam aliæ partes, priusquam in lucem edantur. In hac autem purgatione, ſi quidem cerebrum probe ac moderate purgatum fuerit, & neque plus neque minus quam oporteat defluxerit, hic (fetus) maxime ſanum caput habet. Si autem amplior colliquatio a toto cerebro facta fuerit, morboſum caput augeſcens (fetus) habebit, ſonitu plenum, & neque ſolem, neque frigus tolerabit. Si vero ab una aliqua

parte (colliquatio) contigerit, aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua ſimul gracilis facta fuerit, ille ſic male afficitur, prout ſane colliquatio contigerit. Si vero purgatio non ſuccedat, ſed in cerebro cogatur, hoc modo (fetus) pituitoſos eſſe neceſſe eſt. Et quibuſcunque, dum pueri ſunt, erumpunt ulcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſalivoſi fiunt, ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facillime degunt. Hic enim abit, ac purgatur pituita; quam in utero purgari oportebat: & qui ſic purgati fuerunt, comitiali morbo fere non corripiuntur. Qui vero puri ſunt, & neque ulcus ullum, neque mucus, neque ſaliva ulla prodit: neque in uteris purgationem fecerunt, periculoſum eſt ne ipſi hoc morbo corripiantur. Si autem ad cor progreſſum fecerit defluxus, palpitatio corripit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, nonnulli etiam incurvi fiunt. Quum enim pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor deſcenderit, perfrigeratur ſanguis; venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonem & cor adſiliunt, & cor palpitat, ut hinc neceſſario anhelationes, & erecta cervice ſpiratio eveniant. Non enim ſpiritum ſuſcipere poteſt, donec, quod influxit, id a ſanguine ſuperatum & calefactum, in venas diffuſum fuerit. Deinde & palpitatio, & anhelatio ſedatur; ſedatur autem prout ejus copia fuerit: ſi enim amplius influxerit, tardius; ſin minus, citius: &, ſi quidem crebriores fuerint defluxus, crebrius comitiali morbo homo corripitur; ſin minus, rarius. Hæc itaque perpetitur, ſi ad pulmonem, & cor defluxio proceſſerit: ſi vero in ventrem, alvi profluvia prehendunt. Si vero ab his viis excluſus fuerit, & in venas, quas dixi, defluxum fecerit, mutus fit, & ſuffocatur, & ſpuma ex ore effluit,

& dentes inter ſe conſtringuntur, & manus convelluntur, & oculi diſtorquentur, & nihil intelligunt; aliquibus etiam ſtercus deorſum ſecedit. Atque hæc aliquando in ſiniſtra, aliquando in dextra parte, aliquando utrinque contingunt. Quomodo vero homo ſingula hæc perpetiatur, ego narrabo. Mutus quidem eſt, quum pituita derepente in venas delapſa, aërem excluſerit, & non admiſerit, neque in cerebrum, neque in venas cavas, neque in ventriculos, ſed interceperit reſpirationem. Quum enim accipit homo per os & nares ſpiritum, primum quidem ad cerebrum venit; deinde vero in ventriculum magna ex parte: pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his vero ad reliquas partes per venas diſpergitur: & quantum quidem ejus ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præſtat & qui ad pulmonem venit. Qui vero ad venas (pervenit) aër, confert ſe ad ventriculos ingreſſus, & ad cerebrum. Atque ſic ſapientiam & motum membris exhibet. Quare ubi fuerit excluſus a venis aër præ pituita, cumque non ſuſceperint, mutum ac deſipientem hominem reddunt. At vero manus impotentes fiunt, ac convelluntur, quum ſanguis quieſcit, neque diffunditur, ut ſolebat. Oculi quoque diſtorquentur, aëre a venis excluſo, & exſiliunt. Spuma vero per os prodit ex pulmone: quum enim ſpiritus in ipſum minime ſubit, ſpumeſcit, & ebullit velut moriens. Stercus vero ſubducitur, dum violenter ſuffocatur. Suffocatur autem, hepate & ventre ſurſum ad ſeptum transverſum irruentibus, & ventriculi oſculo concluſo. Irrumpit autem, quum tantum ſpiritus os non ingreditur, quantum ſolebat. Calcitrat autem pedibus, quum aër in membris concluſus fuerit, & foras præ pituita penetrare non

valuerit. Exſiliens vero per ſanguinem ſurſum ac deorſum, convulſionem ac dolorem inducit, propereaque calcitrat. At hæc omnia patitur, quum pituita frigida in ſanguinem calidum defluxerit: perfrigerat enim & ſiſtit ſanguinem. Et, ſi quidem fluxus multus fuerit ac craſſus, ſtatim occidit. Vincit enim ſanguinem frigore & congelat. Si vero potior fuerit, in præſentia quidem ſuperat, & reſpirationem intercipit. Deinde temporis progreſſu, quum diſperſus fuerit per venas, & copioſo ſanguini ac calido permixtus fuerit, ſi ita ſuperetur, venæ aërem ſuſcipiunt, (ægrique) reſipiſcunt.

CAPUT V.

Cur pueri epileptici potius, quam adulti; cauſæ & effectus. Curque ſeniores epileptici celerius intereant, aut attoniti fiant. Quando epilepſia oriatur: quando incurabilis. Capræ epilepſia corripiuntur.

ET quicunque pueri parvi hoc morbo corripiuntur, plerumque intereunt, ſi copioſa fluxio ingruerit, eaque humida ſit. Quum enim venæ tenues ſint, pituitam præ craſſitudine ac copia recipere nequeunt; ſed perfrigeratur ac condenſatur ſanguis, & ſic moriuntur. Si vero, modica quum ſit, in utraſque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis, ſuperſtites evadunt, notam (ex morbo) præ ſe ferentes. Aut enim os contrahitur, aut oculus, aut cervix, aut manus, ubicunque ſane venula, pituita repleta, ſuperata & attenuata fuerit. Hanc itaque venam neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hanc corporis partem læſam, infirmiorem. Verum ad longius tem-

pus plerumque prodeſt: non enim amplius morbo epileptico prehenditur, ſi ſemel notam impreſſam ſuſceperit. Quapropter neceſſario etiam reliquæ venæ male afficiuntur, ac partim ſimul gracileſcunt; ut aërem quidem ſuſcipiant, pituitæ autem defluxus non amplius ſimiliter illabatur. Debiliora tamen ſimiliter membra eſſe par eſt, venis male affectis. Quibuscunque autem non plene adultis, & valde modica (pituita) defluxerit, & ea in dextras partes, hi citra notam convaleſcunt: verum periculum eſt, ne morbus foveatur, ac ſimul augeſcat, niſi idoneis remediis curentur. Pueris igitur ſic evenit, aut quam proximo huic modo: ſeniores vero, quum inciderit, neque enecat, neque contorquet; nam & venæ cavæ ſunt, & ſanguine calido refertæ. Quapropter neque ſuperare pituita poteſt, neque perfrigerare ſanguinem, ut congelet ipſum: ſed ipſa ſuperatur, ac ſanguini celeriter permiſcetur; atque ſiç venæ aërem ſuſcipiunt, & intelligentia redit, ſignaque prædicta propter virium robur minus imprimuntur. At vero valde ſenes, quum hic morbus inceſſerit, propterea enecat, aut paraplecticos facit, quia venæ vacuæ ſunt redditæ, & ſanguis modicus, tenuis, & aquoſus ineſt. Si igitur multum defluxerit, & hyemis tempus fuerit, occidit: ſuffocat enim ſpiracula, & ſanguinem congelat, ſi in utramque partem fluxio decidat; ſi vero in alteram, paraplecticam tantum facit eam. Non enim poteſt ſanguis pituitam ſuperare, quum tenuis ſit, frigidusque ac modicus; ſed ipſe ſuperatus congelatur, ut impotentes fiant illæ partes, in quibus ſanguis fuerit corruptus. Ad dextras autem magis defluit, quam ad ſiniſtras; quia venæ ampliores ſunt, & plures quam in ſiniſtris: ab hepate enim tendunt, & a liene.

Defluit autem, & eliquatur pueris maxime, quibus ſane caput fuerit percalefactum, ſive a ſole, ſive ab igne, ſive etiam derepente inhorruerit cerebrum; ac tunc quidem pituita ſecernitur. Eliquatur etenim calore, ac cerebri diffuſione; ſecernitur autem a frigore ac concretione; ſicque defluxio fit. Et nonnullis quidem (defluxionis) cauſa hæc eſt; alias vero etiam ubi derepente poſt aquilonares ventos auſter ſucceſſerit, compactum ac debile cerebrum derepente ſolvit ac laxat, ut pituita redundet, ſicque defluxionem faciat. Defluit inſuper (&) ex obſcuro metu oborto, ſi timuerint quidem aut aliquo vociferante, aut inter plorandum ſpiritum cito revocare non potuerint; id quod pueris frequenter contingit. Quidquid ſane horum ipſorum acciderit, ſtatim inhorreſcit corpus, & æger, mutus factus, ſpiritum non trahit; ſed ſpiritus conquieſcit, & cerebrum concreſcit, & ſanguis ſiſtitur, ſicque ſecernitur, ac defluit pituita. At pueris quidem hæ per initia ſacri morbi cauſæ ſunt. Grandioribus autem natu hyems infeſtiſſima eſt: quum enim ad multum ignem (ſenex) caput & cerebrum percalefecerit, deinde in frigore verſatus fuerit, aut inhorruerit, & ex frigore ad teporem acceſſerit, & ad ignem ſederit; idem quoque hoc patitur; atque ſic morbo ſacro prehenditur, velut ante commemoratum eſt. Periculum vero multum eſt, ut & vere id ipſum patiatur, ſi caput fuerit inſolatum; minime autem æſtate, non enim fiunt repentinæ mutationes. Poſtquam vero viginti anni præterierint, non amplius hic morbus corripit, præterquam paucos, aut nullum, niſi puero familiaris fuerit: venæ enim ſanguine plenæ ſunt, & cerebrum compactum eſt ac durum, ita ut non defluat in venas. Si vero

defluxerit, ſanguinem non ſuperat, qui jam multus ac calidus eſt. In quo vero una a puero increvit ac adolevit, in eo conſuetudinem fecit, ut in mutationibus ventorum patiatur, & ut plurimum morbo ſacro corripiatur, præcipue Auſtrali tempeſtate, ac liberatio difficile contingit: cerebrum enim humidius quam pro natura fit, & pituita exundat, ita ut defluxiones frequentiores fiant, neque amplius poſſit pituita excerni, neque cerebrum reſiccari; ſed irriguum & humidum eſſe (neceſſe eſt). Cognoverit autem hoc ipſum, qui voluerit, & maxime ex ovibus hoc morbo correptis, & præſertim capris; hæ enim frequentiſſime corripiuntur. Si enim caput ipſarum diſſecueris, cerebrum humidum eſſe, & ſudore exuberans, ac male olens deprehendes. Et ex hoc nimirum cognoſces, non Deum, ſed morbum corpus lædere. Sic vero ſe res habet etiam in homine. Quum enim diuturnitatem adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis eſt: cerebrum enim eroditur a pituita, ac colliquatur; quod vero colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit, & propterea frequentius ac facilius morbo hoc corripiuntur. Propterea vero diuturnus eſt morbus, quia id, quod affluit, tenue eſt præ copia, & ſtatim ſuperatur a ſanguine, ac incaleſcit.

CAPUT VI.

Quando epileptici epilepſiam prænoſcant: hujus cauſas ventos eſſe, Auſtralem & Borealem.

QUicunque vero morbo jam adſueti ſunt, ſe correpturos iri prænoſcunt, & ex hominum frequentia fugiunt; ſi domus ipſorum prope fue-

rit, domum: ſin vero minus, in locum maxime ſolitarium, ubi quam pauciſſimi ipſos cadentes viſuri ſint; ſtatimque ſe contegunt: idque faciunt præ pudore affectionis, non præ timore, ut multi putant, numinis. At vero pueri primum quidem ob inſuetudinem, ubicunque ſors tulerit, concidunt. Quum autem ſæpius a morbo corripiuntur, ubi præſenſerint, ad matres, aut ad alium maxime notum, propter affectionis metum, terroremque confugiunt: verecundari enim pueri nondum ſciunt. In mutationibus autem ventorum propterea morbo ſacro corripi cenſeo, maxime quidem Auſtrinis, deinde vero etiam Aquilonaribus, poſtea etiam reliquis ventis. Hi autem ſunt, qui vehementiſſimi ex ipſis ſunt, & inter ſe tum ſtatione, tum viribus maxime contrarii. Etenim aquilo cogit aërem, & quod turbulentum ac nubiloſum eſt, excernit, & illuſtriorem ac pellucidum facit. Eodem modo etiam alii omnes (venti) ex mari, ac aliis aquis orientes. Ex omnibus enim rebus, atque ex ipſis hominibus humiditatem & quod tenebroſum eſt, expellunt: quapropter ſaluberrimus omnium ventorum (Aquilo) eſt. Auſter autem contraria huic facit. Primum enim incipit aërem compactum liquare, ac diffundere: quapropter etiam non ſtatim vehementer ſpirat, ſed primum lenis eſt, quoniam aërem ſtatim ſuperare non poteſt, qui jamdudum denſus eſt & compactus; ſed temporis progreſſu ipſum diſſolvit. Idem etiam ipſum per terram efficit, & per mare, fluviosque ac fontes, & puteos, & quæ ex terra naſcuntur, & quibus humor ineſt. Eſt autem in omni re; in alia plus, in alia minus. Omnia autem hæc ventum hunc ſentiunt, & ex ſplendidis tenebroſa fiunt, & ex frigidis calida, & ex ſiccis humida.

Et quæcunque in domibus vasa juxta terram sunt vino plena, aut alio quopiam liquore, ea omnia Austrum sentiunt, & formam in aliam speciem transmutant. Solem vero, & lunam, ac sidera multo hebetiora, quam ex natura sint, reddit. Quum igitur etiam his, quæ adeo magna sunt ac valida, tantopere dominetur, & corpus sentire compellat, ut ex horum ventorum alterationibus transmutetur; necesse est ab australibus (ventis) quidem dissolvi ac humescere cerebrum, venasque laxiores reddi; ab aquilonaribus vero, quod in cerebro maxime sanum est, in unum compelli. Quod vero maxime morbosum, ac humidum est, excerni, & foris circumalluere; atque sic defluxus in horum ventorum mutationibus invenire. Sic morbus hic oritur, & viget, tum ab accedentibus, tum a decedentibus; nihiloque ejus curatio aut cognitio reliquis est difficilior, neque magis quàm cæteri divinus est.

CAPUT VII.

Unde cerebrum tum functiones sanas, tum actiones depravatas moliatur: idem omnium primum epilepticos insultus pati; epilepsiam ab iisdem caussis procreari, a quibus cæteri morbi, nec iis esse diviniorem.

AT homines nosse oportet, quod ex nulla alia nobis parte voluptates contingunt, & lætitiæ, & risus, & lusus, quam ex illa; itemque mœrores, & anxietates, tristitiæque ac ejulatus, & querelæ. Et hac sapimus maxime, ac intelligimus, & videmus, & audimus, & cognoscimus turpia, & honesta; mala, & bona; jucunda, & injucunda; partim quidem consuetu-

dine discernente, partim vero utilitate percipiente. Eadem voluptates, & molestias temporibus dignoscente, neque eadem nobis placent: eadem & insanimus, & deliramus, & terrores, & timores nobis ingruunt, partim noctu, partim interdiu, & insomnia & errores intempestivi, & curæ inanes, ac rerum præsentium ignoratio, desuetudo, & imperitia. Atque hæc omnia perpetimur a cerebro, quum sanum non fuerit; sed aut calidius natura fiat, aut frigidius, aut humidius, aut siccius, aut aliud quid perpetiatur præter naturam & consuetudinem. Et insanimus quidem ab humiditate: quum enim humidius natura fuerit, necesse est agitari; ubi vero movetur affectio, necesse est neque visum quiescere, neque auditum; sed alias aliud videre, & audire: & linguam talia dicere, qualia singulis momentis viderit, ac audierit. Quanto vero tempore cerebrum quieverit, tanto etiam homo sapit. Fit autem corruptio cerebri a pituita, & bile. Utrumque autem hoc modo dignosces. Qui enim a pituita insaniunt, quieti sunt, neque vociferantur, neque tumultuantur; qui vero a bile, clamosi sunt, & malefici, & minime quieti, semper aliquid intempestivum faciunt. Si igitur assidue insaniant, hæ ipsis sunt causæ. Quod si terrores ac timores adsunt, a cerebri transmutatione (id contingit). Transmutatur autem, dum calescit; calescit autem a bile, ubi in cerebrum impetum fecerit ex corpore per venas sanguinem deferentes; & metus circumstat, donec rursus redierit in venas ac corpus, deinde sedatur. Angitur autem, & intempestive jactatur, dum cerebrum perfrigeratur, & præter consuetudinem cogitur. Hoc vero a pituita patitur; ab hac autem affectione etiam obliviosus evadit.

Etenim noctu clamat & vociferatur, si quando derepente cerebrum percalefiat. Hoc autem perpetiuntur biliosi (pituitosi enim non percalefiunt,) quum sane sanguis copiosus ad cerebrum pervenerit, & efferbuerit; venit autem multus per venas prædictas. Quum contigerit, ut homo videat insomnium horrendum, & in metu fuerit, ut etiam si vigilet: tunc magis facies incenditur, & oculi rubescunt, quum timuerit, mensque aliquid mali perpetrare cogitat, sic etiam ipsi in somno contingit. Ubi vero expergefactus fuerit, & resipuerit, atque sanguis rursus in venas prædictas dispersus fuerit, cessat. Propterea judico cerebrum in homine vim plurimam habere. Hoc enim est nobis eorum, quæ ab aëre fiunt, interpres, si sanum fuerit. Prudentiam autem ipsi exhibet aër. Oculi vero, & aures, & lingua, & manus, & pedes, qualia cerebrum cognoscit, talia subministrant. Prudentia namque toti corpori contingit, prout aëre participarit. Ad intelligentiam vero internuncius est cerebrum. Quum enim homo spiritum in seipsum adtraxerit, primum quidem ad cerebrum pervenit: & sic ad reliquum corpus aër dispergitur, relinquens in cerebro suum ipsius vigorem, & quidquid prudentiæ ac mentis habuit. Si enim in corpus primum perveniret, & posterius in cerebrum, relicto in carnibus ac venis judicio, ad cerebrum jam calidus perveniret, & non sincerus, sed permixtus humori ex carnibus & sanguine, ut non amplius exacte purus esset. Quapropter dico cerebrum, intelligentiæ internuncium esse. At præcordia alias fortuitum nomen per consuetudinem sortiuntur, non revera, neque a natura. Neque ego sane novi, quam vim habeant præcordia, ut sapiant & intelligant; præterquam si homo ex im-

proviſo nimio gaudio perfundatur, aut triſtitia afficiatur, (tunc ſane) exſiliunt, & palpitationem exhibent præ tenuitate: & quod diſtenta ſunt maxime in corpore; & ventriculum non habent, ad quem aut bonum, aut malum illapſum excipiant; ſed ab utrisque his turbantur, propter naturæ imbecillitatem: nam nullum ſanè prius ſentiunt ex his, quæ in corpore inſunt, ſed fruſtra hoc nomen & cauſam habent: quemadmodum quæ ad cor ſitæ ſunt, aures appellantur, quum nihil conferant ad auditum. Porro quidam dicunt nos corde ſapere, & id eſſe quod angitur, & quod curam gerit. Verum hoc non ita ſe habet, ſed contrahitur quidem velut præcordia, & magis etiam easdem ob cauſas. Ex omni enim corpore venæ ad ipſum tendunt, illicque clauduntur, ut ſentiat, ſi quis dolor, aut collectio homini contingat. Neceſſe eſt enim & dum angitur, inhorrere corpus ac diſtendi: & ſiquis nimio gaudio perfundatur, idem pati. Quapropter cor quidem & præcordia maxime ſentiunt: prudentia tamen minime participant; ſed omnium horum cerebrum cauſa eſt. Quemadmodum igitur etiam prudentiam ac aërem omnium primum ex his, quæ in corpore inſunt, percipit cerebrum; ſic etiam, ſi qua mutatio vehementior in aëre contingat, per anni tempora, etiam ipſum a ſeipſo in aëre diverſum redditur. Cerebrum enim propterea primum ſentit, quoniam & morbos in ipſum incidere cenſeo acutiſſimos, maximos, perniciosiſſimos & ſolutu difficillimos inexpertis. Hic vero morbus, qui ſacer appellatur, ab iisdem cauſis oritur, a quibus etiam reliqui, ab accedentibus (nimirum) ac decedentibus, velut frigore, ſole, ventis, quæ & tranſmutantur, & nunquam quieſcunt. Hæc autem ſunt divina, ita

ut nequaquam hunc morbum ab aliis secernendo, diviniorem ipsis existimare (oporteat;) sed omnes divinos, omnesque humanos esse. Naturam autem ac vim in se unusquisque habet, & nullus auxilii, ac remedii expers est; & plerique his ipsis curantur, a quibus etiam nascuntur. Alterum enim alteri nutrimentum est, alteri vero pernicies. Hoc itaque Medicum nosse oportet, & temporis occasionem in singulis dignoscere, quod huic quidem alimentum dabit, & augebit; illi vero detrahet, & minuet. Oportet autem, tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, sed festinare, ut ipsos profligemus, id quod adversissimum est morbo exhibendo, & non quod amicum & familiare; a familiari enim & consueto viget ac augescit: ab adverso vero & hostili perit & dissipatur. Quisquis autem talem mutationem in hominibus novit, & humidum ac siccum facere potest (hominem,) calidum item, ac frigidum per diætam, hic utique & hunc morbum sanaverit, si occasionem eorum, quæ conferunt, pernoscet, citra expiamenta, ac magicas artes, citraque omnem aliam illiberalem hujusmodi professionem.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE INSANIA.

PRÆFATIO.

Citatur quidem tamquam ejusdem esset auctoris cum L. de Morbo Sacro, cujus pleræque voces hic

redeunt. Differunt tamen aliqua, & libri HIPPOCRATICI *citantur.*

QUemadmodum in libello de Morbo Sacro dixi, insanienti necesse est præ humiditate cerebrum, in quo animæ sunt opera, moveri: ubi videlicet humidius quam pro natura fuerit. Eo vero commoto, neque visum, neque auditum quiescere, sed alias alia & videre & audire: & linguam talia loqui, qualia singulis vicibus viderit ac audierit. Quamdiu vero cerebrum quieverit, tamdiu etiam homo sapit. Fit autem corruptio cerebri a pituita & bile. Utriusque vero cognitio sic contingit. Etenim qui a pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuantur. Qui vero a bile, percussores sunt, & malefici, ac non quieti. Et siquidem assidue insaniant, hæ causæ sunt. Si vero terrores & timores fuerint, a transmutatione fiunt, cerebro a bile calescente, quæ ad ipsum per venas sanguinarias procedit. Cum autem bilis discesserit rursus in venas, etiam corpus quiescit. Tristatur autem & angitur homo, & præter temporis rationem obliviosus fit, dum cerebrum a pituita perfrigeratur, & præter solitum morem compingitur. Postquam vero cerebrum derepente a bile calefactum fuerit, sanguine in prædictis venis effervescente: insomnia vident horrenda, & facies velut in vigilante flammescit, & oculi rubescunt, & mens aliquid mali operari cogitat. Atque hoc in somno homo patitur. Cum autem sanguis rursus ad venas dispersus fuerit, quiescit æger. Porro in quinto Popularium morborum libro quendam recensui, cui fiebat vocis interceptio, ignorantia, frequentes delirationes, & reversiones: lingua autem erat dura: &, nisi collutione usus esset,

esset; loqui non poterat & plerumque etiam lingua valde amara erat. Venæ sectio exsolvit, aquæ potus, aqua mulsa, veratrorum potiones. Hic ubi modicum tempus supervixisset, mortuus est. Erat & alius quidam, quem, ubi noctu ad convivium progrederetur, timor tibicinæ corripiebat, ubi audiret ipsam tibia canentem. Interdiu vero audiens, nihil patiebatur.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE FLATIBUS.

PRÆFATIO.

Spurius mihi videtur, & ab HIPPOCRATIS *ingenio remotissimus, etsi* MERCURIALIS *ad secundam classem retulit; eloquenter cæterum scriptus bonique ordinis liber. Ex unico principio cohærentes opiniones miro ingenio deducit, morbosque omnes ab aere in aliena loca illapso interpretatur: sed alia sequitur ab* HIPPOCRATE *placita, & potissimum in catarrhis a libro de locis dissidet. Pneumaticæ sectæ hic origines habeas.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Flatus, tum externos, tenuiores, sive aërem ambientem, tum internos crassiores

corpus permeantes. Omnes plurimorum morborum caufas explicat; ubi multiplices generationis morborum modi advertuntur.

CAPUT I.

Medicinam Medicis laboriofam, plebejis hominibus commune bonum effe; opinionem vim maximam habere: quidquid moleftum, id morbum effe; contrariorum contraria effe remedia. Quid Medicina; quis Medicus optimus.

SUNT quædam artes, quæ poffefforibus quidem fuis multum laboris exhibent; utentibus vero jucundæ ac utiles funt: & plebejis quidem ipfis commune bonum conferunt; his autem, qui eas tractant, plane moleftæ. Ex quarum artium numero eft, quam Medicinam appellant. Medicus enim gravia ac periculofa intuetur, & molefta contrectat, ac ex aliorum calamitatibus proprias fibi demetit moleftias. Ægrotantes vero artis opera maximis malis, morbis, laboribus, dolore & morte liberantur. His enim omnibus Medicina manifeftam medelam adhibere deprehenditur. Hujus autem artis vilia noffe difficile; feria vero facile. Ac vilia quidem ipfis Medicis, vulgo autem minime funt cognita; cum mentis quidem non corporis opera fint. Quæcunque quidem manuum operam poftulant, ad ea confuetudine eft perveniendum. Eft enim manuum ufus optimus docendi magifter. At obfcuriffimos & maxime difficiles morbos, opinio magis quam ars judicat: etfi in his plurimum ab imperitia peritia differt. Ex quibus fane unum hoc eft; quænam fit morborum caufa, & ex quo

principio ac veluti fonte corporis vitia oriantur. Si quis enim morbi caufam noverit, is poterit corpori conducentia offerre, contraria morbo opponens. Hæc enim ars Medica maxime fecundum naturam eft. Exempli caufa, fames morbus eft. Quidquid enim hominem vexat, id morbus appellatur. Quodnam igitur famis eft remedium? hoc quod famem fedat. Id autem cibus eft, hoc igitur illi medendum eft. Rurfus quoque fitim potio fedat. Plenitudinem itidem evacuatio fanat; evacuationem vero plenitudo: laborem otium; otium labor. Atque ut uno verbo dicam, contrariorum contraria funt remedia. Medicina enim additio eft & fubtractio; & eorum quidem, quæ exfuperant fubtractio: eorum vero, quæ deficiunt, additio. Qui vero iftud optime facit, is optimus Medicus eft, quique plurimum abeft ab eo præftando, is plurimum in arte deficiet. Atque hæc quidem præter inftitutum futuri fermonis dicta funt.

CAPUT II.

Morborum omnium modum unum, unamque fpeciem, & caufam effe triplex alimentum. Quid fpiritus; quid aër; quid flatus; quid ventus. De aëris ufu neceffario, vitæ, & morborum authoris.

MOrborum autem omnium idem modus; locus vero diverfus eft. Morbi igitur ob locorum varietatem & diffimilitudinem, nihil inter fe habere fimile videntur. Eft tamen una & eadem omnium morborum forma & caufa, quam procedente oratione quænam fit declarare conabor. Hominum enim & reliquorum animantium

corpora triplici alimento nutriuntur; horum autem nutrimentorum hæc sunt nomina, cibus, potus, spiritus. Ac spiritus quidem, qui in corporibus insunt, flatus nominantur; qui vero extra corpora sunt, aër. Hic autem maximus in omnibus, quæ corpori accidunt auctor, ac dominus est; ac illius vim inspicere operæ pretium videtur. Ventus enim est aëris fluxus & effusio. Quum igitur copiosus aër vehementem fluxum fecerit, tum & arbores vi spiritus e terra radicitus evelluntur, mare æstu fluctuat, & immensæ naves onerariæ in altum jactantur. Hanc igitur vim in ista obtinet. Qui etsi oculis minime cernitur, ratiocinatione tamen conspicuus est. Quid enim sine hoc fit tandem? aut a quonam hic abest? aut cui non præsens est? Quidquid enim inter cœlum & terram interjacet, id omne spiritu plenum est, idque hyemis & æstatis causa est: per hyemem quidem condensatum & frigidum; per æstatem vero lene & tranquillum. Quin etiam solis, lunæ & astrorum viam spiritus dirigit. Igni enim spiritus nutrimentum est, eoque privatus ignis vivere non potest. Atque adeo perennem solis cursum, aër perennis & tenuis esse facit. Quin & in mari quamdam esse spiritus communionem cuivis est manifestum. Neque enim natantia animantia sine spiritu vivere possent. Quonam autem alio pacto illum participarent, si non per aquam & ex aqua spiritum attraherent? Et lunæ in eo sedes est, ac fundamentum; hicque terræ vehiculum, neque quidquam spiritu est vacuum. Atque hæc quidem causa, cur in cæteris aër tantum possit, dicta est. Mortalibus autem hic tum vitæ, tum morborum ægrotis causa est. Tantaque est omnibus corporibus spiritus necessitas, ut omnibus aliis & cibis & potu abstinens homo,

duos tamen, tres vel plures dies vitam degere possit: si vero quis spiritus in corpus vias interceperit, exiguo diei spatio enecet (corpus illud oportet;) adeo necessarius est usus spiritus in corpore. Ad hæc quoque quum omnes alias actiones homines intermittunt, quod mutationibus innumeris vita sit referta; ab hac tamen sola actione nunquam desistunt mortalia animantia, quin modo inspirent, modo exspirent. Quod igitur omnibus animantibus cum aëre maxima intercedat communio, dictum est. Huic quoque orationi subjiciendum, morbos unquam vix aliunde quam inde oriri posse, quum is (spiritus) aut copiosior, aut parcior, aut etiam plenior, (aut) & morbidis inquinamentis infectus in corpus subierit. De tota re igitur hæc mihi sufficere videntur.

CAPUT III.

Aërem omnium morborum, & febrium causam esse; febrem omnium morborum comitem, eamque duplicem, communem & privatam: quid utraque. A spiritu eructationes, horrores, & rigores.

DEinceps autem ad opera ipsa oratione progressus morbos omnes istius sobolem esse, & ab hoc oriundos demonstrabo. Ac primum a febre maxime communi morbo exordium ducam; hic enim morbus omnium aliorum morborum, præcipue vero inflammationis, comes est. Quod indicant sequentia offendicula; mox enim cum inflammatione inguinum tumor & febris consequitur: febrium autem duo sunt genera (ut id quoque hic attingam) unum quidem omnibus commune, pestis appellatur; alterum vero ob

pravam victus rationem privatam pravo victu utentibus contingens. Horum autem utriusque aër auctor est. Communis igitur febris ideo talis est, quod eundem omnes spiritum attrahunt: & simili spiritu, corpori similiter permixto, similes oriuntur febres. At forte objiciat quispiam, cur igitur non omnibus animantibus, sed alicui ipsorum generi ejusmodi morbi contingunt? Quod (dixerim) corpus a corpore, natura a natura, & alimentum ab alimento differt. Neque enim omni animantium generi eadem sunt commoda aut incommoda, sed alia aliis conveniunt. Quum igitur aër inquinamentis hujusmodi, quæ hominum naturæ adversantur, plenus fuerit, tum homines ægrotant. Quum vero alteri cuidam animantium generi aër incommodus fuerit, tunc illud genus morbo corripitur. Quinam igitur populares sint morbi, & quare, & quomodo, & quibus, & unde oriantur, dictum. Febrem autem, quæ ex pravo victu oritur, tibi deinceps exponam. Est autem hujusmodi prava victus ratio; primum quidem cum quis copiosiores cibos, aut liquidos, aut siccos corpori exhibeat, quam ipsum ferre possit, neque labore aliquo ciborum copiam compensat; deinde quum varios & dissimiles inter se cibos assumit. Dissimilia enim seditionem movent, & alia citius, alia tardius concoquuntur. Ac cum multis cibis multum etiam spiritum ingeri necesse est. Nam cum omnibus his, quæ eduntur aut bibuntur, spiritus aut copiosior, aut paucior in corpus subit. Atque id inde manifestum est, quod eructationes plerisque post assumptos cibos & potus accidunt; nimirum quum inclusus aër recurrat, ubi bullas, in quibus latet, perfregerit. Quando igitur corpus cibis expletum fuerit, tum spiritus quoque magna copia accedit, diu-

tius immorantibus cibis; cibi autem, quum præ multitudine ſpiritus tranſire nequeunt, diutius immorantur. Obſtructo autem inferiore ventre, in univerſum corpus flatus percurrunt, & ad ſanguine refertas corporis partes illapſi, eas refrigerant. Ac refrigeratis his locis, in quibus fontes & radices ſanguinis continentur, per univerſum corpus horror penetrat. Univerſo autem ſanguine perfrigerato, totum corpus horret. Hanc igitur ob cauſam, primum horrores ante febres oriuntur: & quo majore copia & frigiditate flatus irruperint, talis quoque rigor conſequitur, a pluribus quidem & frigidioribus, vehementior; a paucioribus vero minusque frigidis, minus quoque vehemens. Cum horroribus autem, corporis quoque tremores ad hunc modum contingunt. Sanguis enim præſentem horrorem fugiens concurrit, ac per totum corpus ad maxime calidas partes penetrat. Atque hi ſunt ejus ſaltus. Deſiliente autem ab extremis corporis partibus ſanguine, & viſcera, & carnes contremiſcunt. Quædam enim corporis partes copioſo ſanguine refertæ; aliæ vero exſangues fiunt. Atque exſangues quidem ob frigus minime conquieſcunt, ſed concutiuntur, quod eas calor deſtituerit. Quæ vero ſanguine replentur, ob ſanguinis copiam contremiſcunt, & inflammationes excitant: neque enim fieri poteſt, ut ſanguinis copia conquieſcat.

CAPUT IV.

Quæ ſymptomata febres vel præcedunt, oſcitationes, articulorum exſolutiones; vel comitantur, capitis dolores, ſudores, temporum pulſationes.

OScitationes autem febres præcedunt, quum copiosus aër coacervatus fuerit, confertimque ad superiora erumpens, instar cunei os emovet, ac diducit; quod hac ei facillimus exitus pateat. Quemadmodum enim ab aqua in lebetibus ebulliente, vapor copiosus evehitur; sic corpore concalefacto, aër coacervatus & vi quadam delatus, per os erumpit. Articuli quoque ante febres exsolvuntur. Calefacti enim nervi diducuntur. Coacto autem cumulatim plurimo sanguine, aër ipse, qui sanguinem refrigeravit, a calore superatus, rursus incalescit, incensusque ac velut igneus factus, in toto corpore calorem excitat; ad id etiam adjuvante ipso sanguine. Quod enim incensum est, liquatur, ex eoque spiritus oritur; spiritu autem ad corporis meatus irrumpente, sudores fiunt. Coactus autem spiritus in aquam abit, & per meatus subiens, ad eundem modum foras erumpit, quo a ferventibus aquis sublatus vapor, si ad solidum quiddam impingere compellatur, incrassescit ac condensatur, guttæque ab his corporibus, in quæ vapor impegit, decidunt. Capitis autem dolores una cum febre hanc ob causam oriuntur. Sanguinis in capite viis angustia contingit, quod aëre repletæ sint; eæque repletæ ac incalefactæ capiti dolorem afferunt. Sanguis enim vi coactus, quum calidus sit, per angustam viam transire celeriter nequit: multa enim ei impedimento sunt obstacula, & obstructiones. Eamque sane ob causam pulsationes circa tempora contingunt. Ad hunc ergo modum, quem dixi, febres contingunt, & cum febribus dolores & ægritudines.

CAPUT V.

Volvulos, convolvulos, tormina, aliosque inhærentes morbos a flatibus oriri, ut & fluxiones & hæmorrhagias pectoris, & rupturas; doloresque a flatibus fotu calido mitigari.

ALiorum autem morborum, quales ſunt volvuli, aut inteſtinorum convolutiones, aut tormina, aut alii inhærentes morbi, flatibus cauſam adſcribendam, omnibus exiſtimo notum eſſe. Horum enim omnium ſpiritus trajectio cauſa eſt. Hic enim, ubi ad loca tenera, inadſueta, nec prius attacta incubuit, ad inſtar ſpiculi infixi carnes ſubit, & interdum quidem ad præcordia, interdum etiam ad ilia, quandoque vero ad utramque partem irrumpit. Eam ſane ob cauſam etiam foris adhibitis calidis fomentis, dolorem lenire conantur. Rarefacta enim cute per fomenti calorem, ſpiritus extra corpus pervadit, ac proinde dolorem quies quædam conſequitur. Ac fortaſſe dixerit quiſpiam: quomodo ergo fluxus a flatibus contingunt? aut quonam modo ſanguinis eruptionum circa pectus cauſa ſunt? Hæc autem iſtis de cauſis fieri me declaraturum exiſtimo. Quum capitis venæ aëre repletæ fuerint, primum quidem caput urgentibus flatibus gravatur. Deinde ſpiritus in ſanguine propter viarum anguſtiam intus convolvitur; quod vero ſanguinis eſt tenuiſſimum, per venas eliditur. Hoc ſane humidum, ubi coacervatum fuerit, per alios meatus effluit; quumque confertum ad aliquam corporis partem pervenerit, ibi morbus conſtituitur. Ubi igitur ad oculos venerit, ii laborant: ſi ad aures, ibi morbus eſt; ſi ad nares, gravedo exori-

tur; si ad pectus, raucedo appellatur. Pituita namque acribus humoribus permixta, ubi in loca minime assueta irruperit, ea exulcerat. Quum vero ad fauces teneras etiam fluxio ingruit, eas exasperat. Spiritus enim per fauces respiratione attractus, ad pectus fertur, ac rursus per eandem viam effertur. At ubi deorsum delata fluxio spiritui adscendenti occurrerit, tussis supervenit, & pituita superne repellitur. Quibus ita se habentibus, fauces exulcerantur, & exasperantur, & incenduntur; calefactæ vero humorem ex capite attrahunt: caput autem rursus a reliquo corpore assumens, iis transmittit. Quum igitur hunc in modum fluxio effluere consueverit, meatusque velut in torrentis alveum excavati fuerint, ad pectus quoque transfundunt. Acris autem quum fuerit pituita, in carnem irrumpens, venas exulcerat & refringit. Sanguis vero in alienum locum effusus, mora computrescens in pus convertitur, neque sursum conscendere, neque infra subire potest. Neque enim naturæ humidæ, ut neque aliis rebus, quæ gravitatem habent, facilis est sursum via, quum acclivis sit; infra autem subire septum transversum vetat. Quam sane ob caussam fluxionem interdum citra spiritum perrumpi contingit, & partim sponte quidem, partim vero ob dolores: ac sponte quidem, quum aër ultro in venas subiens, sanguinis vias coarctat. Compressus enim sanguis, sua copia, qua maxime impressionem fecerit, venas perrumpit. Ubi vero sanguinis copia effusa fuerit, in his etiam dolores spiritu venas complent; (adfectum enim locum spiritum continere necesse est) aliaque dictis similia contingunt.

CAPUT VI.

A flatibus rupturas, hydropem, & apoplexiam procreari.

AT vero ruptiones has ob caufas contingunt; quum vi quadam a fe invicem carnes divelluntur, & in ipfam divulfionem fpiritus fubierit, hic dolorem affert. Quod fi flatus, per carnes perrumpentes, corporis meatus rarefecerint, eos humiditas confequitur, cui viam aër antea ftruxit. Corpore autem madore perfufo, carnes quidem colliquefcunt, & tumores ad furas defcendunt; & morbus hic hydrops dicitur. Quod autem hujus morbi caufa fit flatus, id maximum eft argumentum, quod jam perniciofa affecti quidam, aqua evacuata, plane fint liberati. Aqua certe, fimul atque e ventre erumpit, multa videtur: paulum autem morata, imminuitur. Cur vero hoc fiat, fatis manifeftum eft: quod quæ quidem fubito erumpit aqua, aëre plena eft; aër autem tumorem facit ingentem. Quum autem fpiritus deceflerit, eadem plane aqua relinquitur; quæ fane quidem pauca effe videtur, quum tamen æqualis fit. Eft & hoc aliud ejus rei indicium. Nam venter penitus vacuatus, non tribus elapfis diebus, rurfus implebitur. Quidnam igitur aliud quam fpiritus impleat? quidve aliud tam cito implere poffit? Neque enim tanta potus copia in corpus ingefta eft, ac neque carnes, quæ colliquefcent, in caufa effe poffunt; quum offa fuperfint, & nervi, & fibræ, ex quibus haud quidem tanta aquæ copia provenire poteft: atque hydropis quidem caufa jam dicta eft. Fiunt quoque apoplexiæ, eæque fanguinis

flatulenti culpa: nimirum quando is frigidior & copiosior exsistens in carnes se insinuaverit, easque inflarit; stupidæ enim fiunt istæ corporis partes. Siquidem igitur plurimum sanguinis flatulenti totum cerebri corpus permeaverit, totus homo fit attonitus: si vero partem aliquam, pars illa. Atque ubi quidem flatus illi discesserint, morbus cessat: ubi vero permanserint, permanet (& morbus.) Hæc autem ita se habere continuæ oscitationes indicant.

CAPUT VII.

A flatibus morbum sacrum procreari: ejus causæ, symptomata, discessio. Sanguinem commoderatum prudentiam efficere; perturbatum vero imprudentiam, ebrietatem, insomnia, corporis subversionem.

AC mea quidem opinione, hi (flatus) etiam morbum sacrum vulgo dictum producere videntur. Quibus autem rationibus adductus sum, iisdem etiam auditores persuadere conabor. Imprimis autem in animum induco, ex iis, quæ in corpore insunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem. Is namque ubi in constanti figura persistit, prudentia etiam constat: permutato vero sanguine, simul quoque prudentia concidit. Quod hæc autem ita se habeant, multa sunt testimonia. Ac primum quidem somnus, qui animantibus omnibus communis est, quæ dicta sunt confirmat. Somnus enim ubi corpus corripuerit, tum sanguis refrigeratur; nam natura somnus refrigerare solet. Perfrigerato autem sanguine, languidiores fiunt ejus

meatus. Id vero inde fit manifeſtum, quod corpora ſua gravitate inclinentur (quum gravia omnia ad imum ferri natura ſoleant,) & oculi clauduntur, & prudentia permutatur: opiniones etiam diverſæ mentem occupant, quæ profecto inſomnia appellantur. Rurſus vero in temulentis per ebrietatem aucto repente ſanguine, percelluntur animi, animorumque cogitationes, & malorum præſentium obliti, futurorum bonorum optimam ſpem concipiunt. Multa etiam ejusmodi commemorare poſſem, in quibus ſanguinis permutationes animi prudentiam immutant. Perturbato igitur in totum ſanguine, prorſus quoque prudentia deperit. Affectus enim, & cognitiones a conſuetudine contingunt. Quum vero a ſolita conſuetudine diſcedimus, prudentia nobis tollitur. At ſacrum morbum ſic fieri cenſeo; tum cum multus ſpiritus per omne corpus omni ſanguini permixtus fuerit, multæ obſtructiones fiunt multifariam per venas. Quum igitur in craſſiores & ſanguine abundantes venas copioſus aër irruit, progreſſusque immoratur, ſanguinis tranſitus inhibetur; atque hic quidem ſiſtitur, ibi vero tardius permeat, alibi autem citius. Ex qua ſane per corpus pervadentis ſanguinis inæqualitate, omnigenæ inæqualitates contingunt. Totum enim corpus undique contrahitur, & corporis partes perturbantur, ſanguine ipſo tumultui, ac perturbationi ſubveniente: & ex ſanguinis perverſione, variæ etiam undique corporis perverſiones oriuntur. Sub id vero tempus, nihil omnino ſentiunt, neque quæ dicuntur audiunt, neque quæ fiunt vident, neque ullos dolores ſentiunt. Sic enim conturbatus aër, ſimul quoque ſanguinem conturbavit & infecit: quin etiam ſpumæ per os non ſine cauſa effluunt; per

jugulares enim venas aër ſubiens, penetrat quidem ipſe, ſecumque id quod in ſanguine eſt tenuiſſimum ſubvehit; humidum vero illius permixtione albeſcit. Aër enim purus, per tenues membranas pellucidus apparet; eamque ſane ob cauſam ſpumæ omnes albæ conſpiciuntur. Qui igitur hoc morbo corripiuntur, quandonam morbo & præſenti tempeſtate liberentur, ego enarrabo. Quum laboribus exercitatum corpus incaluerit, incaleſcit etiam ſanguis; ſanguis autem calefactus flatus quoque calefacit. Ii vero calefacti diſſolvuntur, & ſanguinem coactum ſimul diſſolvunt, partimque cum ſpiritu, partim cum pituita foras prodeunt. At ubi deferbuit ſpuma, & ſanguis conquievit, tranquillitasque in corpore oborta eſt, morbus ceſſat. Horum igitur ſane omnium (morborum) multis modis flatus cauſæ eſſe videntur; cætera vero omnia vel adjuvantis, vel conſequentis cauſæ rationem habere. Hæc vero eſſe morborum cauſa nobis eſt demonſtrata, quod me declaraturum receperam. Spiritum autem cum in aliis rebus, tum vel maxime in animantium corporibus plurimum poſſe demonſtravi. Orationem vero ad morborum & ægritudinum cognitionem perduxi, in quibus hoc argumentum verum eſſe apparuit. Quod ſi reliquas ægritudines oratione perſequi velim, prolixior ſane foret oratio, nihilo tamen minus aut veritatis aut fidei habitura.

HIPPOCRATIS
LIBER
DE VISU.

PRÆFATIO.

Totum repudiat MERCURIALIS, *& ad quartam claſſem rejicit. Neque tamen malus libellus eſt, quo acria ad oculorum morbos medicamenta, & crudeles adminiſtrationes imperantur. Et radere palpebras ante nuperos jubet, & urere, tum & venas capitis varias.*

OCULI corrupti ſponte quidem cærulei fientes, derepente tales fiunt, & ubi facta fuerint, non eſt talium ſanatio. Qui vero maris ſpeciem referunt, paullatim per multum tempus procedendo corrumpuntur, & ſæpe alter oculus in multo tempore poſtea corruptus eſt. Hujus caput purgare oportet, & venas urere. Et ſi quis ab initio curatus fuerit hoc modo, malum ſedatur, & in deterius non procedit.

At qui colorem inter cæruleum, ac marinum medium referunt, ſi quidem puero tales fiant, ubi ſenior fit, ſedantur. Si vero ſeniori ſepti-

mum annum egreſſo fiant, melius videt magna valde & ſplendida, & videt quidem procul, ſed non clare; & ſi quid valde ad oculum admoverit, etiam hoc videt, aliud autem nihil. Confert autem huic capitis purgatio, & capitis uſtio. Sanguinem vero his detrahere non conducit, neque cæruleo, neque maris ſpeciem referenti. Et viſum oculorum, oculo ſano exiſtente, in junioribus hominibus, tum femellis, tum maſculis, quidquam faciendo nihil juveris, quamdiu adhuc augeſcit corpus. Quum autem non amplius augeſcit, ipſius oculi palpebras intuitus radendo adtenuato, & ſi opus eſſe viſum fuerit, etiam ferramentis non admodum candentibus intrinſecus inurito.

Quum vero palpebras oculi raſeris, lana mileſia, criſpa, pura, circum fuſum obvoluta, radito, ipſam oculi coronam vitando, ne ad cartilaginem usque peruras. Signum autem ſufficientis raſuræ eſt, ſi non amplius ſplendidus ſanguis exit, ſed ſanies cruenta, aut aquoſa. Tunc vero liquido aliquo medicamento, in quo flos æris eſt, defricare oportet. Poſtea autem ubi & raſionis, & uſtionis cruſtæ exciderint, & ulcera purgata fuerint, ac germinaverint, fiſſuram per ſinciput ſecare oportet, & quum ſanguis defluxerit, medicamento cruentis vulneribus idoneo illinere. Deinde vero & hujus, & omnium caput purgare operæ pretium eſt.

Palpebræ ſi craſſiores, quam pro natura fuerint, ex inferna parte carne, quantum potes, quamexpeditiſſime reſecta, poſtea palpebram inurito, non candentibus ferramentis, vitando naturam pilorum, aut flore æris toſto tenui adſtringito. Quum autem cruſta exciderit, velut reliqua curato.

Quum

Quum palpebræ ſcabie laborant, & pruritus habet, floris æris glebulam ad cotem terito, & ex ipſo palpebram defricato. Et tunc ſquamam æris quamtenuiſſime terito, deinde uvæ immaturæ ſuccum excolatum adfundito, ac leviter ſimul terito, & poſtea reliquum ſuccum in vaſe æris rubri adfundens, paullatim terito, donec craſſitudo fiat velut allii intritum, & ubi reſiccatum fuerit medicamentum, leviter trito utere.

Nyctalops medicamentum bibat deorſum purgans, & caput purgetur, & cervicem ejus quammaxime ſcarificato, & fame ad multum tempus premito. Ubi vero remiſerit, unum aut duo fruſta, prout maxima devorare poteſt, de hepate bubulo crudo in melle tincto exhibeto.

Si cui oculi, dum ſani ſunt, viſum corrumpant, huic ſectione, & inſuper excoriatione in ſinciput facta, os exſcindere, & aquam auferre oportet, ſicque curare: & ita ſani fiunt.

Ad lippitudinem annuam, ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni. Et ſi corpus habeat, ſanguinis detractio ad quosdam ejusmodi dolores confert. Conferunt & cucurbitæ circa venas adfixæ. Cibus, modicus panis, & aquæ potus. Decumbat autem æger in tenebris, procul a fumo, & igne, & aliis ſplendidis, atque hoc in obliquum, modo in dextram, modo in ſiniſtram partem. Caput vero ne humectet, neque enim conducit. Cataplaſma, ſi dolor non adeſt, verum velut ad fluxionem cohibendam, non confert, quum tumores ſint doloris exſortes. Verum poſt acria medicamenta, quæ ad dolorem illinuntur, poſtquam dolor ſedatus fuerit, ac ſeparatus, poſt medicamenti illitionem, tunc cataplaſmata imponere conducit, ſi quod

commodum fore visum fuerit. Nec vero ad multum tempus contente intueri confert. Lachryma enim provocatur, quum non possit oculus ad splendida officio suo fungi. Sed neque ad multum tempus claudere oculos conducit, maxime si fluxionem calidam habeat. Lachryma enim suppressa, calefacit. Si vero fluxio non sit, cum pulvillo sicco sublitionem facere conducit.

FINIS TOMI TERTII.